









Mariolog

seu

potiores de s. Deipara qu

ex Ss. Patrum ac Theologor

propositae

a

Christiano Stamm
ss. Theologiae Doctore nec non Consiliario

Cum permissu Superio

Paderbornae.
Typis et sumptibus librariae Junfer
MDCCCLXXXI.

Mariologia

seu

potiores de s. Deipara quaestiones

ex Ss. Patrum ac Theologorum mente

propositae

a

Christiano Stamm
ss. Theologiae Doctore nec non Consiliario Ecclesiastico.

Cum permissu Superiorum.

Paderbornae.
Typis et sumptibus librariae Junfermann.
MDCCCLXXXI.

Praefatio.

„Post ipsius Dei ac Christi cognitionem“, inquit Suaresius,[1]) theologus non minus scientiae suae profunditate, quam tenerrima erga beatissimam Virginem devotione maxime perspicuus, „nullam aut utiliorem aut viro theologo digniorem esse existimo (quam gloriosae Virginis). Neque enim intelligo, cur de gratia Angelorum, de illorum merito et gloria tam accurate disputant theologi, de Angelorum vero Regina longe majori diligentia disserendum non sit, quum haec doctrina est per se dignior ac jucundior, et ad pietatem magis accomodata.“ Quae enim dignitas Matris Dei dignitate sublimior excellentiorque? Quaenam creatura pulchrioribus se vidit videtque ornatam virtutibus ac splendidioribus praerogativis incomparabili Virgine illa? Quaenam majori gaudet potestate in coelo et in terra, quam coelorum Regina?

Nihil profecto utilius post Deum memoria Matris testante s. Anselmo[2]) nihilque illi jucundius, quam ad ejus propagandum honorem uberius semper exponere omnia, quibus Deus Unus et Trinus a tota aeternitate

[1]) Arg. ad lectorem; de Incarn. vol. II. [2]) De excellent. B. M. V. cp. 6.

eam voluit decorari, dona ac privilegia. Nonne Maria ipsa, ut suam illustrent dignitatem, excitat animas dicens: „Fulcite me floribus et stipate me malis, quia amore langueo?“ [1]) „Qui sunt hi flores, interrogat Amedeus, [2]) Lausanensis Episcopus, nisi divina in laude ejus mysteria et olim a saeculis abscondita sacramenta, quae jam in carne apparentia, spiritu manifestata ex dictis Patrum veluti ex quibusdam gemmis arborum prorupe-runt; fulcitur ergo floribus, quum praedicta oracula ap-parent.“

Quae quum ita sint, mirum prorsus videtur, quod vix ullum, recentiorum quidem,[3]) reperias doctrinae Marianae corpus, in quo quaestiones ad beatissimae Virginis statum sublimissimum pertinentes ex professo componantur prae-ciseque discutiantur. Si imbecillis ego ingenio, quem cor et lingua, sensus deficiant ac vires, libellum hunc dis-quirendis s. Deiparae dignitatibus ac praerogativis apta-tum in medium proferre tantoque me temere immiscere muneri ausus sim, scopum illum perarduum fore ut at-tingam certissime non speravi, sed aliis tantummodo doctioribus ad opus melius praestandum viam pandere desideravi nec non benignissimae Matri illi, cujus ob innumera beneficia quoad animam, quam quoad corpus ab eadem recepta agnoscam me necesse est debitorem, aliquod saltem obsequiorum meorum ostendere volui

[1]) Cantic. II, 5. [2]) Hom. I. [3]) Die Mariologie des heil. Thomas von Aquin. Dargestellt von Dr. F. Morgott.

argumentum. „Laudare enim compellimur, ne tacendo maneamus ingrati.“ [1]) Suscepi ergo laborem confidens, quod ille, qui „de petra mel et oleum de saxo durissimo“ elicere potest, me quoque ad ipsius solam gloriam ac sanctissimae Matris suae laudem scribentem dirigere valeat.

Restat, ut de ordine, quo rem tractavi susceptam, pauca praemittam. Totum opus in tres distribuitur partes triplici respondentes statui: statui nempe Christum natum antecedenti, concomitanti et consequenti.

In primam partem remisi, quae dicenda fuere de s. Deiparae Conceptione immaculata, Nativitate, Praesentatione, Virginitate, Voto, Matrimonio nec non de s. Josephi Virginitate et tempore, quo b. Virginem in matrimonium duxerit. Qua in parte b. Virginis Virginitatem Deo dicatam, matrimonio nullatenus violatam, sed potius elevatam, fusiori tractandam esse putavi calamo, quum plurimae hac in re agitari soleant quaestiones et difficultates.

In secunda parte sermo est de s. Deiparae Annuntiatione et Visitatione, sicuti de Maternitatis gaudio conjuncto cum Virginitatis honore.

In tertia parte disseritur de b. Virginis Obitu et Assumptione nec non de Cultu hyperdulico illi debito.

Quatuor sequuntur appendices, quorum primus locum classicum Isaiae VII, 14 exponit, secundus de

---


1) S. Bonavent. in prol. ad Specul. B. M. V.

Domini Nostri „fratribus“ agit, tertius bullam dogmaticam „Ineffabilis Deus,“ quartus plurimorum Concilii Vaticani patrum postulatum dogmaticam definitionem corporeae Assumptionis b. Virginis in coelum concernens in medium profert.

Accipias quaeso, candide lector, conatum hunc styli elegantia ac venustate carentem plurimisque sine dubio laborantem defectibus animo benevolo et imperitiae meae velis attribuere, quaecumque desiderari deprehenderis.

Si quid vero incuriâ mea fuerit erratum, judicio subjectum esto sanctae Matris Ecclesiae, quam magistram veritatis infallibilem veneror ac profiteor.

Parce prope Lovanium Belgicum die festo Purificationis B. M. V. 1879.



Index.

Pars prima.

De Virgine Deipara pro statu Christum natum antecedente.

Sectio I.

De s. Deiparae Conceptione immaculata, Nativitate nec non Praesentatione.

Sectio II.

De s. Deiparae Virginitate.

Sectio III.

De s. Deiparae matrimonio in genere.

Sectio IV.

pag.

Pars secunda.

De Virgine Deipara pro statu Christum natum concomitante.

Sectio I.

De circumstantiis Annuntiationis ac Visitationis b. Virginis.

Sectio II.

Pars tertia.

De Virgine Deipara pro statu Christum natum consequente.

Sectio I.

De beatissimae Virginis Obitu et Assumptione.

Sectio II.

Appendices.



Corrigenda.

Pag.	26	lin.	11	a sup.	loco	Origines	legas	Origenes;
"	40	—	15	ab inf.	—	hermene-eutices	—	hermeneutices;
"	44	—	3	ab —	—	touto	—	toute;
"	45	—	11	— —	—	cumputanda	—	computanda;
"	47	—	9	a sup.	—	im	—	imo;
"	48	—	13	— —	—	unigenti	—	unigeniti;
"	78	—	8	ab inf.	—	celleberrimus	—	celeberrimus;
"	117	—	14	a sup.	—	mysteriam	—	mysterium;
"	121	—	2	ab inf.	—	Euchiridion	—	Enchiridion;
"	135	—	3	— —	—	Virgini	—	Virginis;
"	235	—	13	— —	—	inseperabilis	—	inseparabilis;
"	245	—	17	a sup.	—	Originem	—	Origenem;
"	283	—	12	ab inf.	—	abscondebatur	—	abscondebantur;
"	286	—	13	— —	—	vidicanda	—	vindicanda;
"	325	—	16	— —	—	Bernardus	—	Bernardinus;
"	409	—	2	— —	—	Biluart	—	Billuart.



Pars prima.

De Virgine Deipara pro statu Christum natum antecedente.

SECTIO I.

DE S. DEIPARÆ CONCEPTIONE IMMACULATA, NATIVITATE NEC NON PRÆSENTATIONE.

Cap. I.

DE IMMACULATA EJUS CONCEPTIONE.[1])

„Salve, Verbi sacra parens,
Flos de spinis, spina carens,
Flos spineti gloria."
„Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati,
Sed tu spinae nescia."

Adam. de S. Victore apud Raynaud. in Glossar. tom. VII. p. 424.

Quae lingua dicere vel quis intellectus capere sufficit, quot qualesque inter procellas universum genus jactaverit primi hominis peccatum? Quisnam effari poterit, in quam deplorato ac miserrimo statu tunc fuerit terra, cujus facies sacrilegiis nimis magnis, idololatria detestabili, impietatibus innumeris, apostasiis execrabilibus multisque aliis milenis contaminata fuit iniquitatibus? „Maledictum, inquit Propheta,[2]) et mendacium et homicidium et furtum et adulterium inundaverunt et sanguis sanguinem tetigit." Quis describere queat aterrimam illam noctem, quae a

---

[1]) Cfr. De Immaculato Deiparae semper Virginis Conceptu C. Passaglia Commentarius. Neapoli 1855 3 tom. L'immaculée Conception de la bienheureuse Vierge Marie par Malou, évêque de Bruges. Bruxelles 1857 2 tom. De Immaculato B. V. Mariae Conceptu disquisitio theologica Perrone-Tornaci. [2]) Ose IV, 2.

protoparentum nostrorum peccato in paradiso commisso usque ad diem illum perduravit, quo solis justitiae aurora desideratissima exurgebat et exoptatissima, finem noctis seu damnationis, originem diei seu salutis annuntiando; quo apparebat illa, cujus immaculata Conceptio gaudium annuntiavit universo mundo?

Beatissima Virgo singularis omnino videtur in primo hujus vitae instanti; praerogativam enim singularem ac gratiam a Deo accepit, qua ab originali delicti labe immunis fuit. Quare jure merito ad sese applicare potuit illud vatis regii: „Cadent in retiaculo ejus peccatores; singulariter sum ego, donec transeam.“[1]) „Nam neque feminarum aliqua neque virorum aliquis, explicat Michael a Palude,[2]) qui ex naturali concubitu in lucem hanc prodierunt, immunem habuit ab hac labe originali conceptionem. Beata haec virgo a retiaculo hoc criminum tam longe sublata est, ut dixerit, singularem se esse in toto orbe terrarum.“

Sacrum illud Marianae conceptionis instans mysterium est abditissimum, quod ss. Patres nec non theologi scrutari nunquam cessavere. Quorum vestigia prementes dogma catholicum circa Conceptionem immaculatam exponemus.

Antequam hoc aggrediamur, duplicem distingui conceptionem attendere libeat: activam nempe et passivam. Conceptio activa ad corpus, passiva ê contra terminatur ad animam, quatenus primo instanti a Deo infunditur in corpus jam formatum. Conceptio illa se tenet ex parte parentum, haec vero in ipsa persona concepta consideratur.

Audiamus doctissimum Prosperum Lambertinum, qui sub nomine Benedicti XIV postea s. Petri decoravit cathedram, hac de differentia disserentem: „Conceptio, inquit,[3]) dupliciter accipi potest; vel enim est activa, in

---

[1]) Ps. CXL, 10. [2]) Comment. ad Ose l. c. [3]) De festis b. Mariae Virginis cp. XV.

qua sancti B. Virginis Parentes „opere maritali invicem convenientes praestiterunt ea, quae maxime spectabant ad ipsius corporis formationem, organizationem et dispositionem ad recipiendam animam rationalem a Deo infundendam;“ vel est passiva, quum rationalis anima cum corpore copulatur. „Ipsa animae infusio et unio cum corpore debite organizato vulgo nominatur Conceptio passiva, quae scilicet fit illo ipso instanti, quo rationalis anima corpori omnibus membris ac suis organis constanti unitur,“ ut cum aliis Theologis ait Frassen.[1]) Hic non agi de conceptione activa, sed de conceptione passiva tantum, in promptu est. Sanctificatio enim non potest existere nisi in anima, subjecto peccati et gratiae; corpus, cui copulata est, participat effectui peccati et gratiae.[2]) Quibus praemissis dicimus:

Art. I.

Beatissima Virgo Maria primo conceptionis suae instanti ab omni originalis culpae labe est immunis.

In hoc differt b. Virgo a caeteris hominibus per gratiam Dei et passionem Christi ante nativitatem, sed post animationem et post nativitatem liberatis: Ipsa sola primo Conceptionis instanti sanctificata et ab originali peccato praeservata fuit, ita ut ejus anima primo

---

[1]) In Scoto Academ. tom. 8 edit. Rom. 1720. [2]) Cfr. Tract. theol. de B. Maria Virgine auctore Societatis Mariae presbytero. Lugduni 1866. „Die Empfängniß, um die es sich hier handelt, inquit Oswald, — (Dogmatische Mariologie. Zweites Hauptstück § 5 S. 17. — Paderborn 1850 —) ist nicht die active, sondern die passive, d. h. ihr Empfangenwerden. Active Empfängniß Mariens könnte nochmals in einem doppelten Sinne verstanden werden. Einmal ihr concepit de spiritu sto, d. h. die passive Empfängniß oder die Incarnation unsers Herrn selbst. Daß diese heilig und fleckenlos, darüber konnte niemals ein

momento creationis et infusionis in corpus sine peccati originalis labe apparuerit. Ita docent inter alios Scotus, Tostatus Abulensis, Gerson, Catharinus, Suarez,[1] Bellarmin,[2] Canisius,[3] Salmeron,[4] Barradas,[5] Gregorius de Valentia,[6] Morales.[7]

Propositio haec est de fide. „Definimus, inquit Bulla Ineffabilis,[8] doctrinam, quae tenet beatissimam Virginem Mariam, in primo instanti conceptionis suae fuisse singulari Omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris generis humani, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.“ Cujus propositionis veritas probetur necesse est; qui enim exceptionem proponit, regulam universalem in contrarium firmat. Regulam vero generalem S. Apostolus in epistola ad Romanos directa hisce exponit verbis:[9] „Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.“ Scrutemur ergo

I. s. Scripturam; illa nobis exhibebit Dei testimonia, quibus, si non formaliter et explicite, sal-

---

Anstand unter Christen sich erheben .... Dann aber könnte die active Empfängniß auch die eheliche Cohabitation (opus maritale) der Eltern der hl. Jungfrau, also den Act, in dem der Vater die jungfräuliche Tochter zeugte, die Mutter sie empfing, bezeichnen. Ueber die Natur dieses Actes, ob er etwa in ordentlicher Weise mit, oder ohne die libido vollzogen worden, auch darüber entscheidet unsere pia sententia wiederum gar nicht. Sie will bloß: Maria die empfangene ist fleckenlos; auf ihrer Seite ist die Unbeflecktheit; über die Eltern wird gar nicht geurtheilt.“

[1]) III. p. q. XXVII, a 1 et 2 dist. 3. [2]) Controv. tom. III, lib. 4 cp. 15. [3]) De B. Virgine lib. I, cp. 5. 399. [4]) De Infantia Salvatoris tom. III, tract. 12. [5]) Concord. lib. VI, cp. 3. [6]) Tom. IV, disp. 2. q. 1. [7]) In Cap. I, Matthaei lib. III. tract. I, ubi auctores citantur. [8]) Cfr. text. Bullae in appendice. [9]) Rom. V, 12.

tem virtualiter et implicite, beatissimam Virginem ab originalis peccati macula praeservatam fuisse probatur. [1])

A. Vetus testamentum.

1. Quum Adamus de fructu vetito comedens Dei praeceptum fuisset transgressus, [2]) serpenti i. e. diabolo serpentis figuram praeferenti Deus dixit: „Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo ejus.“

Juxta hoc oraculum, merito „πρωτευαγγέλιον“ nominatum, quod promissionem futuri exhibeat Redemptoris, Deiparae victoria refertur contra diabolum in evadendo peccatum idque praecipue originale, textu dicente „ipsa conteret caput tuum.“ Daemon caput nostrum conterit, quia in capite et principio vitae nostrae seu instanti conceptionis nostrae per peccatum originale suo nos subdit dominio. Maria vero caput daemonis contrivit; quum enim conceptionis instanti a peccato originali fuerit immunis, de daemone reportavit victoriam. „Quum subjectio originalis peccati caput sit diaboli, tale caput Maria contrivit, inquit s. Augustinus, [3]) quia nulla peccati subjectio ingressum habuit in animam Virginis, et ideo ab omni macula immunis fuit.“ Cum s. Augustino consentit Joannes Gerson dicens, aequissimum fuisse, quod Maria caput serpentis contereret, quia ratione peccati originalis ei nunquam subjecta fuisset. „Justum est, scribit, [4]) quod regina coeli, magistra angelorum contriverit caput serpentis i. e. infernalis ini-

---

[1]) Sunt quidem, qui dicant, nullum s. Scripturae textum in sensu literali pro immaculata Conceptione assignari posse. At illi ignorant, sensum hunc esse duplicem: explicitum seu formalem et implicitum seu virtualem. Formalis est ille, quem verba ipsa ex institutione prae se ferunt; virtualis, quem verba exhibent ex connexione et legitima deductione. [2]) Gen. III, 15. [3]) De Gen. ad liter. lib. 12. [4]) Serm. de Concep.

mici, ut non sit ullo tempore membrum suum et subjecta ejus."

Neque dicas, in textu hebraeo non legi „ipsa conteret," sed „ipse conteret." Vulgata editio habet „ipsa." Haec vero editio pro authentica declaratur a Concilio Tridentino [1]) dicente: „Nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat." „Etiamsi multi codices Hebraici, scribit Cardinalis Bellarmin, [2]) habeant hic i. e. ipse, legi tamen unum, in quo erat scriptum: haec i. e. ipsa ac praeterea remotis punctis illam vocem hebraicam hic posse interpretari ipsa, nimis rudis est, qui nesciat, et Vulgata revera interpretatur ita, quod nobis sufficiat."

Copiose hoc de argumento disputat Perrone: „Neque vero latet immaculatae Conceptionis assertores, scribit, [3]) in hebraica veritate pronomen „ipsa" ancipitis esse significationis, et aeque ad „semen" referri posse, quod in hebraica idiomate inter masculina audit. . . . . adeoque tota sententia ad mulieris filium, seu ad Christum Virginis filium contrahenda est, qui reipsa in mundum venit, ut opera diaboli dissolveret. Verum recte animadvertunt: 1. lectionem Vulgatae esse antiquissimam, firmisque tum auctoritatibus, tum Patrum testimoniis ac rationibus intimis inniti; [4]) 2. si absque punctis legatur hebraicum pronomen, illud utrique favere lectioni; 3. haud

---

[1]) Sess. IV. [2]) De Verbo Dei lib. II, cp. 12 n. 3. [3]) De immaculato B. V. Mariae Conceptu an dogmatico decreto definiri possit disquisitio theologica. Tornaci 1853 pag. 74. [4]) Lectionem Vulgatae, in qua legitur „ipsa," tenuere s. Ambrosius (de fuga saeculi cp. 7 n. 43), s. Augustin. lib. 2 de Gen. contra Manich. cp. 18, licet non expresse; aperte autem lib. 11, de Gen. ad lit. cp. 36, s. Gregorius M. lib. 1 Moral. cp. 36 n. 53 praeter Rupertum, Bedam, Rabanum, s. Bernardum, Siranum apud Bellarm. de Verb. Dei lib. 2 cp. 12. Attamen s. Hieron. legit „ipse" et hanc lectionem adseruit in Quaest. Hebraicis super Genesin. Verum de hoc argumento cf. Bonfrerium Comment. in Genes. ad h. loc. et Cornelium a Lapide, de eo abunde disserentes.

insolens esse, ut κατ' ἐναλλαγὴν verbum masculini generis cum feminino conjungatur; 4. demum perinde esse sive legatur „ipsa," sive „ipse" sive „ipsum." Nam quum mulier non virtute propria, sed filii meritis contritura sit serpentis seu daemonis caput, si legetur „ipsa," subaudiendum erit per „ipsum," nempe semen aut filium; sin autem „ipse" vel „ipsum," sententia ea erit, ut filius aut semen mulieris una cum muliere caput serpentis seu daemonis sit contriturus. Ceterum analogia favere magis mulieri, quam semini videtur, aut, si lubet, utrique simul, ita ut mulier cum semine, scilicet filio suo sit de daemone ac peccato latura triumphum." [1])

Quidquid ergo de textus Hebraici vel Vulgatae ver-

---

[1]) Ut enim scribit Cornelius a Lapide in h. l.: „Quum Deus hic opponat, quasi antagonistas, mulierem cum suo semine serpenti cum suo semine, consequenter vult dicere, mulierem cum suo semine contrituram caput serpentis: sicut e contrario serpens tam mulieris quam seminis ejus calcaneo insidiatur." De Christo ac propterea de ejus Matre hoc oraculum ex veteribus exposuerunt, obscure quidem Tertullianus lib. 2 adv. Marc. cp. 10; clarius vero s. Irenaeus contra Haeres. lib. 3 cp. 23 nec non lib. 4 cp. 40; s. Cyprianus lib. 2 Testimon. p. 288, apertissime demum s. Epiphanius adv. Haeres. lib. 3 haeres. 78. Cujus verba, quae propius ad b. Virginem referuntur, hic describere placet: „Quoniam vero quum adhuc virgo in hortis Eva degeret, per contumaciam apud Deum offenderat, ideo gratiae propria a Virgine manavit obedientia, postquam circumfusi corpore Verbi, sempiternaeque vitae de coelo est nuntiatus adventus. Nam illic ita serpentem Deus alloquitur: „Inimicitiam ponam inter te et inter **illam**, inter semen tuum et semen illius." Atqui nusquam ejusmodi semen mulieris inveniri potest. Unde non aliter quam per adumbrationem ac similitudinem ad Evam hostiles illae inimicitiae referuntur, quas cum hujus stirpe serpens ille, et qui in serpente inerat invidia flagrans diabolus exercet. Plene quidem ac perfecte accomodari ad illam universa nequeunt; sed in sanctissima, eximia ac singulari stirpe, quae a sola Virgine Maria, sine ulla viri consuetudine, propagata est, reipsa ac penitus impletur. Hic enim illius filius ad extinguendam serpentis, ac tortuosi colubri, fugacisque vim ac potentiam, qui se totum orbem terrarum dominatu suo comprehendisse jactabat, ad haec infima descendit."

sionibus dicendum est, praenuntiatur sine ullo dubio triumphus completus tamquam effectus inimicitiae ab ipso Deo inter serpentem et mulierem mulierisque semen positae. At inimicitia, uti bene advertit auctor tractatus de B. V. M.[1]) communis eademque fuit inter serpentem et mulierem ejusque semen, ut satis indicant verba, „inimicitias ponam." Debet ergo etiam triumphus utrique communis et plane idem — i. e. perpetuus et absolutus esse. Quisnam vero triumphum nominare vellet perfectum, si daemon veneno seu peccato suo infecisset mulierem, si mulier a culpa non remansisset perpetuo immunis? Tunc non mulier caput serpentis, sed serpens potius caput contrivisset mulieris.

Quo de oraculo nemo luculentius disputasse vindicasseque strenius b. Virginis praerogativam de immaculata Conceptione visus est, quam Passaglia, qui in opere suo „De immaculato Deiparae semper Virginis Conceptu" revera monumentum exegit aere perennius. „Nihil poterat adhiberi sapientius ac nihil, quod Satanam acrius adureret ipsique gravius accideret, inquit,[2]) quam secundam excitari mulierem, quae nullo umquam amicitiae foedere cum satana jungeretur, numquam ipsi obnoxia foret, sed contra perpetuas cum ipso inimicitias exerceret, ipsumque per suum semen funditus debellaret. Si fieri ergo non potest, ut coelestis oraculi verba, „et inimicitiam ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius,"

[1]) L. c. pag. 124. [2]) L. c. pars II, sect. V, n. 890. „Omnino insignis est juxta citatum authorem (l. c. n. 888) parallelismus, quo ad invicem referuntur oracula Gen. III, 15 et Js. VII, 14. Sicut enim in priore adhibetur „haischah," ἡ γυνή cum articulo demonstrante, quo quum nomina instruuntur, alterutrum significant, vel totum genus, vel unum de genere certum ac definitum; ita in posteriore cum eodem articulo adhibetur „haalmah," ἡ παρθένος. Et sicuti in priore singularis certaque mulier cum suo semine certo item ac singulari penitissime conjungitur ac prope unius instar exhibetur, ita in posteriore singularis certaque virgo cum suo Emmanuele non alia ratione copulatur.

a contextu dissideant, immo si apte cum ipso conspirare debeant; hunc omnino sensum fundant necesse est: tu ad meum opus corrumpendum, hominesque perdendos fallacem iniisti cum priori muliere amicitiam; sed ego ut meum opus refingam hominesque recuperem, ponam inter te et secundam, quam excitabo, mulierem, verissimam inimicitiam: tu ad priorem mulierem tamquam amicus ad amicam accessisti, illam amicitiae specie seduxisti, ejusque semen una cum illa tibi tuaeque tyrannidi subjecisti; sed ego, ut tuas fraudes tuosque dolos inanes reddam teque iisdem expugnem armis, quibus plenissimum tibi triumphum pollicebaris, alteram suscitabo mulierem, quae tibi sit infensissima, quaeque cum suo semine te inexplebili odio prosequatur, te debellet ac praeda, qua exsultas, victrix exspoliet.“ [1])

Deus porro in protoevangelio aliquid singulare et mulieri illi praenuntiatae proprium significare intendit. Quare alias hujus mulieris fecisset mentionem? „Jamvero in hoc, quo de agimus, scribit Perrone,[2]) nihil aliud singulare omnino atque hujusce matris proprium, quam immunitatem a quovis peccato confingere animo possumus. Nam quod ad liberationem ab originali labe post foetus animationem spectat, ea certe communis sanctissimo praecursori fuisset, qui repletus est spiritu sancto ab utero matris suae; atque etiam, prout fert sententia satis recepta, Jeremiae aliisque forte nonnullis. At absoluta exemptio speciale ac proprium solius Virginis privilegium foret. Praeterea animus hypothesi de sola liberatione plene non acquiescit; haec enim in justis omnibus, licet diverso gradu diversaque ratione locum habet et habuit: at hic de victoria plena agitur ac singulari: quae quamvis primario loco promisso Salvatori adscribatur, nihilominus secundario saltem beatae ejus Matri, mulieri κατ' ἐξοχήν nuncupatae, tribuitur, ac proinde, quod natura Filio, Matri per participationem competit.“

---

[1]) Cfr. l. c. p. II, sect. V, art. VIII, n. 978 sqq. [2]) L. c. pag. 131.

2. „Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.“ [1]) Hoc verbum a persona, de qua sermo, quodvis peccatum ideoque etiam peccatum originale excludere videtur; alias non esset „tota pulchra.“ Quaenam est ista persona? Beatissima Virgo. At nonne de Ecclesia hic loquitur s. Scriptura? Ecclesia quum in nullo membro tota sit pulchra et sine macula originali, nisi in b. Virgine, textus ille de Ecclesia expositus s. Deiparam sine labe originali conceptam fuisse probaret. [2]) Huc accedit, quod Spiritus sanctus de sua sponsa disserens inducatur; sed illa propriissime est b. Virgo, quae sola ex obumbratione Spiritus sancti conceperit.

Una cum aliis patribus et theologis s. Thomas [3]) verba citata in sensu literali de b. Virgine exponit. „Tota pulchra fuit, ait Richardus a s. Victore, [4]) quam totam possedit gratia, quia nullum in ea locum habuit peccatum.“ Consonat celeberrimus Parisiensis cancellarius Gerson ita loquens: [5]) „Tota pulchra est amica Dei nostri omni tempore, in sua Conceptione et post, absoluta et libera a damnifero tyranno, peccato originali.“ „Tota pulchra es Virgo gloriosissima, inquit sapientissimus Idiota, [6]) non in parte, sed in toto; et macula peccati, sive mortalis sive venialis sive originalis non est in te nec umquam fuit nec erit.“

B. Novum testamentum.

1. Beatissima Virgo revera mater Dei est. „De qua natus est Jesus.“ [7])

Quomodo vero b. Virgo simul in matrem Dei potuit eligi ideoque ab eo intime diligi et simul ob peccatum originale Deo inimica, irae ejus filia existere? Nil mirum ergo, quod s. Augustinus hac ratione ductus omne omnino ex ea excludat peccatum. „Inde etiam

---

[1]) Cantic. IV, 7. [2]) Cfr. Sedlmayr Scholastica Mariana p. IV, sect. I, n. 322. [3]) III, p. q. XXVII, a. 4. [4]) Comm. in Cant. IV. [5]) Serm. de Concept. [6]) In contempl. Deiparae cp 2. [7]) Matth. I, 16.

novimus, scribit,[1]) quod ei plus gratiae collatum sit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere et parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum." Soto quidem aliique theologi verba s. Doctoris ad peccata actualia docuerunt coarctanda. „Propter hoc verbum Augustini, inquit,[2]) patres deinceps omnes et theologi universi unanimes jure optimo praedicant, gloriosam Virginem peccatum nullum fecisse actuale." At ratio a s. Augustino allata haud obscure indicat, originale quoque peccatum a Virgine fuisse amotum. Tum enim in stricto sensu peccatum ex omni parte vicit, quod non vicisset, si ex parte sique originali peccato fuisset obnoxia. Maximam vero in d. Filium redundasse ignominiam, si b. Virgo originali labe contaminata fuisset, inferius videbimus.

2. „Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus."[3])

S. Bonaventura Gabrielem Archangelum per verbum istud „Ave," initio salutationis positum, nil aliud intendisse opinatur, quam ut significaret immaculatam ejus ab omni culpa non solum actuali, sed etiam originali innocentiam. „Propter omnimodam culpae carentiam et immunitatem, inquit,[4]) propter omnimodam innocentiam et puritatem merito ei in principio salutationis dicitur: „Ave." Et merito. Vae enim significat, ut s. Cardinalis explicat, peccatum. Ave autem est idem, quod sine Vae i. e. sine peccato. Sine quonam Vae est Maria? Scimus, eam esse sine vae peccati mortalis et venialis. Nonne etiam sine Vae peccati originalis? Respondeat Doctor angelicus, qui angelicam explicans salutationem ait: „Fuit Maria sine triplici Vae, sine Vae peccati venialis, sine Vae peccati mortalis et sine Vae

---

[1]) De nat. et gratia cp. 36. [2]) De nat et grat. lib. 3. cp. 4.
[3]) Luc. I, 28. Cfr. Passaglia l. c. n. 1072 sqq. [4]) Specul. cp. IV.

peccati originalis." Respondeat etiam s. Bernardinus Senensis[1]) dicens: „Ave beata Virgo sine Vae i. e. sine tyranno peccati originalis, quia sine eo concepta es."

Prosequitur Angelus salutans illam: „Gratia plena." Juxta d. Hieronymum ista plenitudo omnes continet divinas gratias. „Caeteris per partes, Mariae vero tota se infudit gratiae plenitudo." Neque alio tendit s. Augustinus inquiens:[2]) „Quum dixit Angelus: „Ave gratia plena," ostendit ex integro iram exclusam primae sententiae et plenam benedictionis gratiam restitutam." Ergo cum aliis gratiis etiam originalis innocentiae gratia b. Virgo decorata fuit. Gratia plena nominatur, quae totam exhauserit Spiritus sancti gratiam. „Virgo sancta totam sibi hauserat Spiritus sancti gratiam, asserit s. Thomas.[3]) Plenissime consentit s. Bernardinus. „Excepto Christo, ait,[4]) tanta gratia Virgini data est, quanta creaturae purae dari possibile est."

Num forte tunc solummodo gratia plena, quum Verbum aeternum in ejus utero carnem sumpsit? Iam in ipso conceptionis instanti plenitudine gaudebat gratiae. „Domina nostra fuit plena gratia praeservativa, asserit d. Bonaventura,[5]) contra foeditatem originalis culpae, quam contraxisset ex corruptione naturae, nisi ex speciali gratia praeventa praeservataque fuisset." Praeservari ab omni culpa, est gratia. Si b. Virgo non habuisset istam gratiam, non fuisset plena gratiae, quia eam defecisset gratia ista praeservans nec habuisset omnium virtutum plenitudinem. „Talibus, inquit ideo s. Hieronymus,[6]) decebat Virginem oppignorari virtutibus, ut esset plena gratia, quae dedit terris Deum, coelis gloriam, pacem et fidem gentibus, finem vitiis."

„Dominus tecum." Nullum tempus determinatur,

---

[1]) Serm. 52. [2]) In Natal. Domini serm. 11. [3]) In Cat. ad Luc. cp. I. [4]) Tom. I, serm. 61 a 2. [5]) Serm. 2 de B. M. V. [6]) Serm. de Assumpt.

quo Deus gloriosae Virgini praesens adfuturus esset. Angelus enim non dixit: est tecum aut erit aut fuit, sed „Dominus tecum.“ Ergo idem est, acsi juxta s. Doctorem Seraphicum[1]) dixisset: „O Maria, Dominus tecum fuit, tecum est, tecum erit, tecum utique sicut sol cum aurora.“ At haec verba non verificarentur, si diabolus vel uno momento illam in sua habuisset potestate; tunc Dominus non semper fuisset cum illa. Deus ergo a prima hora, qua illam creavit, ei semper astitit, divinae suae gratiae splendoribus eam illuminando nec umquam illam deserendo.

„Benedicta tu in mulieribus.“

„Benedicta tu in mulieribus“ i. e. plus quam omnes mulieres. Soli ipsi namque admirabile istud concessum est privilegium. Quare laetissime eam salutat d. Anselmus. „Benedicta tu in mulieribus, inquit,[2]) tu es imo plus benedicta, quam omnes mulieres, quia quidquid maledictionis per Evam infusum est, totum benedictio Mariae abstulit, insuper gratiam infudit.“ Mirabilia quoque dicta s. Bernardini: „Deus ipse aeternus, inquit,[3]) sic illam benedictam Matrem suam talem condidit et sanctificavit in tempore, qualem eam sanctam elegit in sua aeternitate, et talem tam nobilitate naturae, quam perfectione gratiae condidit Matrem, qualem eam decebat habere suam majestatem: quia in ea et de ea habebat sumere, quod in aeternum sibi esset unitam unitate personae.“ Quam considerans b. Virginem admirabunde exclamat d. Anselmus:[4]) „O benedicta inter mulieres, quae Angelos vincis puritate!“ Haec Angeli salutatio sine dubio falsa fuisset, si b. Virgo non habuisset benedictionem, sed communem cum reliquis incurrisset maledictionem.

3. „Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum“[5]) — gratiam

[1]) In Spec. vir. cp. 9. [2]) De excellent B. M. V. [3]) Tom. II, Serm. 51 a. I, cp. I. [4]) De Concept. cp. 12. [5]) Luc. I, 30.

tibi soli singularem. At eam invenisti! Ergo illam amisisti. Id enim solum invenitur, quod erat perditum. Respondet Didacus del Castillo,[1] ex verbis angeli omnino contrarium sensum hauriri ex eo, quod non dixerit, gratiam invenisse Mariam, sed e contra Mariam invenisse gratiam. Si ergo, quod erat perditum, invenitur, Maria gratiam, delicto primi parentis perditam invenit, sed gratia illa fuit gratia originalis. Quare etiam Idiota scribit:[2] „Invenisti Virgo Maria gratiam coelestem, quae fuit in te ab originali labe praeservatio.“

4. „Quia fecit mihi magna, cantat b. Virgo,[3] qui potens est.“ „At quid magni fecit, interrogat optimo jure Salmeron,[4] si non praeservavit? Nam sanctificatio a delicto contracto etiam in utero communis esset Virgini cum aliis quibusdam, ut cum Joanne Baptista et Jeremia et aliis quibusdam, ut de Jacobo fratre Domini testatur Hieronymus.[5] At majora privilegia Matri Dei, quam servis ejus concedenda erant, si homo etiam servo suapte natura futuro, qui e servis parentibus nasceretur, donare libertatem potest, ita ut conceptus natusque liber, non servus existat, quidni hoc valeat multo magis supremum illud ac divinum nomen.“

Contra argumentum ex s. Scriptura depromptum adversarii textus citare solent illos, qui legem mortis exhibent universalem vg. „Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.“[6] „Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.“[7] Audiamus d. Augustinum hac de difficultate disserentem.[8] „Sicut illud, quod dictum est „omnes in Christo vivificabuntur,“ quum tamen multi aeterna morte puniantur, ideo dictum est, quia omnes quicumque vitam aeternam per-

---

[1]) De vestibus Aaronis in Vers. 20 cp 26. [2]) Consid. 6 de B. M. V. [3]) Luc. I, 49. [4]) De infantia Salvatoris tom. III, tract. 12. [5]) Ex Hegesippo in lib. de Script. eccl. tom. I. [6]) 1 Cor. XXXV, 22. [7]) 2 Cor. V, 14. [8]) In epist. 107 cp. 6.

cipiunt, non percipiunt, nisi in Christo, ita quod dictum est: omnes homines vult salvos fieri, quum tam multos nolit salvos fieri, ideo dictum est, quod omnes, qui salvi fiunt, nisi ipso volente non fiant."

In locis praecitatis agitur, testante Sedlmayr,[1]) de Adae posteris et quidem iis, quorum caput morale in ordine ad transfundendam justitiam vel injustitiam Adam est; ille autem caput morale non est circa transfusionem justitiae relate ad b. Virginem, quae illo prior sit in divini decreti serie, longe excellentior in gratia et in hac ante Adamum omnino confirmata adeoque sub termino „omnis" relate ad Adae posteros justitiae vel peccati haeredes non potest esse comprehensa. Beatissima Virgo ob suam maternitatis divinae dignitatem persona prorsus exempta est et privilegiata.

II. Traditio.

Celeberrimus Hipponensis Antistes in libro contra Cresconium Grammaticum non secus, acsi nostram de immaculata s. Deiparae Conceptione thesin habuisset prae oculis, absolutissime affirmat:[2]) „Quamvis hujus rei certum de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, quum hoc facimus, quod universae jam placuit Ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas." Opportune et sapienter ergo censet d. Augustinus, perinde id esse, quod universae placuit Ecclesiae ac illud, quod de s. Scripturis profertur, exemplum; innititur id enim authoritati potissimum Ecclesiae, quae Scripturarum veritatem asserit et a Scripturarum veritate et auctoritate maxime commendatur et stabilitur.

Audiamus ergo testimonium Ecclesiae, quae pro hac b. Virginis immunitate locuta est

a) ore ss. Apostolorum,

b) — summ. Pontificum,

---

[1]) L. c. [2]) Contra Cresconium cp. 33.

c) ore Conciliorum,
d) — ss. Patrum.

a. Ss. Apostolorum testimonia:

1. Liturgia latina seu romana, quam d. Petro adscribunt Leo III.[1]) et s. Thomas,[2]) nominat b. Virginem „dominam nostram immaculatam.“ Terminus vero „immaculata“ absolute sumptus b. Virgini nullatenus posset vindicari, si labe originali fuisset contaminata. Quisnam s. Magdalenam, licet nunc maculis purgatam, nominare vellet „immaculatam“?

2. Liturgia s. Jacobi Apostoli plurima continet elogia, quibus b. Virgo „immaculate concepta“ invocatur. „Commemorantes sanctissimam, immaculatam, gloriosissimam Dominam nostram matrem Dei . . . Commemorationem agamus sanctissimae, immaculatae Dominae nostrae . . . . Dignum est, ut te vere beatam dicamus, Deiparam semper beatam et „omnibus modis immaculatam, honorabiliorem quam Cherubim, gloriosiorem quam Seraphim“ cet. At Cherubim et Seraphim nullam contraxerunt maculam!

3. Liturgia s. Marci „sanctissimam et benedictam Dominam nostram Dei Genitricem commemorando omnimodam illi attribuit sanctitatem et puritatem omne omnino peccatum excludentem.“

4. Epistola de Passione s. Andreae immaculatam Conceptionem ita praedicat: „Et propterea, quod ex immaculata terra creatus fuerat primus homo; necesse erat, ut ex immaculata Virgine nasceretur perfectus homo, quo Filius Dei, qui antea condiderat hominem, vitam aeternam, quam perdiderant homines per Adamum repararet.“ „Quibus verbis, notat Perrone,[3]) antithesis instituitur Adam inter et Christum, ita ut ad eum modum, quo Ada ex immaculata terra compactus est, ita et

---

[1]) In epist. ad Michael. Imperat. [2]) III. p. q. LXXVIII. a. 2 ad 5. [3]) L. c. pag. 81.

Christus ex immaculata Virgine conceptus sit atque ortus. Porro eatenus terra, ex qua plasmatum est Adae corpus, immaculata dicitur, quatenus, uti plures exponunt, nondum fuerat ob Adae culpam obnoxia maledictioni, neque ullis filiorum ejus iniquitatibus foedata: quapropter ut perfecta consistat antithesis, ideo immaculata dicitur b. Virgo, quia nullum sive originarium sive propria actione admissum peccatum illam unquam contaminavit.“ [1])

b. Testimonia summ. Pontificum.

1. Inter Romanos Pontifices in favorem Immaculatae Conceptionis primus edidit (extra concilia) constitutionem publicam et quidem triplicem Sixtus IV.[2]) In quarum prima anno 1476 edita festum Conceptionis, jam antea a Concilio Basileensi institutum et ab Ecclesia etiam Romana frequentatum, apostolicae Sedis auctoritate quatenus certa et indubia firmavit; ipsi insuper festo propriam Missam et officium speciale publica auctoritate instituit. Praeterea in hac officii institutione fidelibus clare innuit, festi Conceptionis objectum esse „immaculatam Deiparae conceptionem et ab originali praeservationem.“ Secunda constitutio ex anno 1482 damnat assertionem, „quod Romana Ecclesia solam spiritualem Conceptionem seu sanctificationem Virginis Mariae celebret,“ tamquam „falsam, erroneam et a veritate penitus alienam.“ Tertia constitutio anno 1483 edita rejicit ut falsam et erroneam sententiam, quae tenet, mortaliter peccare et haeresis labe esse pollutos, qui beatam Virginem immunem a peccato originali habent.

2. Leo X., anno 1518 in sua constitutione incipiente: „Pia Christifidelium et praesertim in Immaculatae Con-

---

[1]) Hanc epistolam, quam inter alios refert Bellarminus lib. de script. eccl., nonnulli habent supposititiam; Gallandius in sua bibliotheca Patrum tom. I, cp. 5. nec non Woog protestans genuinam eam reputant. Cfr. L'immaculée Conception de la bienheureuse Virge Marie par Malou, évêque de Bruges-Bruxelles 1857 pag. 32.

[2]) Cfr. Sedlmayr l. c. art. IX, n. 389 sqq.

ceptionis b. Mariae Virginis, Redemptoris nostri Jesu Christi Genitricis honorem tendentia vota ad exauditionis gratiam libenter accepimus" Conceptioni Virginis titulum „Immaculatae" tribuit.

3. S. Pius V. non solum censuravit propositionem Baji sequentem: „Nemo praeter Christum est absque peccato originali; hinc b. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis," „sed praeterea, ut ait Perrone,[1]) alia edita constitutione, qua decreta hactenus hac de re tum a praedecessoribus suis tum a Tridentina Synodo lata in suo vigore ac robore perseverare declarat, facultatem defendendi alterutram in disputationibus sententiam concedit, servatis tamen, quae a Sixto IV., in suis Constitutionibus, quas innovat, sunt praescripta: vetat insuper, quominus quispiam aut in publicis concionibus aut in libris vernacula lingua vulgatis hanc quaestionem pertractet sub gravibus poenis illico subeundis." Festum quoque Conceptionis Romano breviario stabiliter inseruit atque fecit, ut cultus Conceptionis Marianae in omnibus esset aequalis cultui Nativitatis, praescribendo nempe, ut ea omnia recitentur in Missa et officio Conceptionis, quae leguntur in Nativitate voce „Nativitatis" in vocem „Conceptionis" immutata.

4. Gregorius XIII. in constitutione „Provisionis nostrae" anno 1579 promulgat Bullam „Ex omnibus" a Pio V. conceptam, in qua inter alias propositiones Bajanas etiam propositio 73. supracitata damnatur et quidem in rigore et proprio sensu auctoris.

5. Clemens VIII. in constitutione „Pastoralis" a. 1598 catechismum Bellarmini approbavit. Ad interrogationem: „Quid significat in salutatione angelica, „gratia

---

[1]) L. c. pag. 43; cfr. Institutionum moralium p. II, a Victore Azorio. Cremonae 1622 — cp. XXI.

plena" respondetur: „Maria Virgo nullius peccati macula nec originalis nec actualis nec mortalis nec venialis infecta fuit." Praeterea Clemens VIII., in nova romani breviarii reformatione festum et officium Conceptionis sub ritu duplicis majoris celebrari praecepit.

6. Paulus V. in constitutione „Regis Pacifici" imponit contrariae sententiae pro publicis concionibus, lectionibus aliisque publicis actibus arctissimum silentium, vocem relinquens soli piae sententiae. In brevi ad Philippum III., Hispaniarum regem dato idem Pontifex Conceptionem b. Virginis nominat „immaculatam" indulsitque fratribus minoribus pro singulis sabbatis non impeditis festo novem lectionum recitare officium illud Conceptionis, in quo „immaculata" Conceptio praedicatur.

7. Gregorius XV., Pauli V. successor, a. 1622 per decretum s. Congregationis Inquisitionis gravibus sub poenis prohibuit, ne quis sive in actis publicis sive in privatis, scriptis aut colloquiis assereret, b. Virginem in peccato fuisse conceptam expunxitque e sacra liturgia vocem „sanctificationis," qua antea nonnulli pro „Conceptionis" voce sive in Missa sive in Breviario utebantur.[1])

8. Alexander VII. in sua constitutione „Sollicitudo omnium Ecclesiarum" ait, „se velle praedecessorum suorum exemplo favere nec non tueri pietatem et devotionem hanc colendi et celebrandi beatissimam Virginem, praeveniente scilicet Spiritus sancti gratia a peccato originali praeservatam;" commendatur praeterea pietas sentientium, ejus (b. Virginis) animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse, speciali Dei gratia et privilegio intuitu meritorum Jesu Christi ejus filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem." Declarat porro in eadem constitutione, praedecessores suos piae sententiae constanter favisse ideoque festum immaculatae Conceptionis

---

[1]) Cfr. Perrone l. c. pag. 46.

in Romana Ecclesia instituisse, officium ordinasse, indulgentias concessisse, vocem publicam et privatam adversariis ademisse.

9. Innocentius XI. in brevi ad Leopoldum I. Imperatorem Conceptioni b. Virginis tribuit titulum „Immaculatae“ testaturque officium de Conceptione b. Virginis, quod ab antiquissimo tempore ab Apostolica sede permissum in Ecclesia recitatur, non prohiberi addens: „Neque enim imminuere ullo pacto volumus Deiparae cultum, sed potius, quoad fieri potest, augere et multiplicare.

10. Gregorius XVI., decreto s. Rituum Congregationis omnibus episcopis petentibus concessit, ut in festo Conceptionis adjiceretur praefationi Missae „et te in conceptione immaculata“ nec non litaniis lauretanis salutatio „Regina sine labe originali concepta.“ Non exiguae laetitiae praestitit argumentum libellus supplex,[1]) quem anno 1843 die 10. Decembris nomine totius Praedicatorum ordinis magister generalis sanctissimo Pontifici obtulit: „ut de apostolica benignitate concedere universo suo ordini Praedicatorum dignaretur indultum, deinceps, juxta proprium ritum, festum Conceptionis Deiparae celebrandi cum octava solemni, prout celebrantur festa Annuntiationis, Assumptionis ac sanctissimi Rosarii b. Mariae Virginis, necnon ut praefationi Missae Conceptionis beatae Mariae Virginis adderetur verbum „immaculata,“ uti ex Apostolica concessione fieri assolet penes ordines s. Francisci. Quibus precibus a Sanctitate sua peramanter exceptis, de speciali gratia benigne annuit juxta petita.

En exitus controversiae, quae a tenuibus parvisque exorta principiis post plurimas tot saeculorum dissensiones eo pervenit, ut immaculata s. Deiparae conceptio qua pia sententia principatum ubique tenuerit et

---

[1]) Cfr. Perrone l. c. pag. 49.

11. per Pium IX., immortalis memoriae, die 8. Decembris a. 1854 bulla „Ineffabilis Deus“ [1]) toto terrarum orbe applaudente ad dogmatis declarati dignitatem elevata sit.

c. Testimonia Conciliorum:

1. Concilium Ephesinum a. 431 contra Nestorium habitum tribuit b. Virgini titulum „Matris Dei.“ Sed quia Mater Dei, ideo nullatenus maculari potuit. „Plus enim gratiae illi collatum est, inquit s. Augustinus, [2]) ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere et parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum.“

2. Concilium Lateranense I, sub Martino I., a. 649 celebratum in canone 3 ita definivit: „Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem, Dei genitricem sanctam semperque Virginem immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum verbum specialiter et veraciter, qui a Deo Patre ante omnia saecula natus est, in ultimis saeculorum absque semine concepisse ex Spiritu sancto et incorruptibiliter eum genuisse, indissolubili permanente et post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit.“ Immaculata dici nequit, quae semel maculata fuit — sicut nec incorrupta, quae semel corruptionem passa est.

3. Synodus generalis VI. in epistola synodica s. Sophronii Hierosolymitani ad Sergium Constantinopolitanum declarat: „Uterum, qui virginitatis resplendebat castitate Mariae sanctae .... et ab omni inquinamento liberae.“ Pronuntiatur ergo b. Virgo, quum inquinamentum morale sit peccatum, libera ab omni peccato.

4. Concilium Basileense anno 1439 in sessione 36 [3]) ita definit: „Nos diligenter inspectis auctoritatibus et rationibus, quae jam a pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinae coram hac s.

---

[1]) Cfr. App [2]) De nat. et grat. cp. 36. [3]) Anno 1439 die 15. Oct. celebrata; cfr. Harduini Acta Conc. tom. VIII, col. 1266.

Synodo allegatae sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis et matura consideratione pensatis, doctrinam illam disserentem, gloriosam Virginem Dei Genitricem Mariam praeveniente et operante divini Numinis gratia singulari nunquam actualiter subjacuisse originali peccato; sed immunem semper fuisse ab omni originali et actuali culpa, sanctamque et immaculatam; tamquam piam et consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicae, rectae rationi et sacrae Scripturae, ab omnibus catholicis approbandam fore, tenendam et amplectendam definimus et declaramus, nullique de caetero licitum esse, in contrarium praedicare seu docere."

Concilium Basileense, quum hoc pro Immaculata s. Deiparae Conceptione decretum edidit, dissentiente quidem summo Pontifice fuit continuatum, sed a Nicolao V. in Bulla „Ut pacis" quoad omnia et singula confirmatum est exceptis iis, quae de auctoritate concilii et depositione Eugenii Papae fuerunt sancita.

5. Concilium Tridentinum in sessione quinta [1]) editis de peccato originali canonibus haec verba adjunxit: „Declarat tamen haec ipsa s. Synodus, non esse suae intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato

---

[1]) Anno 1546 die 17. Junii. Juxta Pallavicini Istoria del Concilio di Trento lib. 7 cp. 7 plerique patres Tridentini steterunt pro pia sententia et duae tertiae eorum partes numero excedentes consenserunt in verba: „Quam (b. Virginem) pie creditur absque peccato originali fuisse conceptam;" sed post longiores disputationes plerique satius duxerunt, nihil oppositae sententiae detrahendum. Etiam Ambrosius Catharinus, qui tunc temporis Concilio interfuerat, profitetur in suo opere „disputatio pro veritate immaculatae Conceptionis beatissimae Virginis" sibi cum admodum paucis non placuisse, speciali decreto sententiam de immaculata Conceptione Virginis ita probari ac statui, ut jam ulterius non liceret cuiquam ea de re secus vel asserere vel opinari et addit rationem, „quod consultius per conditionem temporum videbatur prius adversus haereses manifestas intendere, tum illa aggredi, quae inter catholicos controversa, digna viderentur decisione." Cfr. Perrone l. c. pag. 42.

originali agitur, beatam et „immaculatam" Virginem Mariam Dei Genitricem, sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papae IV., sub poenis in his constitutionibus contentis, quas innovat."

d. Testimonia ss. Patrum.

„Sancti omnes hujus rei mentionem facientes, asserit confidenter Melchior Canus,[1]) uno ore asseverant, b. Virginem in originali peccato conceptam esse." Quantopere Canus a veritate deflexerit, sine dubio operae pretium erit inquirere. Percurramus ergo saecula, quorum singula patronos privilegii Mariani plus minusve explicitos nobis exhibebunt.

1. I. et II. saec.

S. Ignatius Martyr[2]) b. Virginem nominat immaculatam. „Qui nunc novissimis diebus propter nos venit, inquit antistes Alexandrinus Dionysius,[3]) non in figura ignis, sed conceptus in ventre virginis Mariae, superveniente Spiritu sancto in eam: et Matrem incorruptam, a pedibus usque ad caput benedictam servavit, sicut ipse solus novit modum conceptus et ortus sui. Haec est, quam Jsaac praevidens, dicebat Jacob: Det tibi Dominus benedictionem coeli desuper et benedictionem terrae habentis omnia. Qui enim e coelo descendit Unigenitus, Dei Verbum, gestatum est in utero et genitum ex paradiso virginali habente omnia." S. Justinus Martyr de Verbo loquens[4]) dicit, ipsum „ex Virgine hominem esse factum, ut qua via initium orta a serpente inobedientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet. Eva enim quum Virgo esset et incorrupta, sermone serpentis concepto inobedientiam et mortem peperit. Maria autem Virgo, quum fidem et gaudium percepisset nuntianti Gabrieli laetum nuntium, nempe

---

[1]) De loc. lib. VI, cp. I, f. 217; cfr. Cajetanus tract. De conceptione b. Virginis cp. 5 pag. 140. [2]) Epist. ad s. Joannem. [3]) Epist. adv. Paulum Samosatenum ad quaest. X. [4]) In dial. cum Tryphone n. 100.

Spiritum Domini in eam superventurum, et virtutem Altissimi ei obumbraturam . . . respondit: „Fiat mihi secundum verbum tuum.“ Comparationis vis in eo sita est, quod sicut Eva adhuc incorrupta postea origo humani generis exitii fuit, ita b. Virgo inviolata et a quovis peccato immunis causa nostrae salutis facta est.

2. III. et IV. saec.

S. Hippolytus Martyr b. Virginem nominat „lignum incorruptibile.“ „Dominus, inquit,[1]) peccati expers erat et ex lignis putrefactioni non obnoxiis secundum hominem, hoc est ex Virgine et Spiritu sancto. Origines antithesin instituens Patrem coelestem inter et matrem terrenam „non indiget (Christus), scribit,[2]) patre super terram; incorruptibilem enim habet patrem in excelsis. Non indiget matre in coelo, immaculatam et castam habet matrem in terra, hanc multum beatam Virginem Mariam.“ S. Gregorius Thaumaturgus vocat b. Virginem[3]) „inviolatam et omnino immaculatam“ — „solam Virginem corpore et spiritu“ i. e. nullatenus neque quoad corpus neque quoad animam corruptam. Gloriosissime loquitur de s. Deipara s. Ephraem Syrus appellando eam[4]) „immaculatam, immaculatissimam, novam maxime ac divinam largitionem, omnino immaculatam, semper benedictam, Evae pretium redemptionis, fontem gratiae, templum divinissimum, sedem Dei puram, quae draconis nequissimi caput contrivit, quae semper fuit tum corpore tum anima integra et immaculata.“ Nec minus attestatur hanc praerogativam s. Ambrosius nominans[5]) b. Virginem „incorruptam, Virginem per gratiam, ab omni labe peccati integram.“ Celeberrimo Mediolanensi Archiepiscopo consonat d. Hieronymus,[6])

---

[1]) In orat. in illud: „Dominus pascit me.“ [2]) Homil. III, in divers. [3]) De Annunt. B. Virg. [4]) In Orat. ad sanctiss. Dei Genitricem; cfr. Passaglia l. c. tom. II, pag. 547; Malou l. c. p. 19. [5]) Serm. XXII, in Ps. CXVIII. [6]) Comment. in Eccles. op. X.

qui Christum appellat „Filium liberae non de ancilla Agar, sed de Sarae libertate generatum“ i. e. de Virgine peccato nunquam obnoxia.

3. V. et VI. saec.

S. Augustini textum classicum ex libro „de natura et gratia“ depromptum jam antea in medium tulimus.[1]) Julianus pelagianus quum s. Antistitem arguisset, quod doctrinam de universali in omnes homines peccati propagatione defendendo infensior esset Mariae, quam ipse Jovinianus „ille, inquiens, virginitatem Mariae partus conditione dissolvit“ — tu ipsam Mariam diabolo nascendi conditione transcribis,“ respondit s. Augustinus: „Non transcribimus diabolo Mariam conditione nascendi; sed ideo, quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi.“[2]) „Ideo negat, ait Perrone,[3]) se Mariam diabolo transcripsisse „conditione nascendi,“ quia haec ipsa nascendi conditio, nempe conceptio carnalis et activa, ut loquuntur, gratia renascendi soluta est.“ Huc quoque spectat nomen a s. Proclo Constantinopolitano b. Virgini ascriptum „innocentiae sacrarium.“[4]) Quomodo enim posset nominari „innocens,“ si ullo tempore in peccato fuisset?

4. VII. et VIII. saec.

S. Joannes Damascenus appellat b. Virginem „paradisum, ad quem serpens antiquus aditum non habuit“ ideoque peccati originalis venenum in eam transfundere haud valuit. „Ad hunc enim paradisum, scribit,[5]) serpenti aditus non patuit, cujus falsae divinitatis cupiditate flagrantes jumentis sumus comparati. Ipse enim Unigenitus Dei Filius, quum Deus esset ejusdem ac Pater substantiae ex hac virgine ac pura terra se ipsum in hominem formavit.“ Juxta Paschasium Radbertum[6])

---

[1]) Cfr. pag. 12. [2]) Contra Julianum lib. IV, cp. 122; cfr. Passaglia tom. II, pag. 547; Malou tom. II, pag. 70. [3]) L. c. pag. 92. [4]) Orat. 6 de Dei Genitrice. [5]) Orat. de Assumpt. B. Virginis. [6]) In Bibl. Max. Patrum tom. XII, pag. 566; cfr. Malou l. c. tom. II, pag. 97.

„constat, b. Virginem ab omni originali peccato immunem fuisse, per quam non solum maledictio matris Evae soluta est, verum etiam et benedictio omnibus condonatur .... Sed eximiae pietatis honorem vobis et decus virtutis beatissimae Virginis pudicitiam praedicare incorruptam et incontaminatam, et ab omni contagione primae originis confiteri alienam."

5. IX. et X. saec.

„Pro illa (Eva), inquit Joannes Geometra,[1]) quae male cum diabolo sermones miscuit, ea (Maria) seligitur, quae semper cum Deo conversata est." Nicetas Paphlagoniensis conceptionem miraculosam hisce narrat verbis:[2]) „Torrentem malitiae in se ipsa sistens, fragrantiae fluvium in universam terram effudit." „Honoremus (b. Virginem), inquit idem auctor,[3]) non solum, quod ex matre sterili secundum carnem prodierit; sed multo magis, quod per supernam gratiam, secundum spiritum, nata sit."

6. XI. et XII. saec.

S. Petrus Damiani merito hic affertur docens, Virginis carnem, tametsi ex Adamo desumptam, ejusdem tamen Adae maculas non desumpsisse. „Caro Virginis, inquit,[4]) ex Adamo assumpta, maculas Adae non admisit." Nec minus emphatice s. Anselmus b. Virginis Conceptionem immaculatam praedicat. „Decebat, scribit,[5]) ut illius hominis (Christi) conceptio de matre purissima fieret. Nempe decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius: et quam ipse Filius sub-

---

[1]) Joa. Geom. ap. Maï, Script. vet. tom. IX, p 630. [2]) Hom. in s. Deiparae Nat. Diem. [3]) l. c. [4]) Serm. de Assumpt. B. M. V.; cfr. Passaglia l. c. tom. II, pag. 534; Malou l. c. tom. II, pag. 117. [5]) De Conceptu virginali cp. 18.

stantialiter facere sibi matrem eligebat; et de qua Spiritus sanctus volebat et operaturus erat, ut conciperetur et nasceretur Illud, de quo ipse procedebat." D. Anselmo adhaeret s. Bruno, Carthusianorum institutor, dicens: [1]) „Haec Virgo est incorrupta terra, cui benedixit Dominus, ab omni propterea peccati contagione ibera, per quam vitae viam agnovimus et promissam veritatem accepimus." S. Germanus Constant. salutat [2]) b. Virginem, qua „tabernaculum non manufactum atque a Deo conditum, in quod semel in consummatione saeculi solus Deus ac summus Pontifex introivit."

7. XIII. et XIV. saec.

S. Petrus Paschasius Grienensis nominat [3]) b. Virginem eam, „de qua proverbia Salomonis loquuntur, quod ante omnem creaturam fuit electa, ut Mater Dei esset: ergo fuit omni tempore in gratia Dei" . . . . „Si Virgo Maria labem originalis maculae attraxit, dicendum esset, quod aliquo tempore fuit in ira Dei, quod nec dici nec credi debet." S. Birgittae principi revelavit [4]) beatissima Virgo: „Veritas est, quod ego fui concepta sine peccato originali."

8. XV. XVI. et XVII. saec.

Splendidissimum testimonium nobis exhibet s. Vincentius Ferrerius ita de s. Deipara loquens: [5]) „Nota sex gradus sanctificationis . . . . Sextus gradus et super alios omnes est sanctificatio Virginis Mariae, quia non quando debuit nasci, nec in ultimo die, nec hebdomada, nec mense, sed in eodem die et hora, formato corpore, et anima creata; quia tunc fuit rationalis et capax sanctificationis, statim fuit sanctificata . . . Quando enim corpus

---

[1]) In Ps. CI, pag. 400. [2]) In Bibl. Patr. Graec. Latin. tom. II, pag. 457. [3]) De mysteriis B. M. V. tit. 23 de Virgin; cfr. Malou l. c. tom. II, pag. 136. [4]) Revel. lib. VI, cp. 49. Revelationes s. Birgittae sub tribus summis Pontificibus examinatae, laudatae et approbatae, a Bonifacio IX. in canonisatione s. Birgittae confirmatae sunt. [5]) Serm. in festo Concept. B. M. V. In festis. Serm. IV.

gloriosae Virginis fuit organizatum et lineatum, et anima conjuncta corpori per creationem, tunc „Altissimus sanctificavit tabernaculum suum.“ Dignissimus est quoque s. Bernardinus Senensis, qui audiatur. „Tertia sanctificatio, inquit,[1]) est maternalis; haec removet culpam originalem et confert gratiam; haec removet etiam pronitatem ad peccandum tam venialiter quam mortaliter. Et haec fuit in B. Virgine Maria, Matre Dei. Sane Deus ipse aeternus, sicut mira sua sapientia creavit omnia, sic illam benedictam Matrem suam talem condidit et sanctificavit in tempore, qualem eam sanctam elegit in sua aeternitate; et talem tam nobilitate naturae, quam perfectione gratiae condidit matrem, qualem eam decebat habere suam gloriosissimam majestatem; qui in ea et de ea debebat sumere, quod in aeternum sibi erat unitum unitate personae, de quo exiret pretium totius liberationis, justificationis et beatificationis humanae.“ Quibus testibus adjiciamus s. Thomam a Villanova dicentem:[2]) „Decuit Matrem Dei esse purissimam sine peccato; unde anima, quando infusa est, nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati,“ et s. Franciscum Salesium ita testantem:[3]) „Quum optimus Deus praeparare sibi Matrem deberet secundum cor suum, Redemptionem suam ei applicatam voluit instar remedii praeservativi, ne peccatum, quod de generatione in generationem transfundebatur, ad eam perveniret.“

Quaenam ergo nubes testium pro hoc sublimissimo s. Deiparae privilegio dimicantium! Quale certamen ardentissimum qualeque studium illud praedicandi encomiisque pulcherrimis celebrandi indefessum! Nullum profecto saeculum, quod non suos exhibuerit testes suosque hujus veritatis patronos. Et quid, ni temporum decursu et bellorum vicissitudinibus numerosissima Orientis et Occi-

---

[1]) De immac. Concept. B. M. V. Serm. IV. [2]) De laud. B. Virg. lib. I. [3]) Tract. de amore Dei p. I, lib. II, cp. 6.

dentis prorsus deleta fuissent documenta? Nonnullae ecclesiae orientales, uti ecclesia Armeniensis, paucissimos conservarunt Veterum libros; nihilominus Conceptionis immaculatae b. Virginis fidem intactam ibi reperimus et incolumem. Ipso Mahomede impostore utebatur providentia divina, ut hanc in suo Alcorano haereditarit fidem.[1]) Quotnam existunt dogmata traditione tam clare totiesque expressa dogmate illo, de quo nobis sermo?

Omnium testium duces admiramur ss. Augustinum et Chrysostomum, hunc Orientalium ducem, Occidentalium illum. Traditio orientalis et occidentalis progrediuntur usque ad saeculum decimum septimum altera alteri fere prorsus ignota. Quare d. Bernardus anno 1140 „veterum traditionem non continere fidem immaculatae Conceptionis" et Richardus a s. Laurentio[2]) anno 1220, „a sanctis patribus pauca de ea dicta esse" asserere non dubitarunt.

De Conceptionis immaculatae doctrina inter Ecclesias orientales nunquam exoriebatur dissensio. Fidem fidelium profundissimam testatur Julianus Pelagianus in sua cum s. Augustino controversia, cujus supra mentionem fecimus. Veritas haec gravissima cum omnibus Incarnationis et Redemptionis mysteriis tam intime connexa per quindecim saecula in illa non potuisset sine dissensione doceri ecclesia, in qua atrocissima potioribus fidei dogmatibus bellum indixerat haeresis, nisi doctrina Apostolorum et ss. Patrum nec non fide communi fuisset fundata.[4]) Qua consensione

---

[1]) Cfr. Malou l. c. tom. II, pag. 27. „Muhammed im Koran spricht sich über die unbefleckte Empfängniß der Mutter Jesu ziemlich deutlich aus, scribit Oswald l. c. pag. 35, — daher die lächerliche Verläumdung bei Gibbon z. B. die Christen hätten den Lehrsatz aus dem Islam entnommen. Außerkirchliche Denker, wie z. B. Jakob Böhme der Theosoph, haben die unbefleckte Empfängniß der Gottesmutter anerkannt." [2]) De laudibus B. M. V. lib. XII, l. I, cp. 2. [3]) Cfr. Malou l. c. tom. II, pag. 160 sqq. [4]) „Conditio junioris Germani (Germani II, Patriarchae Constantinopolitani), apprime A. Ballerini in Syll. monum. tom. II, p. 289), quicum incassum ceciderunt Gregorii IX. curae ad

maxime se permotum fatetur Petavius, ut hanc amplecteretur veritatem. „Movet me autem, inquit, ut in eam sim partem propensior communis, maxime sensus fidelium omnium, qui hoc intimis mentibus alteque defixum habent, et quibus possunt indiciis, officiisque testantur, nihil illa Virgine castius, purius, innocentius, alieniusque denique ob omni sorde ac labe peccati procreatum a Deo fuisse.“ [1]) Sic ille.

At nonne, patres celeberrimi, nempe s. Bernardus, s. Bonaventura et s. Thomas privilegium illud s. Deiparae denegandum esse apertis proclamarunt vocibus?

Esto, quod ss. Doctores Angelicus, Seraphicus necnon Mellifluus b. Virginem universali originalis peccati legi subjacuisse asseruerint, quid inde sequetur? „Unius aut alterius sanctorum auctoritas, scribit Melchior Canus,[2]) etiam in his, quae ad sacras literas et doctrinam fidei pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest, firmum vero non potest. Quod quum Sanctorum quisque his duntaxat exceptis, qui libros canonicos ediderunt, spiritu fuerit humano locutus, et aliquando vel in eo errarit, quod ad fidem spectare postea demonstratum est, aperte constat ex hujusmodi auctoritate exploratam fidem fieri non posse.“ Inquiramus ergo paucis, quidnam habendum sit de clarissimorum illorum Ecclesiae Doctorum opinione.

I. Canonici Ecclesiae Lugdunensis quum festum Immaculatae Conceptionis in aliquibus dioecesibus jam

---

Graecos, unicae verae Ecclesiae reconciliandos impensae, adhuc majus ejusdem testimonio robur addit. Nam quum utrique dissidentium parti communem eam doctrinam comperiamus, neque ulla ea de re quaestio mota sit in collationibus inter Gregorii IX. legatos et Graecos episcopos, Germano duce coactos, institutis, plane conficitur ejusmodi doctrinam graeco ipso schismate antiquiorem esse, eoque etiam oborto pacifice utrobique obtinuisse.“ Cfr. Malou l. c. tom. II, pag. 162.

[1]) De Incarnatione XIV, 2. 10. [2]) De loc. lib. VII, cp. 3.

celebratam propter suam in s. Deiparam pietatem adoptare voluissent, Doctor Mellifluus hoc aegerrime ferens celebrem illam scripsit epistolam,[1]) qua hunc cultum sub dubio exhibuit canonicosque ut inconsultae novitatis molitores vehementer objurgavit. „Unde miramur satis, inquit, quod visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus ecclesiasticus nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio .... Nam si sic videbatur, consulenda erat prius apostolicae Sedis auctoritas, et non ita praecipitanter atque inconsulto paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Et ante quidem apud aliquos errorem compereram, sed dissimulabam, parcens devotioni, quae de simplici corde et amore Virginis veniebat. Verum apud sapientes, atque in famosa nobilique Ecclesia, et cujus specialiter filius sum, superstitione deprehensa, nescio an sine gravi offensa etiam vestri omnium dissimulare potuerim. Quae autem dixi, absque praejudicio sane dicta sint sanius sapientis: Romanae praesertim Ecclesiae auctoritati atque examini totum, sicut et caetera, quae hujusmodi sunt, universa reservo, ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare."

a. Non defuere, qui hanc s. Bernardi epistolam genuinam esse negaverint. Quibus optimo jure respondet Raynaudus:[2]) „Nisi tamen omnes divi Bernardi epistolas ei abjudicare placeat, hanc quae omnium maxime Bernardum sapit, alteri tribuere tamquam germanum fetum plane prohibemur." Neque aliter loquitur Mabillonius[3]) testans, omnia manuscripta epistolae authentiam declarare. „Ad emendationem (epistolarum) quod attinet, varios variarum bibliothecarum codices consuluimus, Vaticanos, Colbertinos, Belgicos sancti Petri apud

---

[1]) Epist. 174; edit. Montfaucon. n. 1. [2]) In Diptychis Marianis tom. VII, p. 48. [3]) Praef. in op. s. Bernardi nn. XV, et XVI.

Gandavum et Aureaevallis, praeter eos, quibus in priori editione usi fuimus. . . . . Ad servandum antiquum ordinem epistolarum movebat primo antiquitas illius ordinis, quem ipso Bernardo adhuc vivente institutum fuisse constat, nimirum pro trecentis illis ac decem epistolis, quarum ultima est ea, quae ad Arnoldum Bonaevallis abbatem a Bernardo extrema scripta fuit.“ [1]) Traditio porro semper s. Bernardum hujus epistolae recognovit auctorem. Adhuc vivens impugnabatur tractatu quodam „de conceptione“ inscripto. Nonne Mellifluus illam epistolam a se esse scriptam negasset, si re vera auctor non fuisset. Post mortem suam omnes fere scholastici documentum illud habuere authenticum, uti Albertus Magnus, Alexander de Hales, s. Thomas, s. Bonaventura etc.

b. Alii contendunt, s. Bernardum hic non loqui de passiva, sed de activa conceptione. Ita Doctor Seraphicus sentire videtur. „Non huic obviant, inquit, [2]) dicta Bernardi. Potius enim intendit excludere errorem, ne quis credat Virginem sanctificatam in conceptione (activa scilicet, ut ait Perrone l. c., praecedente animae infusionem, de qua loquitur,) quam erga Virginem devotionem nostram minuere.“ Ac objecto sibi hoc Bernardi contextu: „Nec in ipso conceptu (sanctificari poterat) propter peccatum, quod esset in parentibus, quia potuissent ipsam concipere sine peccato: ergo dicit: Propter causam peccati, quae erat in carne. Ergo videtur, quod sanctificatio (Virginis) non fuerit ante infusionem animae.“ Idem docet Albertus Magnus. „Dicimus, inquit, [3]) quod b. Virgo non fuit sanctificata ante animationem, et qui dicunt oppositum, est haeresis condemnata a b. Bernardo in epistola ad Lugdunenses et a magistris omnibus parisiensibus.“ Addit dein textum s. Bonaven-

---

[1]) Consentiunt Benedictus XIV, de festis B. M. V. cp. XV; Perrone l. c. pag. 20, Dom Clémencet dans l'historie littéraire de s. Bernard p. 107; Malou l. c. tom. II, pag. 432 sq. [2]) In III, dist. III, q. 1 ad 4. [3]) In III, dist. III, a. 4.

turae supracitatum. Plenissime illis inter alios consentit Perrone.[1])

Contrariam sententiam, s. Bernardum nempe de passiva, non vero de activa scripsisse conceptione, tenent inter alios Vasques[2]) et Benedictus XIV. ita loquens:[3]) „Nullum interesse discrimen s. Bernardus agnoscit inter b. Virginem et sanctos Jeremiam et Joannem Baptistam, quam quod ea uberiori gratia perfusa sit, hi non ita largiter eadem gratia donati fuerint.“

Sanctificatio b. Virginis juxta d. Bernardum sequitur ejus conceptionem. Honor, in conceptione sanctificatum fuisse, nulli attribuendus, nisi Domino nostro de Spiritu sancto concepto. Postquam s. Doctor Virginem sanctificatam fuisse negavit, ante suam conceptionem, proponit sibi quaestionem, num forse in conceptione sanctificata fuerit? Etiam hoc apertis negat vocibus dicens, se quidem legisse, Spiritum sanctum in Mariam venisse, sed non cum Maria et addit: „Si igitur ante conceptum sui sanctificari minime potuit, quoniam non erat; sed nec in ipso quidem conceptu, propter peccatum, quod inerat; restat, ut post conceptum, in utero jam existens sanctificationem accepisse credatur, quae, excluso peccato, sanctam fecerit nativitatem, non tamen et conceptionem.“ Etiam cla. Malou in opere suo pluries citato Benedicti XIV., opinionem defendit[4]) rationesque, cur s. Doctor errare potuerit, allegat.[5])

---

[1]) L. c. pag. 148. [2]) Tom. II, in III, q. 27 disp. 117 cp. 8. [3]) L. c. cp. XV. [4]) „Saint Bernard parle constamment, inquit l. c. tom. II, p. 435, de la Conception passive de Marie, et de sa personne. Il considere la conception, dont il parle, comme unie à la naissance de la mère de Dieu; il nie que de la sainteté de sa naissance on puis déduire la sainteté de sa conception. Il s'occupe toujours de ce qui arriva à Marie, sanctificata, concepta, cum ea, etc. Il est impossible de lier les propositions qu'il avance, lorsqu'on veut les entendre seulement de la conception active des parents, ou de la conception matérielle antérieure à l'animation.“ [5]) Tom. II, pag. 437: „En Occident on ignorait le culte de l' Orient où la

II. Venimus ad s. Bonaventurae opinionem.

„Hic unus est inter quatuor primores scholasticos, inquit Piazza,[1]) de quo fateri cogimur, contrariae sententiae propugnatorem fuisse in lib. 3 Sent. dist. 3 art. 1. quaest. II. S. Bonaventura clarius prae caeteris tangens punctum praesentis controversiae inquirit: „Utrum anima beatae Virginis sanctificata fuerit ante originalis peccati contractionem?" Ipse vero sententiae neganti adhaeret." In eodem sententiarum libro[2]) de Conceptionis festo ita loquitur: „Nullius conceptionis solemnitatem celebrat Ecclesia, nisi solius Filii Dei in Annuntiatione B. M. Virginis. Sunt tamen aliqui, qui ex speciali devotione celebrant conceptionem b. Virginis, quos nec omnino laudare nec simpliciter reprehendere audeo. Non omnino approbare audeo, pro eo, quod s. Patres, qui alias solemnitates Virginis Spiritu sancto docente statuerunt, qui etiam magni amatores et veneratores b. Virginis fuerunt, conceptionem Virginis solemnizare non docuerunt . . . Non etiam audeo omnino reprehendere, quia, ut quidam dicunt, haec solemnitas celebrari non coepit humana inventione, sed divina revelatione: quod si verum est, sine dubio bonum est, solemnizare in ejus Conceptione: sed quia hoc authenticum non est, non compellimur credere; quia etiam contra fidem rectam non est, non compellimur negare." Ita ille.

Posito, s. Doctorem in locis citatis contra piam sese declarasse sententiam, nemo tamen est, qui nesciat, eum huic subscripsisse et quidem apertissimis verbis in scriptis

---

fête était célébrée depuis des siècles; en France on ne savait pas que l'église de Naples la solennisait depuis longtemps. Les éléments nécessairs à une discussion approfondie manquaient donc à cette époque: on en était réduit aux conjectures, aux déductions laborieuses, aux hypothèses. Aussi s. Bernard ne prononce-t-il point un jujement définitif."

[1]) Causa immaculatae Conceptionis Panormi 1747 Act. 8 a. 1 Test. 4 apud Perrone l. c. pag. 28. [2]) Lib. 3 sent. dist. 3 quaest. 1.

posterioribus. Audiamus ipsum loquentem: „Domina nostra, inquit,[1] fuit plena gratia praeveniente in sua sanctificatione, „gratia scilicet praeservativa contra foeditatem originalis culpae,“ quam contraxisset ex corruptione naturae; nisi speciali gratia praeventa praeservataque fuisset. Solus enim Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis et ipsa Mater ejus Virgo. Credendum est enim, quod novo sanctificationis genere, in ejus conceptionis primordio Spiritus sanctus eam a peccati originali (non quod infuit, sed quod infuisset) redemit atque singulari gratia praeservavit.“

III. Quod magni Aquinatis attinet sententiam, alii theologi eum immaculatae s. Deiparae Conceptionis patronum, alii ejusdem fecere adversarium. Et quidem jure merito; inveniuntur enim in Doctoris Angelici operibus nonnulli textus, qui privilegium, de quo agimus, formaliter negant aliique, in quibus illud expressis asseritur terminis.

Negatur 1. in III. Sententiarum:[2] „Sanctificatio b. Virginis, inquit, non potuit esse decenter ante infusionem animae, quia gratiae capax nondum erat; sed nec etiam in ipso instanti infusionis, ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret. Christus enim hoc singulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat, quia caput nostrum est, sed omnibus convenit redimi per ipsum; hoc autem esse non posset, si alia anima inveniretur, quae numquam originali macula fuisset infecta, et ideo nec beatae Virgini, nec alicui, praeter Christum, hoc concessum est.“

2. Eadem tradit s. Doctor in sua Summa theologica,[3] ubi ita: „Respondeo dicendum, quod sanctificatio

[1]) In Serm. II, de b. Maria Virgine tom. III, opp. edit. Rom. 1569. A. s. Bonaventura Conceptionis festum celebrari coepit in Ordine suo. [2]) In III. Sent. dist. II, q. 1. a. 1. q. 2. [3]) Summ. theol. III, p. q. XXVII, art. II. c.

b. Virginis non potest intelligi ante ejus animationem duplici ratione . . . . Unde relinquitur, quod sanctificatio b. Virginis fuerit post ejus animationem."

3. In sua expositione angelicae Salutationis[1]) sequentia legimus: „Primo (Maria Virgo) plena fuit gratia expiante in sua sanctificatione; fuit ergo Domina nostra plena gratia expiante contra foeditatem originalis culpae, quam contraxit in corruptione nostrae naturae. Solus enim Filius Virginis ab originali fuit culpa immunis, a qua quidem b. Virgo sanctificata fuit in ventre matris per gratiam." Antiquus hujus Commentarii textus, qua octavum s. Thomae opusculum editus, non quidem haec verba, sed eandem continet doctrinam. „Peccatum aut est originale, et de isto fuit mundata in utero; aut mortale, aut veniale, et de istis libera fuit . . . Christus excellit b. Virginem in hoc, quod sine originali conceptus et natus est; b. autem Virgo in originali est concepta, sed non nata."

Hisce testimoniis, quae praerogativam b. Virginis apertissime negant, non obstantibus, plurimi maximae auctoritatis theologi, s. Doctorem illi favisse declarant. „Constanter, inquit inter alios Perrone,[2]) sententiae de immaculato Virginis Conceptu s. Thomas adhaesit." Quod probatur

1. ex I. Dist.[3]) „Puritas intenditur per recessum a contrario, scribit Angelicus, et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla peccati contagione peccati inquinatum sit; et talis fuit puritas b. Virginis, quae peccato originali et actuali immunis fuit; fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum."

Duo juxta Perrone[4]) hic sedulo sunt animadvertenda:

---

[1]) Opusc. VIII, p. 75 edit. Antv. 1612; cfr. Malou l. c. t. II, p. 468 sq. [2]) L c. pag. 242. [3]) In I, Dist. 44. q. 1. a. 3. ad 3. [4]) L. c. pag. 256.

„Primo, quod Angelicus eadem ratione dixerit, b. Virginem immunem ab originali peccato fuisse, qua eam immunem ab actuali noxa asseruit: jamvero ideo extitit immunis Virgo Maria ab actuali peccato, quia nunquam illud admisit. Ergo e sancti Doctoris sententia immunis pariter fuit ab originali macula, quia illam nunquam incurrit. Secundo, quod comparet ejus puritatem quoad recessum a peccato cum ipsa Dei puritate, ita tamen, ut in ea, quippe mera creatura, potentia ad peccandum extiterit, quae Deo inesse non potest. Locutus proinde est Aquinas de immunitate omnimoda, quam Virgo ex divina largitate in ipso Conceptu suo adepta est.“ Sic ille.

2. In Commentario ad Salutationem Angelicam haec habentur: „Excedit Angelos quantum ad puritatem, quia b. Virgo non solum erat pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis. Ipsa enim purissima fuit et quantum ad culpam, quia ipsa Virgo nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.“ Angeli vero nunquam peccaverunt nec mentem ulla maculaverunt culpa sive originali sive actuali. Ergo idem a fortiori dicendum de Angelorum regina.[1])

---

[1]) Citatos duos textus considerans cel. Malou in suo opere pluries allegato tom. II, p. 471 non potest, quin haec profiteatur: „Mais ce qui est de nature à faire naitre une grande perplexité sur la pensée réelle de saint Thomas, c'est que dans ce nouveau texte du commentaire sur la salutation angélique, conforme à quatre manuscrits contemporains, le saint Docteur nie formellement l' Immaculée Conception, et que quelques pages plus loin il l'affirme formellement. On conçoit qu' après l'avoir affirmée dans le commentaire sur le premier livre des sentences, il l'ait niée ensuite dans le commentaire sur le troisième livre, parce qu'entre ces deux ouvrages de longue haleine, il a pu changer d'avis; mais l'on ne conçoit guère que dans un commentaire qui a pu être récité dans l'espace d'une heure ou deux, le saint Docteur ait enseigné le pour et le contre sur un même sujet. J'avoue que je ne puis résoudre cette difficulté, qui me porte à croire que saint Thomas, dans cette question peu éclaircie de son temps, a flotté et passé d'une opinion à l'autre.“ Sic ille. Aliter hac de re judicat Haine in sua disser-

3. Doctor Angelicus sibi proponit quaestionem: „Utrum b. Virgo per sanctificationem fuerit consecuta, ut nunquam peccaret.“ Et respondet affirmative. „Quum eximio et singulari quodam modo Dei filius in b. Virgine habitaverit, simpliciter fatendum est, eam nec mortale nec veniale peccatum unquam commisisse; hoc enim in filii ignominiam quodammodo vergeret.“ „Non fuisset, inquit,[1]) idonea Mater Dei, si peccasset aliquando“ tum quia honor parentum redundat in prolem secundum illud Proverbiorum XVII. „gloria filiorum, patres eorum; unde et per oppositum ignominia matris ad filium redundasset: Tum etiam, quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit: dicitur autem. 2. Cor. VI: „Quae conventio Christi ad Belial?“ Tum etiam, quia singulari modo Dei filius,

---

tatione „de hyperdulia ejusque fundamento.“ „Dato, ast minime concesso, inquit, Bernardum et Thomam contrariam sententiam tenuisse, ad summum sequeretur, hos sanctos Doctores humani quid fuisse passos, non attendentes ad ultimam doctrinae capitum sequelam. Quod tamen non ita facile quispiam adfirmaverit, quousque invicte demonstretur, eos revera privilegium divae Virginis negasse, praesertim si hinc inde textus oppositi adferri possint; qui vero contrarii esse videantur, tales reapse non sint, quibus occurri ullo modo nequeat. Regula enim hermene eutices postulat, ut loca dubia vel obscura ex aliis locis claris et perspicuis interpretemur. Jam vero quum nuspiam doctrina alicujus scriptoris certius percipiatur, quam ex principiis, quae scriptor amplectitur, si principia clara et evidentia sunt, ex iis utique loca obscura sensum suum mutuari debent. Eapropter, quo tempore scribebat Mellifluus, termini de conceptione usurpari nunc soliti quum nondum fixum haberent intellectum; quum loca ex scriptis divi Thomae desumpta et privilegio immaculatae Conceptionis in specie contraria, partim obscura sint, partim benignam patiantur interpretationem; quum praeterea principia horum scriptorum sint evidentia sponteque ducant ad conclusionem, quam Ecclesia suo doctrinali judicio firmavit, non est, cur nota inconsequentiae taxentur, quousque tandem quispiam evidenter demonstraverit, inconsequentiam revera locum habuisse.“

[1]) III, p. q. XXVII. a. 4.

qui est Dei sapientia, in ipsa habitavit: non solum in anima, sed etiam in utero: Dicitur autem Sap. I. „In malevolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis.“ Et ideo simpliciter fatendum est, quod b. Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale: ut sic in ea impleatur, quod dicitur Cant. IV: „Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.“

Cunctae hae rationes juxta Ambrosium Catharinum [1]) ordinis Praedicatorum non minus, imo magis concludunt de originali, quam de actuali peccato (veniali tamen), quum illud multo majoris sit ignominiae, et majorem constituat affinitatem cum Belial, et magis subditum reddat corpus peccato, majorique macula foedet animam, quum faciat hominem iniquum, impium, impurum, Deo inimicum, captivum denique diaboli et peccati . . . . At nihil horum fit a veniali, quod stat cum pietate et amicitia Dei. Deinde non videtur, cur Canticorum verba: „Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te“ de beatissima Virgine verificari possent, quantumcunque originale contraxisset peccatum, non autem, si in sua juventute aliquod vel minimum commisisset veniale. Nulla enim adest vox in Canticis, nec alibi in Scriptura sacra, quae vocem „macula“ ad peccata restringat actualia; nulla vox, quae idem verbum ad unum tempus potius, quam ad aliud determinet. Imo in Hebraeo non legitur verbum „est,“ sed dumtaxat, „et macula non in te,“ quasi dicere voluisset Spiritus sanctus: „nec est, nec unquam fuit.“

Si favores ampliandi, odia sunt restringenda, cur quotiescunque de s. mysterio agitur, contrarium fieri debeat, usque nunc percipere non potui.

Audiamus praeterea alium s. Dominici filium de ultimo s. Thomae textu disserentem. „Quamvis thesis sit de

---

[1]) Disp. pro verit. Immac. Concept. ad Syn. Trid. edit. Rom. 1551.

peccato actuali, inquit Marianus Spada,[1]) principia Angelici sunt universalia. Primo enim statuit, quod b. Virgo non fuisset idonea Mater, „si peccasset aliquando.“ Dictio „aliquando“ non determinat tempus, sed quodcumque tempus amplectitur: ac proinde si in primo instanti suae existentiae b. Virgo culpam habuisset originalem, non fuisset idonea Mater Dei. Deinde hoc in loco Angelicus peccatum considerat non ex parte, qua personale est et voluntarium, sed ex habitudine ad Deum, ex oppositione, quam ad Deum habet, uno verbo ex intrinseca sui deformitate, id enim probant sacra testimonia a s. Doctore allata: „Quae conventio Christi ad Belial . . . In malevolam animam non introibit Sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis.“ Non minus autem opponitur Deo, nec minus deforme est peccatum originale, quam peccatum actuale veniale. Unde consequentia est, quod b. Virgo non fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando vel originaliter vel actualiter. Eodem modo juxta d. Thomam impletur in Maria illud Canticorum: „Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te,“ quodque impleri non posset ob unius tantum peccati venialis foeditatem: multo itaque potius impleri non potuisset, si b. Virgo peccato originali, quod mortale est, foedata fuisset. Propterea sicut Angelicus concludit: „Simpliciter fatendum est, quod b. Virgo nullum actuale peccatum commisit:“ ex ejus principiis idem deducendum est de peccato originali.“

Quoad magni Aquinatis textus dogmati nostro repugnantes addere licebit, a Cardinali Lambruschini animadversum fuisse,[2]) ex collatione veterum s. Thomae

---

[1]) Animadversiones in opus Malou Episc. Brug. Rom. 1862

[2]) Sull' immacolato Concepimento di Maria. Dissertazione polemica. Venezia 1844. Palmieri idem contendit quoad textum ex III, Sentent. dist. 3 q. 1 a. 1 q. 2. depromptum subjungens: „Itaque quod affirmat s. Thomas, est labes originalis carnis Virginis, quae caro ex se peccatum traduceret, cui nempe anima conjuncta

editionum cum recentioribus manifestum fieri, plerasque istarum mutilatas esse, praecipue in locis, ubi de Conceptione b. Virginis agitur. Cujus rei testes fidelissimos citat, inter quos Joannem Nicolai. Refert porro Cardinalis, verba illa: „nec ante animationem, nec in animatione, sed post animationem sanctificatam et a peccato

---

deberet habere peccatum; est debitum contrahendi peccati et necessitas gratiae redemptoris, ut ab eo immunis existat Maria. Quum ergo penes antiquos conceptio (proprie dicta, quae est seminalis) distingueretur ab animatione, conceptio in originali sive in peccato originali non erat conceptio cum formali peccato, sed conceptio carnis immundae, qua peccatum traduceretur, cui anima conjuncta obnoxia esset debito habendi peccatum . . . . Directe et immediate docet (s. Thomas), tunc habuisse locum sanctificationem, quum anima exstitit. An vero statim sanctificata fuerit, id quidem diserte non dicit, verum 1. neque negat; 2. si sententiae ab eo alibi expressae ratio habeatur, censeri potest, id voluisse affirmare.“ (De Deo creante et elevante. Romae 1878.) Palmieri consentiens Morgott in „Mariologie des hl. Thomas von Aquin. Freiburg 1878“ dissertationem hac de re susceptam ita concludit: „Das Ergebniß dieser Erörterung ist: der hl. Thomas gebraucht in den angezogenen Aeußerungen, worin er die unbefleckte Empfängniß der Gottesmutter zu läugnen scheint, die Grundbegriffe, welche bei diesem Geheimnisse in Frage kommen, in einem von der Kirchenlehre ganz verschiedenen Sinne; folglich stehen beide inhaltlich nicht im Gegensatze. Die Kirche erklärt die Empfängniß der seligsten Jungfrau als unbefleckt — der hl. Thomas als befleckt. Aber die kirchliche Entscheidung spricht von der passiven, der englische Lehrer von der activen Empfängniß; jene faßt die Erbsünde formell als Schuld und bezieht sie auf die Person als ihren eigentlichen Träger; dieser nimmt sie virtuell, wie sie in dem Foetus als ihrer instrumentalen Ursache ist. Der hl. Thomas läugnet somit nicht, was die Kirche behauptet — die Sündenlosigkeit oder Heiligung Marias im ersten Augenblicke ihrer Beseelung. Der Widerspruch liegt nur in den Worten, nicht in der Sache. Demnach konnte der Aquinate, ohne gegen das heutige kirchliche Bewußtsein zu verstoßen, sagen: B. Virgo in originali sive in peccato originali concepta fuit; denn er redet

1. nicht von der Empfängniß Marias der Seele, sondern dem Leibe nach;
2. nicht von ihrer Person, sondern von einem constitutiven Theile ihres Wesens — von dem Leibe, der erst durch die Verbindung mit der Seele ihre Person bilden soll und daher auch

originali mundatam fuisse b. Virginem"[1]) quae in hodiernis editionibus leguntur, nec in codice Hispalensi nec in codice Massiliae in Praedicatorum bibliotheca asservato, nec in aliis pluribus inveniri.[2])

Et haec de argumento ex traditione pro immaculata b. Virginis conceptione deducto dixisse sufficiat. Inspiciamus denique argumenta, quae

III. Congruentiae nominantur, illo fundata principio a s. Augustino[3]) pronuntiato: „Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium conditorem." Beatissima Virgo re vera, ut infra demonstrabimus, Mater Dei est. Hic vero titulus splendidissimus sufficit et postulat, ut s. Deiparae omnia, quae possumus, privilegia attribuamus. „Perpendite, inquit s. Petrus Damianus,[4]) quibus laudibus digna sit beata et gloriosa Virgo Maria, quae illum nobis de castissimis suis visceribus genuit, qui nos de tam profundo gutture avidissimi draconis eripuit. Ad ejus namque digne efferenda praeconia non rhetoricorum diserta facundia, non dialecticorum subtilia argumenta, non acutissima philosophorum apta reperiuntur ingenia. Et quid mirum, si haec ineffabilis Virgo in suis laudibus modum humanae vocis exsuperat, quum et ipsam generis humani

---

3. von der Erbsünde nicht in formalem, sondern in materiellem Sinne, insoweit sie nämlich im Fleische sein kann, d. h. virtuell, somit von der natürlichen Befleckung des Leibes, welche die sittliche Befleckung der Seele, der Person — die Erbschuld nothwendig nach sich zieht." (l. c. pag. 32 sq.)

[1]) III. p. q. 27, a. 2. [2]) Utcunque res se habeat, non potest negari, quin magnus filiorum s Dominici numerus Angelum scholae hujus sententiae habuerit adversarium. „Lorsque le général de l'ordre de s. Dominique, inquit Malou l. c. tom. II, pag. 472, a obtenu en 1843 la permission de célébrer l' Immaculée Conception dans la préface de la messe, il a dispensé ses subordonnés du serment, qu'ils avaient fait de soutenir et de défendre en toute la doctrine de s. Thomas. Cette acte atteste aussi leur profonde conviction."
[3]) De libero arbitrio lib. III. cp. V. [4]) Hom. XLVI. — III. in Nat. B. M. V.

naturam excellentium meritorum dignitate transcendat?... Quid enim sanctitatis, quid justitiae, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse poterit, quae totius divinae gratiae charismate plena fuit? . . . . Nec mirum, si cunctorum merita transcendat mortalium, quae et ipsa superexcedit celsitudinem angelorum." Et haec virgo ad tantam elata dignitatem ideoque ab omnibusss. Patribus tot elogiis praedicata, originalis labis maculam contrahere legique universali tam funestae subjacere potuisset?

Mariae maternitas juxta Salmeron[1]) conceptionis illius comes fuit atque administra. Haec veritas praeclarissime sequenti evolvitur commentario:[2]) „Quid sublimius? Quid augustius, quam divina maternitas, qua Virgo Deipara dicitur et est vera Dei Genitrix? Vis nosse puritatem et dignitatem immaculatae conceptionis Deiparae? Non reputes temporis divortium inter Mariae conceptionem et Dei maternitatem. Nam etsi conceptio quindecim annorum spatio maternitatem anteverterit, in Dei tamen mente et mysteriorum praevisione maternitas conceptionis est comes, nec cumputanda est sine maternitate conceptio: concipitur enim mox Dei mater digne futura. Unde divina maternitas futura Dei matris conceptioni adest, ut affinitatem cum peccato praepropere arceat et avertat. Nec tantum divina maternitas comes est, sed etiam marianae conceptionis administra: scilicet tantus gratiae et gloriae nitor in Deiparae purissima conceptione emicat, ut Dei maternitas, quae est omnium Mariae gratiarum matrix, non dedignetur puritati conceptionis veluti ministrare: siquidem singulare et perillustre gratiarum omnium privilegium in conceptione

---

[1]) In Evang. tom. III, tract XXX, pag. 244. [2]) Cfr. Passaglia l. c. p. I, pag. 452. „Die erhabene Bestimmung der seligsten Jungfrau zur Mutter des Sohnes Gottes, scribit Morgott l. c. pag. 59, ist der Schild, der sie vom ersten bis zum letzten Augenblicke ihres Daseins vor jeder Sündenbefleckung schützt. In ihrer ewigen Auserwählung liegt auch schon die Gnade, welche die Erkorne solcher Auszeichnung würdig macht."

Virgini praemature concessum ex divina maternitate auguste nascitur: gratia enim tunc naturam praepropere antevertit, ut digna Filii Dei mater conciperetur. Ergo infinita dignitas et gratia divinae maternitatis veluti comes et administra adest immaculatae Virginis Deiparae conceptioni."

Individua est juxta Mellifluum[1]) matris et filii gloria, commune utriusque praeconium. Obmutescant ergo, qui b. Virginem ab originalis labis macula infectam esse hallucinant! Nonne Filius matrem suam potuit praeservare, nonne hoc decuit?

a. Filius potuit illam praeservare.[2]) „Declarat tamen haec ipsa sancta Synodus (Tridentina),[3]) non esse suae intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem." Si Ecclesia illud sentiret impossibile, animadvertit jure optimo Petrus Morales, non posset sentire, contrarium esse possibile.

α. Nonne potuisset Deus excipere aliquem hominem a justitia originali, ab hoc dono mere gratuito? Ergo potuit etiam excipere a peccato.

β. Licet Deus contulerit Adae justitiam originalem sub ea conditione, ut lege violata totam suam posteritatem illa spoliaret justitia, potuit Deus nihilominus post praevisum Adae peccatum velle, ut illud re ipsa in Virginem non transfunderetur potuitque illud praevenire et impedire gratia ei in primo Conceptionis instanti infusa. Asserendo contrarium, Deus jure ac libertate sua miserendi, cujus velit, se privasse asseritur.

Num rex, si legem sub mortis poena observandam tulit, ideo omnes transgressores reipsa absolute vult, pati ejusmodi poenam? Vult potius eos mortis esse reos, dum

---

[1]) Libellus de laudibus B. M. V. [2]) Cfr. s. Thom. in III, Sent. dist. 3 q. 1 a. 1; Suarez III, p. q. 27 a. I; Morales l. c. lib. III, tract. I. [3]) Sess. V.

ipse dispensationem illa super lege sibi reservat. Audiamus s. Augustinum apposite hac de re disputantem. „Princeps, inquit,[1]) potest a lege sua subditos suos liberare et circa ipsam legem dispensare et eam annihilare.“ Ejus enim est, ut notat l. c. Morales, tollere, cujus est dare, et quae uno jure contrahuntur, contrario jure pereunt. Quod ergo de peccato originali per generale Dei decretum statutum est, potuit per aliud contrarium tolli; im potuisset Deus, quoscumque vellet, ab originali peccato praeservare. Non est ergo repugnantia ulla, quod b. Virgo fuerit sub illa lege contenta et quod ideo in Adam peccaverit et nihilominus potuerit Deus privilegium illud concedere, ne re ipsa peccatum contraheret.

γ. Deus non potuisset b. Virginem praeservare, si hoc ullam involvisset repugnantiam. At nulla repugnantia neque ex parte Dei „non enim est impossibile apud eum omne verbum,“ [2]) neque ex parte creaturae; nihil enim obstat, quominus eodem temporis puncto anima rationalis a Deo creetur gratiaque repleatur.

b. Decuit b. Virginem praeservari. „Decebat enim Deum, puritatis et sanctitatis amatorem, scribit Morales,[3]) talem sibi formare matrem, quae omnino esset pura et sancta et ab omni peccato aliena. Quod exemplo a verisimilitudine sumpto comprobatur. Nam si quis nobilitatis avidus et honoris posset sibi condere et eligere parentes, sine dubio eligeret, quantum posset, omni ex parte nobiles; ergo melius Deus ipse, „apud quem non est impossibile omne verbum“ et cujus perfecta sunt opera Ad dignitatem ergo Christi Domini filii Virginis non tantum pertinet puritas matris eo tempore, quo illum concepit, sed simpliciter toto vitae tempore. Nam eo tempore, quo b. Virgo concepta fuit, jam existebat persona illa, quae eam sibi condebat et praeparabat in

---

[1]) De regimine principum lib. I. [2]) Luc. I, 37. [3]) L. c. lib. III, tract. I.

Matrem; ergo ad providentiam ejus et sapientiam pertinuit, ex tunc illam praevenire et purissimam custodire. Ut si filius regis aliquam feminam in suam sponsam educaret, omnem adhiberet curam, ut summa semper honestate et nobilitate viveret, ut sic similitudo possibilis inter filium Christum et ejus Virginem Matrem in moribus et gratia et animae corporisque puritate servaretur. Decuit ergo, ut in carentia originalis peccati essent similes, licet non aequales.“ Sic ille.

Inconvenientissimum porro fuisset, si diabolus gloriari potuisset, quod peccati originalis ratione vel brevissimo momento habuerit jus dominii in beatissima Virgine, in Matre Dei Filii unigenti. „Dedecus filii, dicit s. Scriptura,[1] pater sine honore.“ Numquid idem non valet de matre sine honore? „Venit princeps hujus mundi, testatur Dominus noster,[2] et in me non habet quidquam.“ Si b. Virgo re vera istam contraxisset maculam, nonne diabolus optimo jure dicere potuisset: Caro abs te ex virgine illa assumpta est caro peccati; peccatum illi characterem quemdam impressit indelebilem, quem ego etiam in te aspicio?

B. Virgo ergo peccato originali non fuit obnoxia. Aptius Deoque dignius tabernaculum enim apparet, si ejus anima, nullo, tametsi vel brevissimo, momento foeda, sed jugiter pulchra fuerit suoque Creatori acceptissima.

Sensum hujus non quoad se, sed quoad formalem definitionem novi dogmatis ut clarius exponamus, duplicem quaestionem hic inserendam atque solvendam esse putamus. Quaeritur ergo

I°: Utrum b. Virgo peccati originalis debitum contraxerit.

1. Bene distinguamus necesse est inter immunitatem a peccato originali et immunitatem a communi Redemptione per Christum Dominum nostrum

---

[1]) Eccl. V, 13. [2]) Joa. XIV, 30.

peracta. Longe enim differunt macula et peccati originalis debitum. Maculam peccati nominamus peccatum inquinans animam ipsamque Deo exosam nec non damnationis aeternae ream constituens.[1]) Nomine e contra „debiti peccati" significatur obligatio seu necessitas quaedam moralis hanc contrahendi maculam, nisi positiva adsit ex parte Dei praeservatio.

Necessitas illa oritur ex actuali peccato Adae, qui omnium hominum caput morale a Deo fuit constitutus. „Originalis justitiae dona, inquit de Rubeis,[2]) fuerunt Adae collata a Deo, velut primo omnium posterorum parenti, seu capiti totius naturae humanae, quae in eo continebatur ex eoque per generationem propaganda fuerat. Quod ergo magnum peccatum peccavit ille, non ipsum laesit solum, sed ipsam etiam naturam humanam in ipso contentam ex eoque propagandam. Scilicet in accepta rectitudine si perstitisset Adam, cum rectitudine et justitia ac sanctitate nati fuissent, qui ex eo, tamquam primo stirpis principio, propagarentur posteri: ab ipso nimirum conceptionis aut infusionis animae instanti accepta a Deo mentis rectitudine per gratiam sanctificantem cum perfecta simul rationem inter et appetitum sentientem concordia et corporis immortalitate. Peccavit primus homo suoque peccato praedicta sublimia dona amisit omnia et sibi et naturae in ipso contentae, et ex illo propagandae; diciturque peccatum suum in posteros omnes propagasse. Adae peccatum duplex est, actuale et habituale. Illud consistit in actione flagitiosa pertinetque ad personam. Positum istud est in privatione gratiae sanctificantis, ac subjectionis erga Deum, si pars ejus praecipua ac veluti forma consideretur: itemque in deordinatione facultatum et virium et partium hominis, si de materiali quodam peccati subjecto agatur." Ita de Rubeis.

---

[1]) Cfr. Tract. theol. de B. M. V. Lugduni 1866 pag. 121. [2]) De peccato originali vol. unic. cp. 58.

2. Debitum illud originalis peccati duplex distinguitur: debitum nempe proximum ac debitum remotum. Debitum proximum significat obligationem seu necessitatem contrahendi vi conceptionis suae originale peccatum et quidem ob actualem in Adami pacto et peccato inclusionem, in pacto seu decreto illo, quo protoparens caput generis humani morale constitutus fuit quoad gratiam vel transmittendam vel amittendam. Debitum e contra remotum non denotat necessitatem contrahendi maculam vi conceptionis et pacti, sed necessitatem solummodo illam, qua homo ut filius Adae in illo pacto deberet includi, nisi ab illa lege dispensaretur Christi Domini meritis.

Ad hanc distinctionem melius illustrandam ponamus, aliquam mulierem per contractum redigi in servitutem. Cujus filius, si eximeretur in ipso contractu, ne nasceretur servus, merito posset dici non contraxisse proximum servitutis debitum, sed tantum remotum, quia ex una parte, quatenus filius servae, servituti obnoxius, ex altera vero parte a servitute fuit liberatus, antequam mater in servitutem fuerit redacta. Si vero non in ipso contractu, sed post contractum initum a servitute fuisset liberatus, contraxisse diceretur debitum proximum nascendi servus. Quibus praenotatis asserimus,

a. non posse negari, quin b. Virgo aliquod saltem contraxerit debitum.

α. Continebatur enim ratione debiti ac radicis regula generali et assecuta est redemptionis beneficium a doctore gentium universale declaratum. „Christus pro omnibus mortuus est“ [1]) — ergo omnes mortui i. e. morti obnoxii, sunt. [2])

β. Ex eo, quod juxta bullam „Ineffabilis“ b. Virgo praeservata dicitur „intuitu meritorum Christi,“

---

[1]) 2. Cor. V, 15. [2]) Cfr. Canisius de B. Virgine lib. I, cp. 5 sq; Barradas Concord. lib. VI, cp. 3; Bellarm. Controv. tom. III, cp. 16.

pretiosissimo Christi sanguine eam fuisse redemptam clarissime patet. Speciali privilegio b. Virgo a peccato originali fuit praeservata. Privilegium vero liberat ab onere, ad quod subeundum privilegiatus aliunde erat obligatus; est enim jus particulare contra jus commune concessum liberatque ab onere, ad quod portandum aliunde existebat obligatio. Ex eo ergo, quod s. Deipara praeservata fuerit speciali privilegio, eam debitum aliquod ad peccatum habuisse originale sequitur.

γ. Concordant omnes Patres. Unde s. Ambrosius scribit:[1]) „Nec mirum, si Dominus redempturus mundum operationem suam inchoavit a Matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.“ „Indiguit, inquit perpulchre d. Anselmus,[2]) b. Virgo redemptione et Christi passione non propter peccatum, quod infuerit, sed propter peccatum, quod infuisset, nisi ipsemet ex speciali privilegio eam praeservasset.“ S. Bernardinus Senensis fatetur, quod Christus principaliter factus sit homo ad redimendam b. Virginem. „Christus Dominus, inquit,[3]) plus pro b. Virgine redimenda venit, quam pro omni alia creatura, juxta illud Cantici: „Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.“ Pro amore tuo carnem sumpsi, et vulneribus primis in cruce vulnerasti cor meum; nam primogenita Redemptoris Filii sui Jesu fuit b. Virgo.“

b. Debitum, a b. Virgine contractum, fuitne proximum aut remotum?

Auctores minime consentiunt; nonnulli enim, inter quos Suarez,[4]) b. Virginem contraxisse contendunt proximum peccati debitum; juxta plurimos vero eosque gravissimae auctoritatis theologos[5])

S. Deipara non contraxit, nisi debitum remotum.

---

[1]) In Luc. [2]) Cur. Deus homo lib. II. cp. 10. [3]) Serm. de Concept. Virg. cp. 3. [4]) De pecc. orig. disp. IX, sect. IV. [5]) Card.

Illa sententia sine dubio est praeferenda, quae aliis veritatibus non repugnans Christum et Mariam exaltat.[1]) Jam vero haec sententia

1. nullatenus repugnat. Quod quidem fieret, si in hypothesi nostra Christus dici non posset matris Redemptor. Sufficit tamen certissime ad hunc titulum servandum, quod b. Virgo de se ex vi modi, quo concepta est, aliquo modo originali peccato obnoxia intuituque Christi meritorum fuerit praeservata. Hoc vero non negatur, quia Adae filia in decreto debebat includi.

2. Sententia nostra b. Virginem et Christum Dominum exaltari facillime intelligitur. Nonne debitum peccati proximum est quasi quaedam cicatrix pulcherrimum Matris Dei nitorem obnubilans? Quid? Mater Dei objectum divino odio dignum, serva peccati, irae filia? Indecentissimum sane hoc dicere; sed dici deberet, si re vera debitum contraxisset proximum. Etiam Christum Dominum hac exaltari sententia ex eo elucet, quod, uti in sequenti demonstrabimus quaestione, merita ejus manifestentur efficaciora. Quaeritur

2°: Utrum redemptio praeservativa nobilior sit liberativa.

Duo sunt redemptionis genera, quorum prius cavet, ne quis cadat; per posterius erigitur is, qui cecidit. Illud vocatur redemptio antecedens et praeservativa, hoc ê contra subsequens et reparativa. Redemptionem praeservativam nobiliorem esse ac praestantiorem redemptione liberativa probatur

a. ex s. Thoma testante,[2]) „meliorem esse innocentiam quam poenitentiam caeteris paribus et secundum

---

de Lugo de Incarn. disp. VII, sect. III, cui consentiunt teste auctore tractatus theol. pag. 139 Catharinus, de Rhodes, Salazar, Cusanus, Galatinus.

[1]) Cfr. tract. theol. l. c. [2]) I. p. q. XX, a. 4 ad 4.

se.“ Cui consonat d. Augustinus. „Major gratia, inquit,[1]) impenditur illi, cui conservatur innocentia, quam cui remittitur culpa.“ Artis medicinae sine ullo dubio peritior est, qui adhibere et applicare scit medicamenta hominem ab aegritudine praeservantia, quam qui post morbum incursum remediis utitur curativis. Quare Scotus optimo jure: „Excellentius, scribit,[2]) beneficium est, servare a malo, quam dimittere, cadere in malum et ab eo postea liberare. Unde multo melius est, inter amicos pacem servare, quam interruptam reformare et litem prohibere, quam litigantes comprimere.“ Si quis duos in rixa debere vulnerari videret, unumque ita adjuvaret et praeservaret, ne vulneraretur, alium autem dimitteret vulnerari, sed postea sanaret, utriusque profecto diceretur salvator; sed melius et perfectius de priori a vulneratione praeservato.

b. Redemptio tanto melior est atque perfectior, quanto a pluribus liberat malis. Jam vero redemptio praeservativa a pluribus malis liberat, quam liberativa; liberat enim praeservatum vg. ab actuali culpa, a pudore, a poenis, a jactura innocentiae irreparabili, a quibus, uti rectissime animadvertit Sedlmayr,[3]) non liberat ille, qui aliquem permittit peccare et postea peccantem absolvit; admisso enim semel peccato fieri non potest, ut quis non peccaverit, ut non habeat, cur peccati pudeat et ut innocentiam non amiserit.

Redemptio praeservativa, utpote nobilissima ac praestantissima, b. Virgini fuit impensa. Christus enim perfectissimus est Redemptor; expleat ergo oportet omnes redemptionis modos nec modum omittat perfectissimum. „Non indiguit, docet ideo Nicolaus Cusanus,[4]) Virgo liberatore, qui ipsam absolveret a sententia in Adam et in posteros ejus ex voluptate

---

[1]) Super Gen. ad lit. [2]) In III. dist. 3 q. 1. [3]) L. c. pars IV, sect. I. n. 597. [4]) Excit. lib. VIII.

carnis lata, cui nunquam subjacuit, quia praevenit succurrere misericordia electa matri misericordiae. Qui concipitur et nascitur liber, non indiget liberatore a servitute, in qua nunquam fuit. Praeliberatorem enim Virgo sancta habuit, caeteri liberatorem et postliberatorem: Christus enim sic omnium liberator, quod et Virginis liberator et praeliberator, caeterorum vero liberator et postliberator. Sola ipsa electissima Dei Mater hoc habet, quod in initio essendi sub nequitia maligni deficere nequivit, juxta quod in creatione rationalis animae in corpore et separatione a corpore in potestate maligni nunquam fuit. Sola igitur gloriosissima Virgo non reperitur tempore ullo peccato originali subjacuisse.“ [1])

Art. II.

Beatissima Virgo jam primo Conceptionis suae instanti copiosissima gaudebat gratia.

Immunitate a peccato originali demonstrata considerandum est, quanam gratia primo Conceptionis momento beatissima Virgo fuerit insignita. Quare cum maximi nominis theologis contendimus,

b. Virginem etiam primo Conceptionis instanti copiosiorem accepisse gratiam, quam

---

[1]) „Hat Christus, was Jeder zugibt, die Menschheit erlöset in der vollendetsten Weise, inquit Oswald (dogmatische Mariologie S. 35), so möchte es geziemend sein, daß Gott die Erlösungsgnade Christi einmal auch in der höchstmöglichen Weise zuwende; und diese ist die Präservation. Steht es nun allerdings nach der Lehre von der Fortpflanzung der Erbsünde fest, daß bei keinem andern Menschen eine solche Bewahrung stattfindet, so scheint es die Ehre des Sohnes, als des Erlösers der Menschheit, in vollendetstem Grade zu fordern, daß seiner Mutter die Erlösungsgnade ausnahmsweise präservativ zugewendet werde, damit in ihr die Erlösung im höchsten Grade sich verwirkliche.“

concessa fuerit omnibus hominibus omnibusque angelis collective sumptis. Ita docent Suarez,[1] Cornelius a Lapide,[2] Henriquez,[3] Petrus Morales[4] aliique multi et quidem optimo jure; nam

1. Dignitas Matris Dei, ad quam jam primo Conceptionis momento censetur electa, major est dignitate angelorum et hominum simul sumptorum; gratia vero respondet maternitatis Dei dignitati, ut expresse docet magnus Aquinas dicens:[5] „In Matre Dei fuit gratia tali dignitate proportionata.“

2. Sancti Patres b. Virginem nominant „mediatricem“ Deum inter et homines. Hic titulus postulat, ut s. Deipara Deo sit gratior omnibus aliis creaturis humanis et angelicis simul sumptis, quum omnes per s. Deiparam et propter eam Deo placere debeant. Placeat ergo illa necesse est Deo magis, quam omnes aliae creaturae.

Quamvis vero b. Virgini in prima sanctificatione major concessa fuerit gratia, quam ulli hominum vel angelorum, primo tamen Conceptionis instanti non habuit plenitudinem gratiae consummatam.[6]

Docet enim a. s. Scriptura: „Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem“[7] i. e. usque ad statum gloriae. Unde etiam Gabriel Angelus, quum illam jam „plenam gratiae“ praedicasset, subjunxit: „Spiritus sanctus superveniet in te“[8] ut nempe copiosiori eam cumularet gratia. Perpulchre ideo s. Rupertus:[9] „Virgo in sua

---

[1]) Tom. II in III, p. disp. 3 sect. 1. [2]) In Prov. XXXI, 29. [3]) De ultimo fine hominis cp. X, n. 7. [4]) In Matth. I, lib. II, tract. 9; Cfr. de Rhodes l. c. quaest. IV, sect. III; Contenson l. c. spec. II. [5]) III. p. q. 7 a. 2. [6]) Cfr. Sedlmayr l. c. p. IV, sect. I, a. 2. [7]) Prov. IV, 18. [8]) Luc. I, 35. [9]) In Cantic. lib. VI. „Strahlend im Lichtglanze vor dem Auge des Vaters, der sie erkiesen von Ewigkeit und des Geistes, der mit ihr sich vermählte, inquit Hettinger „Dogmen des Christenthums“ I. Abth. S. 500, ward sie bezeichnet

prima sanctificatione fuit ut aurora, in Filii conceptione ut lux, in morte ut sol.“

Probatur b. Conc. Tridentino:[1]) „Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari atque etiam augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam, a. s.“ Etiam b. Virgo viatrix erat, quare plenitudine gratiae gaudere non potuit, antequam vitae non attigit terminum.

Ex iis, quae de b. Virginis sanctitate exposuimus, plura colliguntur: nempe

1. B. Virginem nunquam, nequidem venialiter, peccasse.

2. Eam ne potuisse quidem mortaliter aut venialiter peccare.

3. Eam fomite caruisse peccati.

De singulis hisce veritatibus pauca sunt addenda.

§. 1.

B. Virgo nunquam, nequidem venialiter, peccavit.

Probatur 1. ex Conc. Tridentino:[2]) „Si quis hominem justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, a. s.

2. Ex ss. Patribus, quorum nomine profitetur d. Augustinus:[1]) „Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, dum

mit dem Siegel der Beharrlichkeit, wirkte sie freithätig zu allen ihr von Gott verliehenen Gnaden mit. So gebührte es ihr, damit die Mutter des Sohnes würdig sei, und damit die, welche das nächste und unmittelbare Werkzeug werden sollte der Geburt des Erlösers im Fleische, zuerst und in ausgezeichnetster Weise Antheil empfange an der Erlösung Gnaden.“ [1]) Sess. VI, can. XXIV. [2]) Sess. VI, cp. can. XXIII.

de peccatis agitur, habere volo quaestionem: inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac virgine excepta, si omnes sanctos et sanctas, quum hic viverent, congregare possem et interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsum putamus, nisi quod ait Joannes: „Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus."[2]) Consonat s. Augustino Doctor Seraphicus ita disserens:[3]) „Congruebat advocata generis humani, ut nullum haberet peccatum; congruebat, ut virgo ita vinceret diabolum, ut neque ei succumberet ad modicum; congruum etiam fuit, ut sic esset immaculata mente, sicut intemerata carne."[4])

3. Ex ratione a d. Thoma citata.[5]) Christus non potuit sibi Matrem eligere nisi perfectissimam; si b. Virgo peccasset, etiam venialiter, idonea Christi mater nullatenus fuisset.

Difficultates, a reformatoribus, quos vocant, contra omnimodam s. Deiparae sanctitatem excogitatas aliis refutabimus locis.

§. 2.

B. Virgo ne potuit quidem mortaliter vel venialiter peccare.

Impeccabilis per se et ex natura sua non est nisi Deus; quare hoc privilegium nullatenus attribui potest b. Virgini. Undenam illud habuisset? Impeccabilitas physica seu ab intrinseco oritur ex sola

---

[1]) De Nat. et gratia cp. 36. [2]) 1. Joa. I, 8. [3]) In III, Sent. dist. 3. [4]) Consentiunt s. Hieronymus in Eccli. X; s. Anselmus de Concept. Virg. cp. 15; s. Bernardus de Assumpt. serm. 2; s. Petrus Damianus de Nativ. Virg; s. Bernardinus Senensis tom. III, serm. 6 a. 3 apud Sedlmayr l. c. art. X. [5]) III, p. q. XXVII, a. 4.

Dei visione intuitiva;[1]) at illa non fruita est b. Virgo modo saltem permanenti. Ergo non erat physice impeccabilis. Quamvis autem non sit gavisa impeccabilitate physica, gaudebat tamen impeccabilitate morali seu ab extrinseco. Probatur

1. Juxta Angelum Scholae supra citatum b. Virgo non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando. At idem dicendum, si b. Virgo potentiam proximam habuisset peccandi. Illa enim potentia matrem exposuisset periculo proximo offendendi Filium ideoque matri infixisset notam, defectum idoneitatis, ut ita dicam, involventem.

2. B. Virgo primo Conceptionis suae instanti gratiam accepit copiosiorem, quam omnes Angeli simul sumpti. — Angeli vero in gratia ita sunt confirmati, ut amplius non potuerint peccare. Ergo impeccabilitatis moralis privilegium a fortiori competit Angelorum reginae. „Nec solvitur, inquit hanc allegans rationem Sedlmayr,[2]) dicendo, quod Angeli gaudeant visione beatifica, quae libertatem adimit ad peccandum, quia in contrarium pugnat, quod paritas instituatur a perfectione gratiae simulque constet, quod gratia b. Virginis sit superior, quam gratia consummata omnium angelorum et beatorum simul sumptorum: ergo quia gratia consummata cujusvis angeli in particulari fundat impeccabilitatem proximam, multo magis eam fundabit gratia b. Virginis. Nec refert, quod b. Virgo non gaudeat visione beata permanenti pro statu viae, quia sufficit, quod gaudeat majori unione cum Deo, tum per gratiam omni consummata beatorum superiorem, tum per scientiam infusam gratiae correspondentem, tum per charitatem omni alia charitate beatorum collectim sumpta majorem, quia tanta plenitudo et excessus gratiae non potest non absorbere

---

[1]) Cfr. Thom. ex Charmes de Incarn. cp. VII, art. 2; Suarez de Inc. tom. I. disp. XXXVII, sect. III. [2]) L. c. p. IV, sect. I, art. XI.

potentiam proximam peccandi, quae non nisi in defectu liberi arbitrii subsistit."

Ne dicas, hanc impotentiam peccandi non stare cum libertate ad merendum necessaria; alias etiam Christo ex se impeccabili omne meritum denegare deberes. Jam vero, uti Christi meritum longe perfectius est nostro merito, quia magis remotum ab imperfectionibus magisque Deo vicinum, ita etiam b. Virginis meritum nostro merito longe excellentius considerandum, quia purius est nec non Deo magis conjunctum. Ad merendum porro non requiritur libertas male agendi, potentia peccandi, quam d. Thomas defectum et imperfectionem nominat,[1]) sed sufficit libertas specificationis. Quare optime s. Anselmus: „Libertatem arbitrii, inquit,[2]) non puto esse potentiam peccandi et non peccandi, quippe si haec esset ejus definitio, nec Deus, neque Angeli, qui peccare nequeunt, liberum haberent arbitrium, quod nefas est dicere." Stante ergo b. Virginis impeccabilitate salva ejusdem manet libertas et quidem libertas ad merendum necessaria.

§. 3.

B. Virgo caruit fomite peccati.

Justitiae originalis privatio producit fomitem peccati i. e. pugnam illam a doctore gentium incomparabiliter descriptam: „Caro enim concupiscit adversus spiritum, inquit, spiritus autem adversus car-

---

[1]) I. p. q. LXII, a. 8. „Die Freiheit, scribit rev. Epus. Martin in opere suo Lehrbuch der katholischen Moral IV. Aufl. pag. 132, ist das ungehinderte oder doch durch kein unbesiegliches Hinderniß gebundene Vermögen, sich selbst aus eigener Wahl zu bestimmen zu einem von zwei oder mehreren einander entgegengesetzten oder doch nicht zugleich mit einander zu vereinigenden Dingen, die sich entweder contradictorisch, oder conträr entgegengesetzt, oder der Art nach von einander verschieden sind."

[2]) De lib. arbit. cp. I.

nem: haec enim sibi invicem adversantur, ut non, quaecumque vultis, illa faciatis.“[1]) Fomes ille peccati nil aliud est, quam appetitus sensitivus, quatenus inordinate appetit interdum sensibilia. Habitus ita inclinans ad appetitus inordinatos nominatur fomes in actu primo; actus vero hujus habitus fomes in actu secundo. Quibus praenotatis dicimus

1. B. Virgo caruit fomite in actu secundo. Ita sententia communis. „Dicendum, inquit d. Thomas,[2]) quod in b. Virgine post sanctificationem in utero remansit quidem fomes peccati, sed ligatus, ne scilicet prorumperet in aliquem motum inordinatum, qui rationem praeveniret.“ Ideo etiam Mellifluus profiteri non haesitat:[3]) „Nihil in ea, non dico tenebrosum, sed obscurum saltem vel minus lucidum, sed nec tepidum quidem aliquid aut non ferventissimum liceat suspicari.“ „Immaculata erat b. Virgo teste s. Damasceno, quae cum terrenis affectionibus nihil habuit commune.“ Probatur

ratione. B. Virginem ea decuit nitere puritate, qua major sub Deo cogitari nequit; ergo non contraxit fomitem. Alias in creatis inveniri possit quid purius; major enim certissime puritas in eo, qui fomite caret, quam qui eo inficitur. Dicimus

2. B. Virgo caruit peccati fomite etiam in actu primo.

Probatur cum Sedlmayr[4]) a. ex eo, quod Gabriel Angelus eam jam ante Incarnationem factam nominet „gratia plenam.“ Jam vero, si „gratia plena,“ tunc nequit dici, eam Incarnatione fuisse liberatam peccati fomite; plenitudo enim gratiae omne oppositum i. e. non solum peccatum, sed etiam peccati fomitem excludit.

b. Concupiscentia vel fomes juxta Concilium Triden-

---

[1]) Gal. V, 17. [2]) III, p. q. XXVII, a. 4 ad. 1. [3]) In verba „Signum magnum.“ [4]) L. c. p. IV. sect. I, art. VIII.

tinum[1]) „ex peccato (i. e. originali) est et ad peccatum (i. e. actuale) inclinat.“ B. Virgo quum peccatum originale non contraxerit, etiam ab hujus peccati fomite fuit immunis. Licet s. Thomas in prima b. Virginis sanctificatione fomitem ligatum et in ipsa Verbi divini Conceptione penitus exstinctum fuisse putet, tamen etiam nostram sententiam censet probabilem inquiens:[2]) „Posset intelligi, quod totaliter fuerit sublatus fomes hoc modo, quod praestitum fuerit b. Virgini ex abundantia gratiae descendentis in ipsam, ut talis esset dispositio virium animae in ipsa, quod inferiores vires nunquam moverentur sine arbitrio rationis, sicut dictum est fuisse in Christo, quem constat, peccati fomitem non habuisse.“ [3])

Art. III.

Definitio Conceptionis immaculatae b. Virginis omnino opportuna.

De immaculata b. Virginis Conceptione tractatum non melius concludendum esse censemus, quam paucis saltem

---

[1]) Sess. V. can. 5. [2]) III. p. q. XXVII, a. 3. [3]) „Die neueren Theologen, scribit Morgott l. c. pag. 65, (von den älteren Alex. von Hales, Scotus und fast alle Vertheidiger der unbefleckten Empfängniß, obwohl beides: Freiheit von der Erbsünde und von aller bösen Begier nicht innerlich nothwendig zusammenhängen) behaupten beinahe sämmtlich die gänzliche Abwesenheit des fomes in der seligsten Jungfrau von Anfang an (vgl. Toletus l. c. in fin; Suarez l. c. n. 9 sqq; Vasquez in III, disp. 118 cp. 4; Plazza: Causa immac. conc. Appar. art. 1 n. 96 sqq; Vega Theol. Mar. Pal. 9. art. 1 n. 857 sqq.

„Wurde denn nicht gerade durch diese Gnadenbefestigung und Befreiung von aller bösen Begier die Vollkommenheit ihrer Tugend, die Größe ihres Verdienstes gemindert? interrogat idem auctor, (l. c. pag. 62) Ist es doch viel größer, durch siegreichen Kampf gegen die böse Begierde sich vom Bösen enthalten, als ohne Begier zur Sünde keine Sünde begehen. Hiegegen ist zu sagen: allerdings, wo die böse Begierde sich findet, erhöht ihre Bekämpfung Tugend und Verdienst; aber dieses nur

verbis de definitionis ejus opportunitate [1]) disserendo. Anno 1854, die illo memorabilissimo octavo mensis Decembris, Roma locuta et res tot per saecula discussa est finita. Pius IX., immortalis memoriae, splendidissimam Conceptionis immaculatae gemmam Reginae coelorum diademati infixit populorumque omnium totius orbis catholici vota ardentissima, academiarum nec non theologorum enixa suffragia, religiosorum ordinum instantissimas adimplevit postulationes declarans: „Definimus doctrinam, quae tenet beatissimam Virginem Mariam, in primo instanti conceptionis suae fuisse singulari Omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris generis humani ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.“ [2])

Exultent ergo in coelis angeli, quod praepositam sibi reginam novo auctam gloriae fulgore mirentur; exultent prophetae, quod edita a se miracula, uti par est, intellecta conspiciant; exultent evangelistae, quod gratiae plenitudo a se Deiparae asserta omnibus innotuerit; exultent patres et doctores, quod apostolica traditio a se literis consignata suum undequaque lumen effundat; exultent pontifices, quod jucundissimum sibi opus omnibus expletum numeris contueantur. Gaudeant in terris homines bonae voluntatis, quod congenerem sibi naturam

---

zufällig, nur in der verderbten Natur nämlich — an sich ist die Neigung zum Bösen keineswegs die Bedingung des Guten und die Ursache größeren Verdienstes und höherer Vollkommenheit. Vielmehr war die gänzliche Sündenlosigkeit in der seligsten Jungfrau zugleich die vollendetste Tugendhaftigkeit. Die Gnade, die von Gott verliehen wird zur Meidung des Bösen und zur Vollbringung des Guten, erreichte nach dieser doppelten Richtung in ihr das Höchste: frei von jeder Sünde war sie zugleich voll von jeder Tugend."

[1]) Cfr. Malou l. c. tom. II. ch. XII, §. VII. [2]) Ex bulla „Ineffabilis,“ cujus textum videbis in Appendice.

semper Deo amicam semperque puram certa fide praedicent; gaudeant, quod occasionem nacti sint, qua pietatem optimae matris novis sibi obsequiis plenius concilient. Horreant in inferis daemones, quod relatus de ipsis per mulierem triumphus omnium linguis proclametur, inanesque in Virginem conatus ubique terrarum habeantur ludibrio. [1])

Ne ergo mireris, quod daemones daemonumque sequaces blaterare non cessantes audias: „Quare haec veritas mere speculativa Conceptionis immaculatae nec unquam negata definiri oportuit? Nonne omnes nomini catholico ascripti immaculatae Conceptionis fidem tenent tenueruntque? Non erat, cur devotioni erga s. Deiparam, cujus cultus jam ultra fines progredi videatur licitos, novus adderetur stimulus novumque motivum. Nonne acatholici, quos reduces Ecclesia tam enixe efflagitat, longius ab ea removentur hac definitione?“

Immaculatae conceptionis definitio ecclesiae procuravit veritatum sanctarum augmentum pulchriorique luce vitam ejusdem manifestavit, sicuti et auctoritatem ac perfectissimam unionem.

Non parvum profecto emolumentum emanat ecclesiae ex eo, quod lumina multiplicentur fideles in via virtutum conducentia. „Tantus est in hominibus innatus veritatis amor, inquit Perrone, [2]) ut illam assecuti magna afficiantur voluptate, idque tunc etiam, quum neque fructibus ullis aut emolumentis utilitatibusque alliciantur, neque ipsa rerum nobilitas atque praestantia ad illius cognitionem eos invitat. Egregie, ut solet, Augustinus: „Quid fortius desiderat anima, quam veritatem.“ [3]) Quidni ergo ea, qua de loquimur, definitio, piis omnibus catholicis accidat jucundissima?“

Illustrat enim illa dispulsis dubiorum quoad hanc

---

[1]) Cfr. Passaglia l. c. tom. III, n. 1868. [2]) L. c. pag. 342.
[3]) Tract. 6 in Joa. n. 5.

b. Virginis praerogativam nebulis incarnationis dogma nobisque ostendit, quomodo Sapientia divina ab aeterno et in tempore hoc praeparaverit mysterium. Certitudine fidei amplectimur, in b. Virgine, ab omni aeternitate ad sanctitatem perfectam ac perpetuam praedestinata, in primo suae Conceptionis instanti peractum fuisse gratiae miraculum illudque viam aliis strevisse miraculis. Credentes profitemur, b. Virginem, ut Mater Filii Dei fieret, daemonis actionibus ac peccati maculis praereptam ejusque virginitatem perpetuam integritatis et sanctitatis perpetuae imaginem fuisse ac fructum.

Haec definitio dogmati quoque redemptionis novum accersit splendorem confirmans indirecte fidem peccati originalis, valorem explicans pretii redemptionis, inter admirabiles meritorum Christi effectus redemptionem ostendens principalissimam ac nobilissimam, nempe praeservativam, sicuti gratiae, qua omnium creaturarum etiam perfectissima indiguerit, necessitatem absolutam.

Collustrat clarissima luce haec definitio nostram sanctificationem, quum perfectissimum nobis proponat exemplar: b. Virginem ad sanctitatem et perfectionem illam reductam, qua protoparentes nostri ante peccatum commissum gaudebant quumque in mentem nobis revocet, sanctificationem animarum esse finem, ad quem attingendum creavit nos Deus.

Quibus beneficiis, quae Ecclesiae infantes ex immaculatae Conceptionis hauriunt definitione, adjungamus emolumenta, quae illa praebeat acatholicis.[1]) Non

---

[1]) „Leider hat man nur zu oft Versuche gemacht, inquit Kleutgen (Kleinere Werke II. Band S. 375), durch eine Art von Annährung, durch Zurückhaltung und fast durch eine gewisse Verbergung katholischer Lehren oder Gebräuche die Andersgläubigen zu gewinnen; aber durch alle diese Versuche mehr Katholiken dem Geiste der Kirche entfremdet, als Protestanten mit der Kirche versöhnt. Diese bedarf des Schleiers und der Maske nicht; sie ist die Braut des Herrn, und tritt ihren Gegnern unumhüllt entgegen. Die Protestanten haben in unserm Jahrhundert

raro hi opinantur, Ecclesiam catholicam vita fere orbatam extremum suum appropinquare diem. Praejudicium profecto, quo nullum inanius stultiusque cogitari potest! Ecclesiam catholicam hodiedum tali frui vita, quali optimis suis gloriari potuit temporibus, nemo sanae mentis, qui non intelligat. Auctoritatem enim suam honoratam et observatam, hierarchiam infatigabili ut saeculis ferventissimis conspicit animatam vigore. Summus Pontifex nonnullis exprimit episcopis desiderium, occasione definitionis immaculatae Conceptionis eos Romae videndi. Ecce! Ab omnibus mundi partibus maximo repleti gaudio in orbis catholici metropolim confluunt praesules. Non obstantibus itineris longissimi molestiis nec temporum injuriis, senectutem senectutisque fragilitatem non attendentes omnes nihil habere videntur antiquius, quam ut Summi Patris adimpleverint desiderium.

Immaculatae Conceptionis definitio fulgentius radiavit spiritualem Ecclesiae in genere nec non Sedis Apostolicae in specie auctoritatem. Cuinam dubium esse potest, quin summi Pontificis consilium, exercendi nostris ipsis temporibus potestatem suam supremam tali modo solemnissimo ac dogma declarandi immaculatae Conceptionis b. Virginis, divinitus fuerit inspiratum? Tem-

---

vollends erfahren, wohin sie durch die freie Forschung in dem geschriebenen Worte Gottes gebracht werden mußten: warum sollte Gott nicht bestimmt haben, daß sie jetzt nach einer solchen Erfahrung keine Wahl mehr hätten, als entweder außer der wahren Kirche zu bleiben oder in dieser das Ansehen des mündlichen Lehramtes nach seinem ganzen Umfange anzuerkennen? Und wenn auf diese Weise gerade eine Lehre über die allerseligste Jungfrau für Katholiken und Protestanten eine Gelegenheit, sich zu entscheiden, wäre, so würde sich auch in diesem Geheimnisse bewähren, was schon der Prophet Simeon der Mutter des Herrn, als er von ihrer Theilnahme an dem Leiden des Erlösers redete, vorhersagte: „Dieser ist gesetzt zum Falle und zur Auferstehung Vieler in Israel, und als ein Zeichen, dem man widersprechen wird, und deine eigene Seele wird ein Schwert durchdringen, damit die Gedanken vieler Herzen offenbar werden." Luk. II, 34.

pore, quo independentiae et effusae licentiae spiritus in dies magis sese diffundit ac roborat ubique terrarum, quo homines obedientiae jugo se exuere desiderant regumque terrestrium throni summopere vacillant:[1]) hoc tempore s. Petri successor definit dogma immaculatae Conceptionis omnesque illos, qui hoc dogma rejicere ausi fuerint, declarat apostatas. Roma locuta et plus quam ducentae Catholicorum milliones fidem suam firmissimam, ne momentum quidem haesitantes, huic praebent dogmati. Quaenam differentia, quaenam discrepantia inter principum auctoritatem civilem atque auctoritatem Ecclesiae spiritualem!

Quae definitio, non a Concilio oecumenico, sed non nisi per summum Pontificem disquisitis antea episcoporum sententiis pronuntiata, auctoritatem spiritualem nullatenus dimminutam fuisse probat impudentissimis istis injuriis ac contumeliis, quibus Vicarius Christi tamdiu sese affectum videbat, sicuti gallicanam illam doctrinam tenentem, Romani Pontificis definitiones non ex sese, sed ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse, apertissime refutat.

Quid tandem loquar de bonis numerosisissimis, quae s. Virginem colentes totaque Ecclesia hac ex definitione hauriunt haurientque? „Nam sanctissimam Dei Matrem, inquit Perrone,[2]) vel minima quaeque obsequia

---

[1]) „Freilich bildet, continuat l. c. Kleutgen, die feierliche Erklärung der Kirche über das Geheimniß der Unbeflecktheit Mariens einen seltsamen Contrast mit dem Geiste unserer Zeit. Man scheint in dieser kaum den Glauben an Gott und an ein besseres Leben retten zu können, und die Kirche verkündigt so tiefe und zarte Geheimnißlehren? Indeß dürfte denn nicht auch dieses von uns wie ein Wink angesehen werden, daß wir im Angesichte des frechen und frivolen Unglaubens die ganze Fülle unsers Glaubens offen bekennen sollen? Und warum sollte Gott, der „die Geringen erhöht und die Gewaltigen vom Throne stürzt," nicht gerade in dieser Zeit des stolzen Unglaubens und der frechsten Zügellosigkeit die demüthige und reinste Jungfrau auf eine neue und außerordentliche Weise verherrlichen wollen." [2]) L. c. pag. 345.

atque officia cumulatissime remunerari, catholicorum nemini non est persuasissimum. Quid est igitur, quod Ecclesia ab eadem Dei Matre jure optimo expectare non debeat, illo edito decreto, ex quo tantum gloriae in illam necesse est redundare?"

Exultemus ergo laetitia, triumphemus gaudio magno, gratias agentes Deo Optimo Maximo, quod hoc dogma, beatissimae Virgini, Filii Dei ac Matri nostrae perhonorificum, fuerit definitum. Etiamsi enim permulta attribui possunt b. Virgini encomia splendentia, excepto tamen titulo „Matris Dei," nullus in majorem ejus cedet laudem, quam titulus „Immaculate Concepta."

Cap. II.

DE BEATISSIMÆ VIRGINIS NATIVITATE.

Mirari prima fronte possemus mirarique de facto solent plerique, tam pauca de Virgine Deipara evangelicam retulisse historiam: utpote nativitatis, vitae, dignitatis gloriaeque ejus obitus admodum aut condigna saltem aliqua vix, ut apparet, facta mentione. Quod altum Evangelistarum silentium non caruisse mysterio, optimo jure autumat s. Petrus Damianus. „Aliquando, scribit,[1]) in sacra Scriptura certi causa mysterii aliquid praetermittitur, ut ipso quasi clamante silentio magnum aliquid sentiatur." Sacri ergo auctores nequaquam siluissent infantiam, natalis Virginis circumstantias etc., nisi mysterium aliquod indicare voluissent. Mysterium autem, quod silentio suo indicare intendit s. Evangelista, nullum aliud putatur, quam ut Matris Dei indicet excellentiam; tanta est enim, ut omnibus quamvis sublimibus abunde sufficiat laudibus et encomiis.

---

[1]) Hom. 47 de Nativ. Virg.

Non quidem desunt libri, qui multa, sed fide indigna, de nativitate, de praesentatione in templo, de vita activa Nazarethi, de obitu b. Virginis referant. Audiamus, quomodo Benedictus XIV.[1]) de iis judicet. „Fortasse non nemo mirabitur, inquit, nos de Nativitate beatae Virginis nihil afferre; sed quum de ea sacer textus omnino sileat, optimum putavimus et nos de re prorsus incerta tacere, de qua quum plures scribere voluerint, ex turbidis fontibus, quae tradiderunt, hausisse videntur, puta ex Proto-Evangelio, quod sancto Jacobo falso tribuitur, ex libro „de ortu Virginis," qui perperam sancto Jacobo fratri Domini nostri Jesu Christi, et a quibusdam Cyrillo Alexandrino ascribitur, ex libro altero „de ortu Virginis," cujus auctorem Seleucus falso affirmavit fuisse evangelistam Matthaeum, ex commentitia sancti Evodii epistola, et ex opusculo „de Nativitate sanctae Mariae," quod monachi s. Mauri in editione s. Hieronymi tom. V. ad scripta s. doctoris spuria rejecerunt. Nobis vehementer probatur, quod scripsit s. Anselmus.[2]) „Illud apud me conjicio, Nativitatem ejus magna atque miranda divinorum signorum indicia praecurrisse. Quae tamen illa fuerint, solus ipse sine scrupulo novit, qui eam, antequam nasceretur, in Matrem elegit." Quibus doctissimi Benedicti verbis consentientes non nisi de tempore ac loco, quo b. Virgo nata fuerit, pauca subjungemus.

1. Quoad Nativitatis diem Chronicum Paschale, cujus auctor septimo vixit saeculo, scribit: „Mensis Septembris VIII. feria. II. Indictione XV. nata est Domina nostra Dei genitrix ex Joachim et Anna." [3]) Ita etiam testatur s. Joannes Damascenus inquiens,[4]) Deiparam Virginem fuisse natam in mense Septembri tamquam

---

[1]) L. c. cp. IX n. 12. [2]) De excellentia Virginis cp. 2. [3]) Innocentius XI. damnavit errorem cujusdam Neapolitani dicentis, Annam integra virginitate Mariam peperisse. [4]) De Nativit. B. M. V. orat. I.

maxime festivo inter Hebraeos, et eo quo Herodes internecionem totius Davidici seminis arroganter tentabat exsequi, ne quisquam Messias a prophetis praenuntiatus veniret.

2. In assignando Nativitatis b. Virginis loco auctores minime consentiunt. Sunt enim, qui dicant

a. eam Bethleemi fuisse natam. Ita concludit d. Chrysostomus ex eo, quod s. Lucas Evangelista refert, „ivisse omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem." „Itaque quum Joseph et Maria, cives Bethleemitae, inquit,[1]) relicta patria, in Nazareth vitam suam instituissent et illic commorarentur, ut videlicet saepe multis hominibus usuvenire solet, qui e civitatibus, unde ortum duxerant, emigrantes, in aliis, in quibus ab initio nati non fuerant, commorentur, oporteretque Christum in Bethleem nasci, exiit edictum, quod, Deo ita statuente, etiam invitos in urbem illam compulit. Lex enim, quae jubebat, unumquemque in patria sua nomen profiteri, adegit eos a Nazareth pedem efferre, et in Bethleem redire ad nomen illic suum edendum .... Hinc nobis evidenter constat, etiam Virginem ipsam ex genere Davidico fuisse. Nam si ex Bethleem ortum duxit, manifestum est, quod etiam ex domo et familia David fuerit."[2])

b. Alii putant, b. Virginem natam esse Nazarethi; cui sententiae subscribunt inter alios Baronius[3]) et Florentinius.[4]) Consentit etiam Mantuanus ita scribens:[5]) Templum beatissimae Dei Genitricis Lauretanae quondam Virginis ipsius cubiculum fuit, in quo nata, nutrita, ab Angelo Gabriele salutata et Spiritu sancto

---

[1]) In Jesu Christi diem natalem hom. 31. [2]) Consentiunt Sandinus „historia familiae sacrae" pag. 332, Sedlmayr l. c. p. IV. sect. I, a. II. [3]) In Apparatu n. 48. [4]) In notis ad Martyrol. ad diem 8. Sept. [5]) In historia ecclesiae Lauretanae. Idem asserunt Fulbertus Carnotensis, Heribertus Rosweydus ad finem Martyrologii Adonis a se editi cum Romano Martyrologio apud Kolvenerium l. c. tom. II, ad diem 8. Septembris.

fuit obumbrata." Haec opinio, quam occidentalem nominare possumus, quamvis antiquorum Patrum non sit fundata auctoritate, maxima tamen reputatione digna apparet, praesertim quum plures summi Pontifices inter quos vg: Julius II., Sixtus V., Innocentius XI., Pius IX., eam tenuerint.

c. Juxta opinionem orientalem b. Virgo nata est Hierosolymis. Mislinus, qui sanctae terrae pluries peragravit loca seseque ad opinionem inclinat occidentalem, non potest, quin orientalem permagni faciat.[1]) Etiam frater Levinus, s. Francisci discipulus, beatissimam Virginem sine ulla dubitatione Hierosolymis natam fuisse asserere non haesitat.[2])

Aliquot allegemus testimonia huic sententiae faventia. „In probaticam Sanctorum ingrediar, exclamat s. Sophronius,[3]) patriarcha Hierosolymitanus in septimo saeculo florens, ubi Anna praeclara peperit Mariam. Subiens templum, templum illud purissimae Deiparae. Deosculans amplectar parietes mihi charissimos. In medium forum gradiens, ubi in patriis nata est thalamis Regina Virgo, ubi ascendit paralyticus e terra tollens grabatum." Neque aliter loquitur s. Joannes Damascenus: „Nata est nobis, inquit,[4]) Dei Mater in sancta

---

[1]) „Question difficile, inquit in opere suo „Les saints lieux" tom. II, pag. 561, qui n'aura probablement jamais au point de vue historique de solution certaine; en général les traditions orientales sont favorables à l'opinion, que la Vierge est née à Jerusalem; cette opinion a été admise en Occident par un grand nombre d'écrivains de plus grand mérite." [2]) „Depuis près de vingt ans, scribit in „Guide-Indicateur des Sanctuaires de la Terre-Sainte" II édit. tom. I, pag. 247 sqq, que j'habite Jérusalem et que je parcours la Terre ste en tous les sens, entrant en relations avec les populations diverses, qui y sont établies, jamais, je le déclare, je n'y ai rencontré de la part des Orientaux, d'autre tradition que celle-ci, à savoir, que Jérusalem a la gloire d'avoir vu naître la bienheureuse Vierge Marie, mère du Sauveur." [3]) Patrol. de Migne tom. 87. [4]) In serm. ad festum Nativ. B. M. V.

Probatica." Saeculo 12. Joannes Phocas eandem exprimit sententiam;[1]) saeculo sequenti eam produnt Jacobus de Vitry Cardinalis et Guilelmus Tyrensis. „Est autem, inquit Guilelmus, locus Hierosolymis in parte orientali juxta portam, quae dicitur Josaphat, secus lacum, qui tempore antiquo Probatica dicebatur piscina, ubi ostenditur crypta, in qua Joachim et praedictae Annae juxta traditiones veterum domicilium fuisse, ubi Virgo perpetua nata esse perhibetur." Anno 1320. scribit Nicolaus Pipinus: „Primum igitur visitavi locum, ubi fuit domus sti Joachim, ubi nata est b. Virgo Maria" et aliquot annos post eum Guilelmus Baldensel: „Ibidem ecclesia b. Annae, aviae Christi. Satis pulchra est, contigua Piscinae probaticae; ubi b. Virgo concepta fuisse dicitur." Quibus consentiunt s. Birgitta,[2]) quae peregrinationem Hierosolymitanam cum filiis suscepit, et Quaresmius, doctissimus terrae sanctae custos.

Cap. III.

DE BEATISSIMÆ VIRGINIS PRÆSENTATIONE IN TEMPLO.

„Rident suaviter Centuriatores, inquit ven. Canisius,[3]) quod audiant, Mariam triennem in templum introduci, ideoque non aliter factum aut confictum potius videri volunt, quam si eadem sub papatu monialis esset, ut irrisoriis ipsorum verbis utamur." Contra istos, mysteria orthodoxae fidei non pauca inter aniles reponentes fabulas, b. Virginem a parentibus fuisse in templo Deo praesentatam probamus

---

[1]) In descript. itineris sui cp. XXIV; cfr. Levini Guide-Indicateur l. c., ubi auctores citantur. [2]) Revel. lib. V. [3]) L. c. p. IV, sect. II.

1. ex Ecclesiae oratione sub Pio IV. hisce verbis concepta: „Deus qui sanctam tuam Genitricem, tabernaculum s. Spiritus post triennium in templo praesentari voluisti.“ Oratio haec a Sixto V., in sequentem formam redacta, etiamnum hodie in sacro et publico officio usurpata est: „Deus, qui b. Mariam semper Virginem, Spiritus sancti habitaculum, hodierna die in templo praesentari voluisti: praesta quaesumus, ut ejus intercessione in templo gloriae tuae praesentari mereamur.“ Hic non dicitur, quod se ipsam praesentaverit, uti falso asseruit Serry,[1]) sed quod praesentata fuerit. Ecclesia porro Praesentationis festum celebrando approbavit etiam ejus objectum, nempe b. Virgo in templo praesentata. Probatur

2. testibus omni exceptione majoribus. Inter alios s. Joannes Damascenus Ecclesiae traditionem ita exprimit:[2]) „Verum quemadmodum prisca illa Anna, quum sterilitatis morbo laboraret, facto voto per promissionem Samuelem genuit; eodem modo haec etiam per obsecrationem et promissionem Dei genitricem a Deo accepit.“ Audiamus ven. Canisium hisce de verbis Damasceni disserentem. „Tam pulchre matres hae duae (Anna, Samuelis et Anna, b. Virginis Mater) inter se consentiunt totque modis similia faciunt, inquit,[3]) ut non frustra eodem etiam dici nomine, et quasi germanae sorores, et ejusdem fere classis esse viderentur. Quod prior Anna ob sterilitatem contempta, precibus a Deo contendit et exoravit, ut Deo carum haberet offeretque

---

[1]) In exercit. critic. exerc. 19 n. 7, ubi contendit, quod Ecclesia in festo Praesentationis nil aliud celebret, quam heroicum virtutis actum, quo ipsa Virgo tenera adhuc aetate se Deo sacravit concepto virginitatis voto, et suscepta vitae ab omni hominum commercio secretae professione, quod quia in templo factum creditur, etiam praesentatio in templo dicitur facta; unde quod in templo sit praesentata a parentibus et deinceps per quindecim annos in templo sit commorata, haec iste criticus vocat commenta. [2]) De fide orthodoxa lib. IV, cp. XIII. [3]) L. c. pars IV, sect. II, cp. XII.

in templo sobolem, id nostra etiam Anna, quum simili modo laboraret ac eodem remedii genere uteretur, feliciter est consecuta, pro Samuele Mariam summo Deo dedicans ac in templo instituendam relinquens.“ Dedicavit ergo mater filiam suam Dei obsequio.

Quare s. Germanus, Constantinopolitanus patriarcha, s. Annam ad hunc modum loquentem inducit:[1]) „Vota mea reddo Domino, quae distinxerunt labia mea, et Virginum catervas coegi cum lampadibus et convocavi sacerdotes, congregavi cognatos meos, omnibus dicens, congratulamini mihi, quod hodie mater et productrix effecta sum, non ut regi terreno meam offerens filiam, sed Deo coelesti.“ Plenissime consentit Simeon Metaphrastes ita testans:[2]) „Quum jam crevisset puella, mater eam Deo tradidit, promissum implevit et ad templum adduxit. Sacerdotes autem interim quidem ad similitudinem Samuelis inter sanctos educabant puellam.“ Quibus omnibus consonantem videmus Gregorium Nicomediensem:[3]) „Mariam quum tertium aetatis annum ageret, a parentibus in templum adductam et Deo simul oblatam, in templo ad secundam aetatem usque perseverasse, divino nempe consilio puellam mirabiliter gubernante, ut illa non temere ad opus Dei maximum inde ab initio destinari ac singulari studio praeter illius aetatis consuetudinem praeparari videretur.“

Dionysio Carthusiano decentissimum videbatur,[4]) „ut praeelecta concipere Dominum templi, in ipso templo consecraretur obsequereturque Domino, et suam infantiam in exercitiis expenderet sacris atque ibidem instrueretur libris sanctis.“ Nec displiceat citare Fulbertum expresse fatentem, se apocryphis libris minime inniti, tamen de b. Virginis Praesentatione ita disserentem: „Ita

---

[1]) Serm. de Praesent. Virginis. [2]) In libro de ortu et educatione Deiparae. [3]) Hom. de oblatione Virginis in templo. [4]) De praeconio et dignitate Mariae lib. I, art. 12.

justi Deo et hominibus pauperes (Joachimus et Anna), inquit,[1]) annos circiter viginti, castum Domini conjugium sine liberorum procreatione exercebant. Voverunt tamen, si forte Deus donaret eis sobolem, eam se Domini servitio mancipaturos. Evolutis ergo tot annorum curriculis, missus est angelus Domini, prius ad Joachim, deinde ad Annam, nuntians ei nascituram filiam nomine Mariam, cui similis sanctitate nec antea nata fuerit, nec postea nasceretur. Factum est itaque juxta verbum angeli, nata est in civitate Nazareth sanctissima Virgo et mansit ibi tribus annis in paterna domo; postea vero, sicut parentes illam Deo voverant, ducta Hierosolymas in templo Domini conversata est usque ad quartum decimum annum, jejuniis et orationibus serviens die ac nocte et virginitatem suam vovens; quod ante Virgo ulla non fecerat, angelicis colloquiis frequenter utens.“ En series auctorum non suspectorum, qui nostram tenuere sententiam.

Non ergo est, cur tanti faciamus tragoediam illam, cui titulus „Christus patiens,“ s. Gregorio Nazianzeno suppositam, in qua dicitur, b. Virginem a sacerdotibus ad Samuelis similitudinem in sanctis aedibus educatam et ab angelo fuisse enutritam. Bellarmino Cardinali[2]) illa tragoedia „non videtur habere gravitatem solitam Nazianzeno, praesertim quum describitur ejulatus Matris Christi, quae prudentissima et constantissima erat.“ Nec minus pro tuenda nostra opinione Evodii epistolam „Lumen“ inscriptam allegare placet, de qua Baronius profitetur,[3]) „nondum sibi compertum esse, illam Evodii epistolam alicui antiquorum innotuisse.“ Quod confirmat Graveson dicens:[4]) „Nec Sixtus V. summus Pontifex, qui expunctam a decessore suo Pio V. Praesentationis

---

[1]) De Nativitate B. M. V. Serm. II. [2]) De script. ecclesiasticis ad annum 370 tom. VII. Habet illam tragoediam opus Apollinaris haeresiarchae aut poetae incogniti potius, quam S. Gregorii Nazianzeni. [3]) Cfr. Appar. ad Annales §. 47; Annales ad Annum 71 §. 13. [4]) In tract. de myst. et annis Christi diss. I, §. 1.

Mariae festivitatem restituit, diei collectam, ubi Virginem triennem in templo fuisse oblatam legebatur, emendasset, si haec historia vindicem et patronum habuisset s. Evodium: deinde quod credibile non est, Mariam fuisse per undecim annos instar columbae ab angelis nutritam et educatam in templo, in sancto sanctorum, quo nemini mortalium patuit unquam aditus, praeterquam summo Pontifici et quidem semel in anno, ut expresse notant Apostolus [1]) et Josephus.“ [2])

Si ergo, quae s. Gregorio Nazianzeno et Evodio ascribuntur, figmenta habeamus, quidnam prohibet, ne Praesentationem b. Virginis contra Mariomastiges antiquos et modernos defendamus? Cur s. Deiparae parentes vetustam illam Annam, celeberrimam Elcanae uxorem Samuelisque matrem, non imitari potuere, quae quum sterilis esset prolemque summopere optaret, voto sese obstrixit, devoturam se, quem paritura esset, filium Deo in templo? „Nos, inquit doctissimus Suarez, [3]) qui ne tantillum quidem a communi Ecclesiae sententia recedere volumus, dicimus, beatam Virginem in templo praesentatam esse, ut ibi bene educaretur; quod in veteri Testamento non est inauditum aut novum. Nam Josaba filia regis Joram, soror Ochoziae, ut a furore Athaliae subriperet Ochoziae filium, [4]) „abscondit eum a facie Athaliae, ut non interficeretur,“ secumque sex annos habuit in templo. Quod rursus narratur in libro Paralipomenon, [5]) ut advertit Tillemontius. [6])

Apud s. Lucam [7]) legimus: „Anna prophetissa, filia Phanuel, vidua non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.“ Juxta Serry [8]) locutio Evangelistae asserentis

---

[1]) Hebr. IX, 7. [2]) Contra Appionem lib. II, et lib. VIII, Antiq. cp. II. [3]) In III, p. tom. II, disp. 7 quaest. 29. [4]) 4 Reg. XI, 3. [5]) 2 Paralip. XXII, 12. [6]) Ad vitam B. M. V. n. 6 pag. 463. [7]) II, 36 sq. [8]) L. c. exercit. 19 n. 7.

„Annam de templo non discessisse“ figurata est et verba: „Non discedebat de templo die ac nocte“ non insinuant, quod in templo „habitaverit,“ sed quod illud frequentavit et in eo perduravit. At s. Scriptura in sensu proprio est accipienda, quamdiu citra absurdum potest. Quare optimo jure ad illum s. Evangelistae textum notat Cornelius a Lapide:[1] „Exstructo templo certa ad ostium tabernaculi habitatio constructa fuit hujusmodi piis mulieribus deditis orationi, jejunio, et servitio tabernaculi, qualis fuit Anna prophetissa.“ Quod testatur etiam d. Ambrosius inquiens:[2] „Templo Hierosolymis fuisse legimus virgines deputatas.“

---

[1]) A. h. l. [2]) De Virg, l. I, cp. 3. §. 12.

SECTIO II.

DE S. DEIPARÆ VIRGINITATE.

„Haec Deum coeli Dominumque terrae
Virgo concepit peperitque Virgo,
Atque post partum meruit manere
Inviolata.“

Rab. Maur.

De incontaminata s. Deiparae virginitate antequam agimus, paucis saltem disserere liceat, in quonam pulcherrimae hujus virtutis consistat natura, quantique ethnici, quanti et vetus et novum testamentum eam fecerint faciantque.

Cap. I.

DE VIRGINITATE IN GENERE.

Castitas, in proprio sensu sumpta, virtutem designat moralem, per quam ab illicitis carnis voluptatibus abstinemus, licitis modice utimur. Quia virtus, voluntarius est habitus, in anima, tanquam in subjecto suo existens habensque corpus pro materia et pro subjecto, in quo exercetur. Proprium enim est animae, corporeis uti membris secundum rationem ac modum ab eadem ratione praescriptum. „Castitas, inquit Benedictus XIV.,[1]) virtus est carnalium voluptatum moderatrix, de qua Apostolus:[2]) „Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus“ et:[3]) „Quietam et tran-

---

[1]) De servorum Dei beatificatione et beatorum canonisatione lib. III, cp. 24; cfr. Arias de Imitatione B. M. V. p. 185. [2]) 2 Cor. VII, 1. [3]) 1 Tim. II, 2.

quillam vitam agamus in omni pietate et castitate.“

Nobilissima haec virtus tres habet gradus: Primus est conjugatorum et appellatur castitas conjugalis, consistens in eo, ut conjugati et corpore et animo abstineant ab omni usu illicito ac inhonesto cum aliis et inter se purum honestumque colant matrimonium. Secundus gradus est viduarum aliorumque, qui non solum ab illicito, sed etiam a licito matrimonii usu abstinentes ad conciliandum magis Deum non amplius conjugium inire, sed castitatem servare volunt. Castitatem vidualem multo excellentiorem majorisque castitate conjugali esse meriti, nemo qui nesciat. Audiamus, quomodo Doctor gentium a Spiritu s. inspiratus hac de castitate judicaverit. „Mulier,“ inquit,[1] alligata est, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat; tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium. Puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam.“ Tertius gradus castitatis est eorum, qui virginitatem conservant perpetuam nec ulla libidine voluntaria commaculant corpus vel animam.

Castitas virginalis seu virginitas est secundum d. Augustinum[2]) continentia, „qua integritas carnis ipsi Creatori animae et carnis vovetur, consecratur et servatur.“ „Virginalis integritas, inquit celleberrimus Hipponensis antistes,[3]) et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas Angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuae meditatio.“ Castitatem virginalem nominat s. Ambrosius,[4]) „integram fidem, solidam spem et sinceram charitatem.“

A Doctore Angelico angelica haec virtus definitur[5]) „quaedam specialis virtus, qua aliquis se immunem ab

---

[1]) 1 Cor. VII, 39 sq. [2]) Lib. de s. Virginit. cp. 8. [3]) L. c. cp. 13. [4]) Lib. de viduis. [5]) II, 2, q. CLII, a. 1. corp.

experimento venereae voluptatis conservat et perpetuo conservare proponit.“ Nil mirum ergo, quod Concilium Tridentinum statum virginitatis statui ac castitati conjugali anteponendum esse clarissimis verbis doceat: [1]) „Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel coelibatus, et non esse melius ac beatius, manere in virginitate aut coelibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit.“

Constat apud theologos, virginitatis virtutem ad duo regna suam proferre potentiam, quorum unum sine altero stare non potest: regnum scilicet mentis et regnum corporis. Violata mente, corpore vero intacto, una pars hujus regni concidit. Hinc perpulchre s. Prosper: [2])
„Carnis virginitas intacto corpore habetur:
Virginitas animae est intemerata fides:
Qua sine corporei nil prodest cura pudoris:
Sed mentis pietas auget utrumque bonum.“ Corpore e contra per vim violato, intacta florebit virginitas, mens si intacta perseveraverit. Merito ergo suum persecutorem ita alloquebatur s. Lucia: „Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.“ Cui consonat d. Ambrosius: „Ubicumque Dei virgo est, inquit,[3]) Dei templum est nec lupanaria infamant castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam.“ Neque aliter loquitur s. Augustinus: [4]) „At enim ne vel aliena polluat libido, metuitur? Non polluet, si aliena erit; si autem polluet, aliena non erit. Sed quum pudicitia virtus sit animi comitemque habeat fortitudinem,qua potius quaelibet mala tolerare, quam malo consentire decernit; nullus autem magnanimus et pudicus in potestate habeat, quid de sua carne fiat, sed tantum quid annuat mente, vel renuat; quis eadem sana mente putaverit se perdere pudicitiam, si forte in apprehensa et oppressa carne sua exerceatur et expleatur libido non sua?“

---

[1]) Sess. XXIV, de ref. matrim. can. 10. [2]) Epigr. LXXVI. [3]) Lib. 2. de Virg. [4]) De civit. Dei lib. I. cp. 18.

Rabidorum instar canum oblatrarunt semper semperque oblatrant haeretici pulcherrimam hanc virtutem de coelo ad terram descendentem contra naturam esse eam blaterantes. Toties quidem illi serpentis inferni asseclae convicti, pertinaciter easdem repetere non desinunt calumnias. Quare ad infensissimos virginitatis insectatores optimo jure applicamus illud:[1] „Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis.“ Videamus ergo ad demonstrandum, peradmirabilem hanc virtutem nullatenus repugnare naturae, quomodo ethnici, quomodo Judaei et christiani de ea judicaverint.

§. 1.

Quomodo ethnici Virginitatem aestimaverint.

Ethnici licet vitae angelicae non cognoverint dignitatem, non potuerunt, quin incomparabilem Virginitatis admirati sint majestatem ac pulchritudinem. D. Hieronymus, validissimus virginitatis defensor, veritatem hanc in libro primo contra Jovinianum, „Epicurum Christianorum,“ ex professo tractavit lucidissimeque exposuit. Unum alterumve textum fini nostro convenientem describere liceat. „Percurram, inquit, breviter graecas et latinas barbarasque historias et docebo, virginitatem semper tenuisse pudicitiae principatum. Referunt fabulae Atalantem Calydoniam Virginem semper, in venatibus, semper in silvis, non tumentes uteros feminarum fastidiaque conceptuum, sed expeditam et castam amasse virtutem. Harpalicen quoque virginem Thraciam insignis poeta[2]) describit; et reginam Volscorum Camillam, quam Turnus, cui auxilio venerat, laudare volens, non amplius habuit, quod diceret, nisi virginem nominaret.[3]) O decus Italiae virgo! Chalchioecus quoque illa filia Leo, virgo

---

[1]) Act. VII, 51. [2]) Virgilii Aeneis lib. I. [3]) L. c. lib. XI.

perpetua, pestilentiam patriae scribitur spontanea morte solvisse; et Iphigeniae virginis sanguis adversos placasse ventos. Quid referam Sibyllas Erithraeam atque Cumanam et octo reliquas; nam Varro decem fuisse autumat, quarum insigne virginitas est et virginitatis praemium divinatio.“ Quas, etsi inter infideles idololatrasque natae fuerint et educatae, prophetiae ornavit donum, quia virgines fuerunt, ita ut prophetia virginitatis esset praemium. „Cassandram quoque et Chrysein vates Apollinis ac Junonis virgines legimus et sacerdotes Dianae Tauricae et Vestae innumerabiles exstiterunt.“

Romani suas habebant virgines. Quid mirum? Ut taceam, animam naturaliter christianam non posse, quin christianam virginitatis virtutem agnoscat et admiretur, nonne etiam diabolus, operum Dei aemulus, omnia vult imitari, quae Deus facit? Adorari cupit haberique ut Deus; vult sibi sacrificari, suos habere desiderat apostolos, qui ejus errores praedicent et mendacia; martyres etiam, qui pro erroribus falsisque doctrinis mori praeeligant. Sic voluit etiam habere virgines, quae virginitatem ei dicarent, ut virgines illae Dianae ac Vestae.

Inter templa unum erat consecratum deae Vestae. In quo nulla Vestae effigies conspiciebatur aut simulacrum, quia testante s. Augustino [1]) Vestam nil aliud esse existimabant, quam animam et divinum ignem, qui animo concipitur, oculis non videtur. Quare hoc templo nihil habebatur sanctius. Perpetuus in eo ardebat ignis, cui fovendo virgines illae vestales erant praefectae. Si qua earum fornicationis fuerit convicta, viva defodiebatur. „Claudia Vestalis, inquit s. Hieronymus l. c., quum in suspicionem venisset stupri et simulacrum matris Idaeae in rado Tiberis haereret, ad comprobandam pudicitiam suam fertur cingulo duxisse navem, quam multa millia hominum trahere nequiverant.“ Quo quid

[1]) Civit. Dei lib. III, cp. 28; cfr. lib. IV, cp. 10.

mirabilius in virginitatis laudem et ad ostendendum, quam grata sit Deo virginitas, dici potest? Gentilis erat Claudia Vestaeque idolo dicata, nihilominus tanto miraculo cum illa concurrit Deus ad pudicitiam ejus illustrem reddendam.

Quantum honoris exhiberi consueverit his virginibus, Plutarchus[1]) refert. Gaudebant prae aliis privilegio, quod vivente adhuc patre testamentum condere et de bonis suis disponere possent. Item cum facibus accensis, si prodirent, deducebantur. Si occurrerent reo, qui ad mortem ducebatur, necare eum non licebat; juramentum vero praestare debebat virgo, se non de industria, sed casu obviam factam. „Consules et Imperatores et in curribus triumphantes, qui de superatis gentibus trophaea referebant et omnis dignitatis gradus eis de via cedere solebant.“

Omnibus his honoribus perinsignibus non obstantibus sub Augusto Imperatore in nobilium familiis non amplius inveniebantur virgines, quae alendo et favendo igni Vestae destinari vellent; quare pro hoc munere sacerdotali suscipiendo eligi debebant servorum filiae. Et tamen virgines vestales non erant, nisi numero viginti nec ad perpetuam obligabantur virginitatem, sed usque ad trigesimum annum, quo exacto sponsione solutae illae nuptias inibant. Tantum denique abest, ut hanc virtutem, quae apud eas non animi, sed corporis tantum erat, amore coluerint puritatis, ut eam ob honores elegerint temporales. Virginitas earum juxta s. Ambrosium[2]) erat „emptitia, temporaria ac fastu plena.“

„Nec mirum, inquit d. Hieronymus l. c., hoc de hominibus, quum Minervam quoque et Dianam virgines deas finxerit error gentilium: et inter duodecim signa coeli, quibus mundum volvi putant, virginem collocarint . . . .

---

[1]) In Num. fo. 62. [2]) In Symmachum. cfr. Baronii Annales eccl. ad annum Christi 57.

Spartiatae et Messenii diu inter se habuere amicitias, in tantum ut ob quaedam sacra etiam virgines ad se mutuo mitterent. Quodam igitur tempore, quum quinquaginta virgines Lacedaemoniorum Messenii violare tentassent, de tanto numero ad stuprum nulla consensit, sed omnes libentissime pro pudicitia occubuerunt . . . . Quis valeat silentio praeterire septem Milesias virgines, quae Gallorum impetu cuncta vastante, ne quid indecens ab hostibus sustinerent, turpitudinem morte fugerunt: exemplum sui cunctis virginibus relinquentes, honestis mentibus magis pudicitiam curae esse, quam vitam . . . . Narrant scriptores Graeci et thebanam virginem, quam hostis macedo corruperat, dissimulasse paulisper dolorem et violatorem virginitatis suae jugulasse postea dormientem, seque interfecisse gladio, ut nec vivere voluerit post perditam castitatem nec ante mori, quam sui ultrix existeret."

Castitatem virginalem apud Romanos in summo fuisse honore etiam ex eo elucet, quod in virginem quacunque causa saevire nefas haberetur; quocirca si virgo morti esset addicenda, non prius interficiebatur, quam a carnifice aliove vitiata virgo esse desiisset. Quum tanti fecerint ethnici virginitatem, non est, cur miremur, quod, uti Dio testatur,[1]) Caesar Augustus, qui innuptis graviorem mulctam[2]) imposuit, nuptis praemia constituit, ne

---

[1]) Lib. 54 et 56. [2]) Inter Spartanos, quicunque tres liberos genuit, vacationem ab excubiis militaribus obtinuit; qui vero quatuor, ab omnibus oneribus immunis fuit teste Aristotele 2 Politic. cp. 7. Inter Romanos quoque mulieres trium liberorum jus habebant, quamvis essent in patris potestate, nihilominus admittebantur ad bona filiorum ab intestato mortuorum, sicut habetur institutionibus de senatus consulto Tertull. §. 2; quin etiam veteres Romani praeturas, quaesturas, consulatus nonnisi parentibus plurium liberorum conferre solebant teste Cornelio Tacito lib. 15, quamvis postea id sublatum eo, quod plerique candidati fraudem facerent ac ementitos liberos supponerent. „Maxima in vita, inquit Hermes Trismegistus lib. 9, et piissima cura est prudentibus filiorum pro-

civitas Romana bellis civilibus exhausta paucitate civium diutius laboraret, a poenis coelibatui constitutis eas exemerit, quae perpetuam virginitatem servabant, imo ipsis eadem, quae matribus, praemia largitus sit.[1])

§. 2.

Quid Judaei de continentia et praecipue de virginitate judicaverint.

Placere sibi continentiam et virginitatem, signis tantummodo aliquot externis in veteri lege indicaverat Deus. Sic erat v. g. prohibitum, ne Israelitae cibis sanctificatis Deoque oblatis immundi vescerentur. Mulier conjugata, quamvis legalis filia esset sacerdotis, cibos sanctificatos edere non poterat, quamdiu alicui de pópulo nupta erat; permittebatur vero illis vesci tempore, quo facta vidua in domo patris qua vidua habitabat.

Filii Israel per Moysen acceperunt Domini mandatum continendi se ab uxoribus „estote parati in diem tertium et ne appropinquetis uxoribus vestris,“ [2]) ut hac continentia sese praepararent ad audiendos Dei sermones. Sic porro Davidi etiam in summa penuria existenti prohibitum fuit, ne panibus vesceretur propositionis, quin per triduum a muliere se continuisset. Israelitas jussit de Madianitis [3]) „Cunctos interficite, puellas autem et feminas omnes virgines reservate.“ Similiter: [4]) „Hoc est, quod observare debetis: Mulieres, quae cognoverint viros, interficite; vir-

curatio, et maximum infortunium et impietas est, sine filiis aliquem ex hominibus excedere.“ Plato lib. 6. de legibus: „Quod si quis, inquit, in coelibe vita ad annum 35 usque perduraverit, damnis et mulcta quotannis plectitor: si de maximo censu est, drachmas centum, si de secundo, septuaginta etc; si quis singulis annis mulctam non solverit, decuplum debeto; omnino honorem nullum juvenes ei debent.“

[1]) Dio lib. 56. cfr. Baronii Ann. anno Christi 11 §. 1. [2]) Exod. XIX, 15. [3]) Num. XXXI, 18. [4]) Jud. XXI, 11.

gines autem reservate.“ His aliisque praeceptis Deus manifestavit, quantopere sibi placuerit continentia.[1])

Ne ergo mireris, quod vetus Testamentum etiam pulcherrima nobis continentiae ac virginitatis servandae praebeat exempla.

Ubinam illustrius invenietur exemplum, quam illud Joseph Aegyptiaci? Sollicitatus fuit ea in lege, ubi naturae praeceptum tota morum erat disciplina, sollicitatus a muliere, a qua omnia sibi esse metuenda non ignorabat. Quae quum effraenata Joseph insectaretur impudentia, ille pallium suum ei reliquit, ut ex illius elaberetur manibus, „ne, inquit s. Gregorius Nyssenus, virus, quo mulier ista impudentissima tactu vestes imbuere potuisset, cor suum aliquando pervaderet.“ Cujus patriarchae virtutem d. Augustinus admiratur dicens: „Magnus plane vir, qui venditus servire tunc nescivit, adamatus non redamavit, rogatus non acquievit, apprehensus aufugit.“

Quanam vigilantia Job suos custodiebat oculos, ne ab illis cor seduceretur? „Pepigi foedus, inquit,[3]) cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.“ Quod pactum fidelissime in eo etiam miserrimo explevit statu, ad quem redactus fuit. Quid dicam de Susanna, quae saevae mortis maluit subire periculum, quam castitatis suae contaminare gloriam? Haec ipsa cogitatio, „videor a Deo“ illam contra pessimorum senum impudentiam confirmavit effecitque, ut ne momento quidem inter vitae pudicitiaeque jacturam haeserit dubitabunda. Mortem potius subire decreverat heroica illa femina, quam secreto coinquinari scelere.

Nec silentio praetereundum celeberrimum Judithae exemplum, cujus brachium roboravit Dominus ad praescindendum Holofernis caput, quia virtute castitatis fuit

---

[1]) Cfr. Arias de Imitatione B. Virginis p. 185. [2]) Serm. 85 de Temp. [3]) Job. XXXI, 1.

decorata. „Fecisti viriliter, alloquitur eam summus Pontifex, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris et post virum tuum alterum nescieris.“ [1]) Judith per totam vitam marito mortuo in statu viduali caste vixisse ideoque a populo suo magnopere fuisse honoratam, non solum ex textu allato, sed etiam ex ultimo libri Judith capite [2]) elucet: „Post dies autem illos (victoriae per tres menses celebratae) unusquisque rediit in domum suam, et Judith magna facta est in Bethulia et praeclarior erat universae terrae Israel; erat enim virtuti castitas adjuncta, ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitae suae, ex quo defunctus est Manasses vir ejus.“

Jam ex hoc, quod Judith praebuit, exemplo, continentiam apud Judaeos non tantum sine infamiae nota, sed etiam in magno fuisse honore, luce clarius apparet.

Non quidem defuere, qui putaverint, in lege Moysis Judaeos ignominiosam judicasse continentiam tum propter expectationem Messiae, qui ex eorum gente nasciturus erat, tum quia s. Scriptura hoc innuere saltem videatur verbo: „Non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus, quam in gregibus tuis.“ [3]) Innuere saltem videatur, inquam; nullum enim in s. libris invenitur praeceptum, quo singuli Judaei ad matrimonium et multominus ad matrimonii obligarentur usum. De verbis „crescite et multiplicamini“ nullum praeceptum continentibus infra sermo erit.

Dicendum ergo, continentiam apud plurimos quidem Judaeos ex vulgi opinione vetitam et probrosam, apud Deum vero nec non apud homines a Spiritu Dei directos maximo honore putatam fuisse dignam. Ita expresse docet s. Thomas dicens: „Videbatur esse lege prohibitum, non dare operam ad relinquendum semen super terram.“ [4]) Terminus „videbatur prohibitum“

---

[1]) Judith XV, 11. [2]) Judith XVI, 25 sq. [3]) Deut. VII, 14.
[4]) III, p. q. XXVIII, a. 4. ad 1.

facillime ad vulgi opinionem referri potest. Consentiunt doctori Angelico s. Ambrosius,[1]) s. Bernardus,[2]) s. Joannes Damascenus,[3]) Tostatus Abulensis,[4]) Soto[5]) aliique plures.

Castitatem in veteri lege vocatam fuisse ingens votum, censet s. Damascenus.[3]) „Annon denique, inquit, lex ingens votum castitatem nuncupavit?" Merito eunuchis optima promittuntur bona:[6]) „Quia haec dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea et elegerint, quae ego volui et tenuerint foedus meum: dabo eis in domo mea et in muris meis locum et nomen melius a filiis et filiabus; nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit."

Virginitatem a Judaeis perhonoratam fuisse, ex multorum hanc virtutem tunc colentium exemplis colligitur, quales fuerunt Jeremias, Elias, Elisaeus, Daniel, tres pueri Babylonis, quorum mentionem faciunt d. Hieronymus,[7]) s. Ignatius,[8]) s. Ambrosius.[9]) S. Ignatius idem refert etiam de Melchisedech et Jeremia. S. Joanne Damasceno testante[10]) Danielis corpus virginitate ita fuit solidatum, ut bestiarum dentes illi infigi nequiverint; etiam d. Hieronymus[11]) virginibus eum annumerat. A Joanne Baptista, quem Judaei eximiae sanctitatis et perfectionis virum habebant, virginitatem semper servatam fuisse constat, uti etiam asserit d. Hieronymus.[12]) De Jacobo fratre Domini idem contendit s. Epiphanius dicens,[13]) „virginitatem eo tempore etiam apud Hebraeos magnificatam fuisse propter Jacobum fratrem Domini."

Josephus, scriptor judaeus, praeclarissimum nobis

---

[1]) De Virgin. lib. 1. [2]) Super Missus hom. 3. [3]) De fide orthodoxa lib. IV, cp. 25. [4]) In lib. Num. cp. 30 q. 22. [5]) In IV, dist. XXX, q. 2. [6]) Isai. LCXI, 4 sq. [7]) In lib. contra Jovinianum. [8]) In epist. ad Philad. [9]) De virgin. lib. I. [10]) De fide orthodoxa lib. IV, cp. 25. [11]) In lib. 3 contra Jovinianum. [12]) In prologo super Jeremiam. [13]) Haeresi XXX.

tradidit testimonium asserendo,[1]) Essenos[2]) in magna fuisse aestimatione apud Judaeos, quod castitatem servarent perpetuam ac vitam praeterea ducerent religiosam.“ Sunt, qui etiam Mariam, Moysis sororem, virginem fuisse putarint. Inter hos v. g. s. Gregorius Nyssenus[3]) et s. Ambrosius,[4]) quorum hic scribens, „virginem per mare duxisse populum hebraeum,“ non aliam intelligere potest virginem, quam Moysis sororem. Eandem sententiam tradit Salmeron: „Hoc ergo nomen (scil. Maria), inquit,[5]) multis mulieribus

---

[1]) Antiquit. Judaic. lib. XIII, cp. 8; lib. II, de bello Judaico; cfr. Euseb. lib. VIII, de praepar. Evang. cp. 4; Plin. hist. nat. lib. V, cp. 17; Solinus cp. 36; Baronius Apparatus in annales eccl. tom. I; Spondanus Apparat. ad annal. eccl. tom. I. VIII. 64. [2]) De ipsorum nomine ejusque significatione auctores inter se valde dissentiunt, juxta variam derivationem variam huic nomini tribuentes significationem. Alii eos ita appellatos censent a „sanare,“ quasi morbis animae et corporis mederentur; alii a „contemplari,“ utpote contemplationi magnopere deditos, vel ab „operari,“ quasi addictos Dei obsequio ac religioni bonis operibus exercendis. Sunt etiam, qui nomen „Essenorum“ derivare velint a verbo hebraeo „hasah“ tacere, latitare, quia ab hominum strepitu negotiisque se separantes quiete animi fruerentur. Seldenius de ipsis in libro de jure naturali et gentium lib. I, cp. 3 ita loquitur: „Hessaeos sine uxore viventes ex majori collegio fuisse (non omnes ergo Esseni juxta eum uxores duxerunt; quare alii ἄγαμοι, alii ἔγγαμοι appellabantur). Hinc etiam inter eosdem nata dissensio: Uxorem enim ducentes opinabantur, nullis uxoribus ductis, genus humanum interiturum; coelibes vero cane pejus et angue feminas aversabantur, quum sibi persuasissent, nullam in rerum natura feminam esse, quae viro suo fidem servaret.“ Contradicit vero Seldenio aperte Josephus Essenos ἐγγάμους non cognoscens. „Esseni, inquit, (de bello Judaico lib. II,) nuptias quidem fastidiunt (Antiq. lib. VI „Esseni omnes nuptias respuunt), alienos vero filios, dum adhuc molles sunt, eruditioni traditos, pro cognatis habentes, suis moribus diligenter instituunt: non quia conjugia vel humani generis successionem censeant perimendam, sed quia cavendam putent intemperantiam feminarum, nullam earum uni viro fidem servare credentes.“ [3]) De Virginit. cp. 6. [4]) Exhortatio ad Virgines. [5]) Comment. in evang. historiam. tom. III, tract. IV.

in veteri Testamento, sed primum ac praecipue sorori Moysi impositum fuit, quae caelebs et virgo fuit teste Apponio super Cantica et Gregorio Nysseno libro de virginitate: quae typus extitit Mariae virginis sororis Legislatoris et Pontificis i. e. Christi adumbrati in Moyse et in Aaron." Alii tamen virginem fuisse illam Mariam negant. Josephus[1]) enim eam conjugatam, uxorem nempe Hur, qui manum Moysis in monte orantis sustinebat, ejusque filium Beseleel fuisse refert. Nominatur quidem Maria nunquam a marito, sed semper a fratribus, sed hoc non, quia conjugata non fuerit, sed ad magnam fratrum dignitatem exprimendam. Huic sententiae subscripsit inter alios etiam Tostatus.[2])

Quamquam ergo in lege veteri virginitas non fuit adeo usitata, admirabilissimae hujus virtutis profecto non desunt exempla. Virginitatis causa Deus hisce virginibus distinctius sese communicavit, docente s. Ambrosio, quare ad praestantissima quaeque opera perficienda iis usus sit easque insignioribus cumulaverit gratiis.

§. 3.

Quid in nova lege judicetur de Virginitatis virtute.

„Prima Dei sententia, inquit s. Cyprianus,[3]) crescere et generare praecepit; secunda continentiam suasit. Quum adhuc rudis mundus et inanis est, copia foecunditatis generante propagamur et crescimus ad humani generis augmentum; quum jam refertus est orbis et mundus impletus, qui capere continentiam possunt, spadonum more viventes castrantur ad regnum." Benedicta fuit in principio mundi fecunditas, ut homines multiplicarentur; dein maledicta sterilitas, ut multiplicarentur fideles.

---

[1]) Antiq. Jud. lib. III, cp. 2. [2]) In cap. 35 Exod. in fine. [3]) De habitu. Virgin.

Postremo benedictam videmus virginitatem, ut carnali commercio relicto ad vitam provocemur coelibem. Splendida illa encomia, quibus magnus Doctor gentium virginitatem in prima sua ad Corinthios epistola[1]) celebraverat, ubique terrarum fuere audita: „Qui matrimonio jungit virginem suam, **bene** facit; et qui non jungit, **melius** facit . . . Qui sine uxore est, solicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, solicitus est, quae sunt mundi, quo modo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta, et virgo, cogitat, quae Domini sunt; ut sit sancta corpore et spiritu. Quae autem nupta est, cogitat, quae sunt mundi, quomodo placeat viro.“ Optime illa s. Pauli verba ita interpretatur d. Hieronymus: „In conjugio, inquit,[2]) initium est, in virginitate perfectio: nisi illaturus esset Apostolus: „Melius facit,“ nunquam praemisisset: „Bene facit“: ubi autem bonum et melius est, ibi boni et melioris non unum est praemium; et ubi non unum praemium, ibi utique dona diversa. Tantum est igitur inter nuptias et virginitatem, quantum inter non peccare et bene facere; imo, ut melius dicam, quantum inter bonum et melius.“ Virginitas ergo ex mente s. Pauli matrimonio melior est et quidem non tantum ad vitandas curas, solicitudines domesticas molestiasque temporales, ut voluit Lutherus, sed etiam ut quis sanctior evadat, ut cum Maria, Marthae sorore, „sedens secus pedes Domini possit audire verbum ejus.“[3]) Quare teste Angelo scholae[4]) „in virginitate permanere, bonum est; honestum propter puritatem, delectabile propter libertatem, utile propter mercedem; quia ei debetur aureola et fructus centesimus“:

Vetus sterilitatis opprobrium abstulit beatissima Virgo

[1]) 1 Cor. VII, 25 sqq. [2]) Contra Jovinian. cp. VII. [3]) Luc. X, 39. [4]) In expos. epist. I. Cor. VII, 25.

et antiquam maledictionem convertit in benedictionem. Abjectio plebis opprobriumque hominum hac in terra fieri non recusavit, ut per integritatis munditiam in coelo socia fieret angelorum. Gloriosissimam illa reddidit perpetuam virginitatem. Virginitas haec Dei Filium unigenitum in beatissimae Virginis viscera attraxit. Quum enim in mundum venire voluit, ne unico quidem momento distulit, sed simulac illa prorupit in verba: „Fiat mihi secundum verbum tuum,“ etiam „Verbum caro factum est.“

Unde Doctor Angelicus:[1]) „Virginitatis ejus, inquit, tenebatur pulchritudine.“ Hanc considerans veritatem d. Ambrosius[2]) exclamat: „Quanta est virginitatis gloria, quae meruit a Christo eligi, ut esset temporale Dei templum, in quo corporaliter habitavit plenitudo Divinitatis? Virgo genuit mundi Salvatorem.“ Primus ex humanae redemptionis arbore fructus, quem Jesus carpit, virginitas est; ideo virgines „primitiae Deo et Agno“ appellantur:[3]) „Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt et sequuntur Agnum, quocumque ierit. Hi empti sunt ex omnibus primitiae Deo et Agno.“ Virginitas Redemptorem genuit: hic deinde cum matre utrique sexui autor extitit Virginum fere prius, quam Christianorum. „Arbitror rationi consentaneum esse, scribit ideo Origenes,[4]) virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse Jesum, muliebris vero Mariam. Non enim plausibile est, alii praeter hanc virginitatis primitias ascribere.“ Cui consentit d. Augustinus dicens:[5]) „A Maria coepit dignitas virginum.“

Si ergo „Dominus noster, ait idem s. Doctor,[6]) per casta virginis membra ad terras venit, ut ostenderet, Deum esse castitatis authorem,“ omnes, qui aliquam a

[1]) III, p. q. XXX, a. 1. [2]) I. Offic. [3]) Apoc. XIV, 4. [4]) In Matth. cp. XIII. [5]) In Joa. tract. X. [6]) Serm. 17 de Tempore.

caeteris magis distinctam cum Christo Jesu habebant relationem, in hac potissimum virginitatis virtute excelluerint necesse fuit, quemadmodum uterque s. Joannes: gloriosus scilicet Domini praecursor et dilectissimus ille discipulus, cui moriturus in cruce matrem virginem virgini commendavit. „Joannes, inquit d. Hieronymus,[1]) qui minimus traditur fuisse inter Apostolos, et quem fides Christi virginem repererat, virgo permansit, et ideo plus amabatur a Domino, et recubuit super pectus Jesu; Petrus, qui uxorem habuerat, interrogare non audet et Joannem, ut interrogaret, rogat.“ Alii Apostoli quum piscarentur post Christi resurrectionem, eum quidem in littore maris viderunt, unus vero Joannes eum agnovit: „Dominus, inquit, est.“ Cur ita? D. Hieronymus respondet l. c: „Nesciebant Apostoli, quem videbant; solus virgo virginem agnovit.“

De castissimo illius sponso inferius disseremus. Si Apostoli non omnes fuerunt virgines tempore, quo ad Apostolatus vocabantur dignitatem, tamen Apostoli electi semper servarunt castitatem. S. Paulus, per antonomasiam Apostolus nominatus, non suadebat solum castitatem uniuscujusque status propriam, sed optabat etiam, ut omnes in hac re eum imitarentur.

De hujus virtutis dignitate multi ss. Patrum multa scripserunt. Inter Graecos praecipue s. Chrysostomus et d. Basilius, quorum uterque librum de virginitate et de virginibus edidit. Inter Latinos s. Cyprianus, cujus liber „de habitu virginum“ exstat; s. Hieronymus et s. Ambrosius, qui libros de virginibus scripserunt. D. Augustinus praeclarissimum de s. virginitate opus edidit. Alii vg. Tertullianus, Sulpitius Severus, Evagrius, Eucherius, Gregorius magnus magnusque Leo, Isidorus Sevillensis, Amalarius, Bernardus, Rabanus Maurus in scriptis suis virginei status mentionem facientes, tam pulcherrimum de eo ferunt

---

[1]) Lib. I. contra Jovinianum.

testimonium, ut satis appareat, quantopere illum honoraverint et ab hominibus honorandum putaverint.

Hinc praeclara illa nullisque saeculis abolenda epitheta, quae doctores et patres doctissimi virginitati virginibusque tribuerunt. S. Cyprianus eas vocat „imaginem Dei, illustrissimam gregis portionem, florem ecclesiastici germinis, decus et ornamentum gratiae spiritualis.“[1]) S. Hieronymus nominat Eustochium, s. Paulae filiam, dominam suam. „Dominam enim, inquit,[2]) vocare debeo sponsam Domini mei.“ Virginitas juxta eum consideranda est ut holocaustum. „Grandis fidei est grandisque virtutis, scribit,[3]) Dei templum esse purissimum totumque se holocaustum offerre Domino et juxta Apostolum sanctum esse corpore et spiritu.“

Non solum holocaustum, sed maximum etiam martyrium significare virginitatem, docet Radulphus Ardens ex s. Hieronymo. „Culmen, ait, omnium virtutum est virginitas: utpote quae omni virtute, omni merito et martyrio cumulatur. Quae enim major est virtus, quod meritum majus, quam vivere in carne non secundum carnem, quam esse in igne, et non ardere? manere in luto, et non contaminari: et inter malitias hujus mundi angelicam ducere vitam? Quod martyrium majus, quam se ipsum crucifigere?“ S. Athanasius virginitatem coronam appellat et margaritam. „Ingens glorificatio puritas, exclamat admirabunde,[4]) o virginitas opulentia indeficiens, corona immarcessibilis, templum Dei, margarita pretiosa.“

S. Basilius virgines nominat terrestres Angelos.[5]) „O castitas, quae homines angelis similes reddis!“ „Tanto nuptiis virginitas praestat, scribit d. Chrysostomus,[6])

---

[1]) De habitu Virg; cfr. de bono Discipl. et Pudicit. [2]) Epist. 22. cp. 1. [3]) Contra Jovinianum lib. 1. [4]) Lib. de Virginit. [5]) Lib. de Virginit; cfr. s. Ambr. lib. 1 de Virginit. Chrysost. serm. 143; Petrus Chrysol. serm. 143; s. Bernard. serm. de Altitudine cordis; Amphilochius de occursu Domini. [6]) De virgin. lib. V, cp. 1.

quanto coelum terrae, quanto hominibus angeli antecellunt, et si quid praeterea addendum est, etiam magis. Nam si neque nubunt angeli neque uxorem ducunt, non etiam carne et sanguine coagmentati sunt, quique in terra non commorantur, non cupiditatum ac libidinum perturbationibus sunt obnoxii, non indigent cibo aut potu, non sunt hujusmodi, ut eos dulcis sonus emollire possit aut praeclara species allicere queat, nulla denique hujus generis illecebra capiuntur, sed sicut coelum in meridie purum et perlucidum apparet, sic angelorum natura nullis commota perturbationibus, necessario clara permanet et illustris. At humanum genus, quum natura beatis illis mentibus inferior sit, omni vi studioque contendit, ut, quoad ejus fieri potest, illas assequatur: quomodo enim non ducunt uxores angeli, ita nec virgines. Quamobrem Paulus ab omnibus curis avocat eas, ut attente et assidue servire Deo possint. Quod si virgines, quamdiu corporis onere deprimuntur, nequeunt sicut angeli ascendere in coelum, illud eo vel maximo solatio compensant, quod modo spiritu et corpore sanctae sint et coeli regem recipiant. Videsne virginitatis praestantiam?" Ita s. Chrysostomus. Doctor Mellifluus vero[1]) virgines majori adhuc laude dignas esse asserit; quod enim angeli naturaliter habeant ac sine labore, hoc virgines obtinere non posse nisi lucta gravissima.

Imo Joannes Climacus[2]) dicere audet, virginalem castitatem similitudinem esse Dei, quantum quidem fas est homini: et sicut daemones nullo peccato magis gaudent, quam luxuria; ita Deus nulla re magis delectatur, quam virginali castitate humilitati conjuncta. Quid ea eminentius? Virtutum flos, flos ecclesiae et corona. Hanc ei tolle, jam in squalore jacebit; hanc

---

[1]) Epist. 42. Cfr. s. Ambros. de viduis „Angeli enim sine carne vivunt, virgines vero in carne triumphant." Cfr. August. de Virg. cp. 23. [2]) Gra. 15.

redde, nec coeli gloria cuiquam rei similior erit. Climaco consentit planissime d. Basilius: „Magna est virginitas, inquit,[1]) quae hominem incorruptibili Deo simillimum facit. Sic fidelis anima virginitatem suam ab omni sordidae cogitationis labe puram immaculatamque custodiens, ad id provehitur, ut similitudinem incorruptibilis Dei in se velut in speculo mundissimo, ipso jam gratiis suis suavissimi radii in morem illi influente speciem et laudem suam consequatur.“ Atque haec de pulcherrimae illius virtutis encomiis et epithetis dixisse sufficiat.

Quae si prae oculis habemus, facillime comprehendimus, quare Imperatores catholici edictis et statutis suis tuiti sint virgines ac generatim statum virginalem, eodem, ut ita dicam, sinu conceptum, quo ipse Dei filius assumpserat carnem. „Jovianus, inquit Sozomenus,[2]) generale misit edictum, quo jubebat, ut qui sacratam virginem vel ad nuptias contrahendas pellicere conaretur vel lascivo solum obtutu aspiceret, maxime omnium, si per vim rapere tentaret, capitis supplicio mulctaretur.“ Justinianus Imperator: „Raptores, inquit,[3]) virginum vel viduarum vel diaconissarum, quae Deo fuerint dedicatae, pessima criminum peccantes, capitis supplicio plectendos esse decernimus.“ Audiamus etiam, quae Eusebius Caesariensis retulerit de magno Constantino. „Imperator, scribit,[4]) maximis eos honoribus prosequebatur, qui vitam suam coelesti philosophiae dedicassent: sanctissimum ergo perpetuarum virginum coetum constanter colebat, quod in earum mentibus Deum ipsum, cui se consecrarant, inhabitare crederet.“

Nullum profecto existit divinum oraculum, ad quod implendum diabolus magis elaboravit, quam illud, quo praedictum fuerat, serpentem virginitatis signiferae et magistrae calcaneo insidiaturum. Jurati virginitatis hostes

---

[1]) Lib. de Virgin. [2]) Lib. VI, cp. 3. [3]) L. Raptores cp. de Episcopis et Clericis. [4]) In vita Constantini lib. IV, cp. 28.

nunquam defecere. Primo apparuerunt Judaei coelestem illam virtutem irridentes ac calumniantes. Sequebantur ethnici et postremo permulti christiano nomini ascripti infensos sese gesserunt virginitatis insectatores.[1])

Quo ardentiori odio isti persequebantur virginitatis amatores, eo magis amatorum crescebat numerus. Omnes enim, qui in beatissimam Virginem, omnium virginum primitias, matrem et reginam, oculos conjiciebant, fecit illa quodammodo virgines, puritatis amatores, per arcana amoris superni spiramina vivacissimi instar magnetis mortalium animos ad sese pelliciens.

Perpulchre ideo Guericus Abbas: „Mox ut Dominus respexit Petrum, inquit,[2]) Petrus de clementia purissimi vultus suscepit imbrem serotinum, lacrymas post peccatum: sic ut Virgo mortales suis oculis virgineis intueretur, effudit imbres castitatis et sacrae pietatis coelestes amores et eos sibi reddidit devotos similesque." „O virgo, exclamat s. Joannes Damascenus,[3]) virginitatis sacratissima planta, per te virginitatis pulchritudo latissime sese diffudit."

Beatissimae Virginis virginitati purissimae debemus, ut Ecclesia toto in mundo dispersa pulcherrimis continentiae ac virginitatis floribus ornari coeperit. „Quamvis enim hoc quoque saeculo videamus multos illustres homines,

---

[1]) „Vigilantius, ut ait s. Hieronymus, (adv. Virg. cp. 1) continentiam haeresim, pudicitiam libidinis seminarium, virginitatem impugnavit nullique pudicitiam credidit." Faustus Manichaeus „virginitatem daemoniorum esse doctrinam" asserebat (cfr. Aug. contra illum lib. 30 cp. 4). „Votum continentiae, inquit Lutherus in epist. ad Wolfgangum, contra verbum et opus Dei susceptum, ut impossibile et impium, nullius momenti est. Deus reprobat illud, non secus, ac si vovissem, Dei matrem me velle fieri aut novum coelum condere velle." In libro de vita conjugali „ut in potestate mea non est, ne vir sim, ita nec, quominus coelebs vivam." In lib. contra Catharinum „decima facies, inquit, antichristi est insignis ille coelibatus papisticus; plane angelica facies, sed diabolica res." [2]) Serm. 3 de ramis. [3]) Orat. de Nativ. Virg.

inquit Arias,[1]) tam in religione, quam extra magna puritate perpetuam servare castitatem, tamen in primitiva ecclesia et trecentis quadringentisve post eam annis, quando Christi matrisque ejus benedictae exemplum erat recentius vivaciorque memoria ac sacri Salvatoris sanguis adhuc fervebat in fidelium pectoribus, tunc multo latius haec pulcherrima virtus efflorescebat; nec enim numerus iniri poterat hominum, qui toto orbe ab ineunte aetate usque ad mortem perpetuam coluissent castitatem, imitantes in terra puritatem coelitum et in carne mortali vitam agentes angelorum immortalium."

Audiamus testimonia sanctorum Patrum hoc spectaculum propriis aspicientium oculis. „Si in solitudinem Aegypti te conferas, narrat d. Chrysostomus,[2]) deprehendes totam regionem illam conversam in paradisum coelestem. Offendes enim innumeros coetus praestantissimorum virorum vitam angelicam in corpore mortali agentium. Per totam provinciam videre licet quasi integrum militum Christi exercitum, regiumque et admirandum gregem humilium ovium, quae in terra imitantur vitam coelestem idque non solum in urbibus, sed etiam in locis desertis. Deinde non viros tantum, sed etiam eminere feminas hac virtute conspicias. Nam illae quoque non minori, quam viri virtute decorantur: non clypeo arrepto in equum insilire callentes, ut sapientissimi gentilium jubent magistri, sed multo certe vehementius bellum gerentes." „Respice Domine Deus," exclamat s. Augustinus[3]) describens, quanta cupiditate utriusque sexus omnisque aetatis virginitatem perpetuam amplexi sint fideles, „respice agmina virginum, puerorum puellarumque sanctarum: in ecclesia tua eruditum est hoc genus; illic tibi a maternis uberibus pullulavit, nomen tuum ad loquendum linguam solvit, nomen tuum velut

---

[1]) De Imitatione B. Virginis pag. 196. [2]) In Matth hom. 8 cp. 2. [3]) De s. Virginit. cp. 36.

lac infantiae suae suxit infusum, quod non jussisti, sed tantummodo volentibus arripiendum proposuisti dicens: „qui potest capere, capiat.“[1]) Arripuerunt, voverunt et propter regnum coelorum se ipsos, non quia minatus es, sed quia hortatus es, castraverunt.“

Vixerunt in Christi ecclesia omnibus temporibus quamplurimi utriusque sexus omnisque aetatis homines, qui perpetuam coluerunt virginitatem. Semper generosissimae ibi floruere virgines, quae acerbissimorum tormentorum pretio virginitatis margaritam sibi compararunt seu potius conservarunt, quae pretiosissimos etiam mundi thesauros pedibus conculcantes crudelissimis ad virginitatem defendendam libentissime sese subjecerunt suppliciis. „Cruciate, torquete, damnate, atterite nos, inducit Tertullianus eos loquentes,[2]) probatio est enim innocentiae nostrae iniquitas vestra. Ideo nos haec pati Deus patitur; nam et proxime ad leonem damnando Christianam potius quam ad lenonem, confessi estis labem pudicitiae apud nos atrociorem omni poena et omni morte revocari.“

Nonne hoc invictum nobis praebet argumentum, in sola Ecclesia catholica extitisse semper existereque veram Christi doctrinam? „Ubi enim, inquit Arias,[3]) verae et perfectae virtutis exercitatio viget, ibi necesse est, veram quoque vigere pietatem in Deum et religionem. Virtus si quidem perfecta non nisi auxilio coelesti et divinae gratiae beneficio haberi potest.“ Quomodo absque divino auxilio virgines illae virginitatem tanti aestimare potuissent, ut in comparatione illius omnia nihil fecerint tormenta, imo a leonibus potius dilaniari, quam lascivorum demulceri voluerint lenociniis! Ubi vero gratia virtutisque perfectio, uti in hominibus sanctis et justis, ibi immensa providentiae divinae bonitas, demonstrata maxime erga justos, abesse non potest ac proinde nec aberit coelestis in omni necessaria doctrina instructio.

---

[1]) Matth. XIX, 12. [2]) Apolog. cp. 50. [3]) De Imit. B. Virginis.

Cap. II.

DE S. DEIPARÆ VIRGINITATE IN SPECIE.

Beatissima Virgo, illustrissimis verbis promissa, ardentissime desiderata tantoque expectata tempore, incorrupta semper ac integerrima Virgo fuit. Omnia concilia de Incarnatione D. N. J. Ch. disserentia hanc fidei veritatem supponunt ac definiunt.

„Si quis secundum sanctos Patres, definit concilium I. Lateranense,[1]) non confitetur proprie, et secundum veritatem, Dei Genitricem sanctam semperque Virginem et immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter, qui a Deo Patre ante omnia saecula natus est, in ultimis saeculorum absque semine concepisse ex Spiritu sancto et incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente, et post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit." Eadem veritas definitur in concilio V. Constantinopolitano,[2]) ubi beatissima Maria „semper Virgo" dicitur, quo etiam modo a Tarasio Patriarcha[3]) vocatur. Concilia quoque Ephesinum, Chalcedonense, Tridentinum[4]) verbis apertissimis hanc definiunt veritatem, quam profitemur in symbolis Apostolico, ubi Christus dicitur natus „ex Maria Virgine," sicuti Constantinopolitano „et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine."

Symboli Apostolici authoritate perpetuam Mariae virginitatem luculenter astrui testatur d. Ambrosius.[5])

---

[1]) Consult. 5 can. 3. [2]) Consult. 8 can. 6. [3]) In epist. ad summos Sacerdotes et Episcopos. [4]) Sess. 6 in decreto de peccato originali; sess. 6 can. 23. [5]) Epistola 81 ad Siricium. [6]) In lib. de eccl. dogmatibus apud Augustinum cp. 69.

Merito igitur scribit Gennadius Massiliensis:[6]) „Integra fide credendum est, beatam Mariam, Dei Christi matrem, et virginem concepisse et virginem genuisse et post partum virginem permansisse." Cui consonat s. Damascenus ita inquiens:[1]) „Hodierna die sancta ac sola Virgo mundo sublimiori ac coelesti templo offeretur, quae virginitatem eo usque coluit atque concupivit, ut ab ea tamquam a purissimo quodam igne afficeretur. Nam quum Virgo omnis per partum virginitati perniciem adferat, ipsa tamen et ante partum et in partu et post partum Virgo permansit." Similia Ildephonsus Toletanus de perpetua s. Mariae virginitate scribit. „Hujus, inquit,[2]) certe virginitas semper incorrupta, semper integra, semper illaesa, semper inviolata. Nam angelicae forma naturae ante soliditatem fragilis, ante firmamentum labens, ante stabilitatem ruens, ante robur titubans atque nutans. Haec femina sanctificationis vas est, aeternitas virginitatis est, mater Dei est, sacrarium s. Spiritus est, templum singulariter unicum factoris sui est."

Neminem porro latet, inter compertissima christianae traditionis capita illud censeri, quo synodi et s. Patres unanimiter Deiparam praedicant „virginem — semper Virginem — *παρθενον* — *αειπαρθενον*."[3]) Ejusmodi vero epithetis seu attributis clarissime significatur,

---

[1]) Orat. 2 de dormitione Deiparae. [2]) De perpet. virginit. b. Mariae cp. 10. [3]) Mingarellius (Notae in lib. Didymi de s. Trinitate lib. 1 cp. 27) Didymi, scriptoris quarti saeculi, verbis: „Qui ex ineffabili luce ab aeterno eluxit, e „semper virgine" posterioribus temporibus ob suam in homines benignitatem ineffabiliter natus est" hanc subjicit adnotationem: „Si Rufini Palaestini, Pelagiani quidem, sed pervetusti auctoris librum de fide allegare hic licet, is quoque Nr. 43 scribit: „Ex Maria quidem semper Virgine nascitur homo." Verum temporibus Didymo posterioribus maxime invaluit id nomen," ut nihil frequentius occurrat, quam voces *αειπαρθενος* — semper Virgo — in graecis et latinis liturgiis, antiphonis, orationibus, atque adeo in synodorum actis et sanctorum Patrum operibus, ubi de beata Maria sermo fit."

Deiparam forma ipsa ac specie creatae virginitatis nunquam non eminuisse; forma et species virginitatis creatae nullas nec animi nec corporis patitur maculas.[1])

Nomen „sacra Virgo“ est nomen s. Deiparae proprium et appellativum, nomen, de quo jam saeculo quarto s. Epiphanius declaravit, esse s. Deiparae essentiale nec ullo modo commutari posse. „Quo tempore, inquit,[2]) unquam exstitit, qui sanctae Mariae nomen appellare auderet, et non rogatus, subinde „Virginis“ vocabulum adjiceret? Nam in adjunctis hujusmodi vocibus virtutis indicia collucent. Quippe justis omnibus, pro eo ac singulos decebat, sua cuique sunt dignitatis attributa nomina. Ita Abrahamo amici Dei titulus accomodatus est . . . . sic sancta Maria „Virgo“ nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur.“[3])

Hinc mos apud omnes christianos receptissimus, ut, quoties de Matre Domini mentio incidit, eam aut simpliciter Virginem aut „beatam, benedictam, perpetuam, semper Virginem“ nominent. Est enim virgo felicissima et perfectissima nec ulla ei similis umquam reperta fuit nec reperietur. Virgo, quae quidem gaudia Matris gustavit, sed ejus damna non sensit; virgo, quae matris officia ita explevit, ut virginitatis ornamentum ac decus non solum in se conservarit, sed etiam mirande auxerit.

Quae de s. Deiparae virginitate docet ecclesia, hac unica complecti quidem possemus thesi: „Beatissima Dei mater semper Virgo fuit.“ At claritatis gratia

---

[1]) Cfr. Passaglia de immaculato Deiparae Conceptu p. III, pag. 1050. [2]) Haere. LXXVIII, n. 6. [3]) „La „sainte vierge“ est le nom propre de Marie,“ inquit Malou. (Immaculée conception de la bienheureuse Vierge Marie tom. I, pag. 376). „L' Eglise vénère sans doute beaucoup de vierges saintes, qui ont ou arrosé la terre de leur sang, ou embaumé le champ du père de famille, l' Eglise, du parfum de leurs vertus; mais il n'en est aucune qui ait mérité ou obtenu le nom de „la sainte Vierge“ par excellence. Ce nom est réservé à la mère de Dieu.“

majori oportebit uti distinctione et singula singulis reducere membris. Quare dicimus:

§. 1.

S. Mater Dei ante partum Virgo fuit.

Judaei isti obcaecati, qui Messiam, maximum suum benefactorem tot tantisque affecerint contumeliis ac calumniis, odio infensissimo eum palam et publice persequentes acerbissimoque supplicii genere interficientes, quomodo Matri suae, beatissimae Virgini, parcere potuissent? Ne ergo mireris, si juratos Christi christianique nominis adversarios audias blasphemantes, b. Virginem matrimonium consummasse cum s. Joseph et Christum Salvatorem nostrum carnali ex consortio cum illo concepisse. Testibus s. Irenaeo,[1]) Tertulliano[2]) et s. Epiphanio[3]) ita docuere Carpocrates ac Cerinthus. In eodem erroris luto haeserunt Ebionitae, ut asserit cum s. Clemente Romano[4]) s. Epiphanius de iis scribens:[5]) „Temporis progressu et hucusque sectatores ejus, hoc est, Ebionis[6]) propria mente ad inconstantiam ac haesitationem conversa, alii aliter apud ipsos de Christo narrant.“

Antequam contra istos s. Deiparae virginitatem ante partum probandam aggredimur, non abs re erit, paucis saltem inquirere:

1°: Utrum virgineus ille conceptus gentibus innotuerit.

Non defuere nec desunt scriptores, qui sibyllinis praecipue oraculis innisi conceptum virgineum gentibus

1) Adv. haeres. lib. I, cp. 24. 2) De praescript. adv. haeret. cp. 48. 3) Contra haereses lib. I, cp. 27. 4) Constit. Apost. lib. VI, cp. 6. 5) Haeres. XXX. 6) Ebionitae, quasi pauperes et mendici nominati; ita juxta vocis hebraicae etymologiam interpretatur Eusebius hist. eccl. lib. III, cp. 27.

innotuisse censuerint. Edocemur hic verbis luculentissimis,[1]) Christum Dominum e virgine oriturum esse. Sed inciderunt illa oracula, quorum quidem Eusebius,[2]) Lactantius,[3]) Augustinus[4]) aliique adversus gentes disputantes mentionem faciunt, in offensionem criticorum. „Edita fuisse putantur, inquit Trombellius,[5]) a Christiano quodam, qui prioribus ecclesiae saeculis florens in elucubrandis versibus sese exercuit, quos quidem versus aut is ipse, qui eos composuit, aut certe alius vetustis ecclesiae temporibus vivens sibyllis supposuit. Alii eos versus compositos fuisse putarunt a docta muliere, quae synecdoche quadam non infrequenti ideo sibylla dicta est, quod in edendis versibus sibyllam Romanis notissimam veluti aemularetur, item ut dicitur Nero princeps ille, qui in saevitiae Neronis est similis.

Utcunque res se habeat, en quae adnotet Gallaeus:[6])

---

[1]) Audiamus brevitatis causa Tiburtinam et Erythraeam:

Tiburtina: „Verax ipse Deus dedit haec mihi numina fandi,
Carmine, quod sanctam potui monstrare puellam,
Concipiet quae Nazareis in finibus illum:
Quem sub carne Deum, Bethlemitica rura videbunt.
O nimium felix, coelo dignissima Mater,
Quae tantum sacro lactabit ab ubere prolem."

Erythraea: „Cerno Dei Matrem, qui se dimisit ab alto
Ultima felices referent cum tempora soles,
Hebraea quem Virgo feret de stirpe decora,
In terris multum teneris passurus ab annis,
Magnus erit tamen hic divino carmine vates,
Virgine Matre satus, prudenti tempore verax."

„Ultima Cumaei venit jam carminis aetas,
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo,
Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies coelo demittitur alto."

Virgilius in 4 Ecloga.

[2]) De vita Constantini lib. IV. [3]) De justitia lib. IV, cp. 18. [4]) De civitate Dei lib. 18 cp. 13. [5]) Mariae sanctissimae vita tom. II, p. I, diss. XI, n. 6. [6]) Oracula Sibyllina lib. 8. pag. 759. „Was war die Sibylle, interrogat Lüken in opere suo „Die Traditionen des

„Omnia haec et sequentia sunt suppositítia, ex scripturis petita: et mirandum est, reperiri homines tam credulos, qui admittant a sibylla Erythraea esse haec praedicta. Hoc modo s. Isaiae magna fit injuria: hic enim tantum potuit praedicere „Virgo pariet;“ illa vero scivit (si diis placet) nomen Virginis, Mariae scilicet. Sic Gentilibus clarius mysteria sacra innotuerunt, quam ipsi populo

---

Menschengeschlechtes.“ Zweite Auflage, Münster 1869 pag. 444 sq, der wir im Orient wie im Occident, als der Verkünderin des Schicksals der Welt und der Menschheit, begegnen? Offenbar hat nie eine solche Seherin gelebt, sondern es ist diese alte Prophetin der Urzeit nur eine erdichtete Person, hauptsächlich, um als Trägerin jener alten prophetischen Ueberlieferungen der Urzeit zu dienen . . . . . . Die Sibylle war nur eine mythische Person, welche im Anfang dem Menschengeschlechte sein Schicksal sollte verkündigt haben, oder vielmehr die alten heiligen Traditionen und Weissagungen der Urzeit gaben Veranlassung, eine Seherin der Urzeit zu erdichten und ihr dieselben sowie Alles, was das Schicksal der Menschen betraf, in den Mund zu legen. Wenn nun die alten Schriftsteller zuweilen von Sibyllen als wirklich historischen Personen sprechen, so müssen wir uns darunter nur solche Personen denken, welche, eben von jenen der mythischen Sibylle in den Mund gelegten Sprüchen und Weissagungen erfüllt, nun selbst weissagten, indem sie die Erfüllung jener alten Prophezeiungen verkündeten, oder es sind die alten sibyllinischen Sprüche und Weissagungen selbst, die, indem sie bei gewissen Gelegenheiten aufs Neue unter dem Volke auftauchten, zu der Sage einer neuen Sibylle Veranlassung gaben.“ Plenissime consentit B. Jungmann in tractatu de vera religione (Ratisbonae 1871 pag. 136) ita inquiens: „Remanserunt inter gentes etiam postquam a vera religione defecerant reliquiae eorum, quae protoparentibus in origine rerum post lapsum, ac dein patriarchis de adventu futuro Redemptoris ac Judicis et de consummatione saeculi communicata erant. Factum est decursu temporis, ut ista vaticinia tribuerentur virgini cuidam in primo rerum exordio existenti; et quamvis haec virgo originaria uti gentes eam concipiebant imaginationis foetus esset, tamen etiam hac in re primae mulieris Evae reminiscentia continebatur. Nomen Sibyllae huic virgini impositum censetur compositum ex *σιος (θεου) βουλη*, ita ut hac voce Dei decretum significetur. Si quae exstiterunt postea personae historicae, quae ab antiquis hoc nomine Sibyllarum designatae sunt, supponi potest, eas haud

Dei, quod plane est *ἀντίγραφον*, ut ex sequentibus satis posset demonstrari, ex nomine Angeli Gabriel ejusque colloquio cum s. Virgine." Quaeritur

2°: Utrum virginei conceptus mysterium in veteri Testamento fuerit adumbratum.

„Electae Virgini, respondet Leo Magnus,[1] de semine Abrahae ac de radice Jesse per propheticas voces ac mystica signa promissae denuntiatur ab Archangelo sine damno pudoris beata foecunditas." Recenseamus paucis

a. symbola ac signa mystica, de quibus s. Patres saepius habent sermonem.

α. Moyses vidit rubum igne comburi nec tamen flamma consumi, in quo Dominus populum suum a servitute eripiens aegyptiaca apparuit. Rubus ille beatam praesignat Virginem, quam Spiritus s. ignis prole illuminavit nec tamen concupiscentiae flamma violavit. „O miraculum ingens, exclamat s. Gregorius Nyssenus,[2] virgo et mater fit et virgo permanet et nec virginitas partum prohibuit neque partus virginitatem solvit. Hoc mihi longe ante, per eam, quae ei per lumen facta est, Dei apparitionem magnus ille Moyses animadvertisse videtur, quum ignis accenderetur ex rubo et rubus non conflagraret nec consumeretur." Unde etiam Ecclesia: ‚Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem."

β. Aaron jubente Domino in tabernaculo virgam

---

quidem prophetissas fuisse, quae sua ediderunt vaticinia, sed fuisse personas, quae antiquas illas traditiones sacras ac vaticinia prae caeteris cognoscebant, edisserebant et propagabant. Ex his vides, concludit author, oracula illa Sibyllarum apud antiquos non fuisse omnino superstitiones, sed fundamentum verum subesse, quum iisdem reapse sacrae traditiones et vaticinia de Redemptore involuta essent." Haec ille.

[1]) Serm. X, de Nativ. cp. 4. [2]) Orat. de Nativ.

posuit aridam, quae sine humore floruit et fructus produxit. De qua ita Doctor Mellifluus: „Quid, rogo, inquit,[1]) virga Aaron florida nec humectata, nisi ipsam concipientem, quamvis virum non cognoscentem? Hujus magni miraculi majus mysterium Isaias edisserit, dicens: „Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet;“ virgam virginem, florem virginis partum intelligens. Sed si tibi, quod nunc in flore Christus intelligi dicitur, superiori videtur adversari sententiae, qua non virgae flore, sed floris fructu designari dicebatur, noveris in eadem Aaronica virga, quae non solum floruit et fronduit et fructum emisit, sed ipsis etiam frondibus eadem significari.“

γ. Gedeon tetendit in aream vellus, in quod ros coelitus descendit et aream siccitas tenuit. Rursum vellus exponens, area rore immaduit vellusque humore caruit. Vellus rore infusum significat beatissimam Virginem, prole fecundam; area inhumecta est virginitas Mariae intacta. De Gedeonis vellere canit Ecclesia: „Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletae sunt Scripturae: Sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum.“ Respicit autem ad illud Davidicum:[2]) „Descendit sicut pluvia in vellus.“ „Haec, inquit de b. Virgine Proclus Constantinopolitanus,[3]) vellus mundissimum coelesti pluvia madens, ex quo pastor ovem induit.“

δ. Huc pertinent etiam nomina „flos campi, lilium inter spinas, hortus conclusus, fons signatus, porta orientalis clausa.“ „Quae est haec porta, interrogat d. Ambrosius,[4]) nisi Maria? Ideo clausa, quia Virgo. Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum; quando virginali fusus est partu, virginitatis claustra non solvit, sed inviolata integritatis

---

[1]) Super Missus hom. II, n. 5. [2]) Ps. LXXI, 6. [3]) Hom. de Christi Nativitate. [4]) De institut. Virgin. cp. 8.

servavit signacula, quum exiret ex Virgine... Haec porta ad orientem respiciebat, quoniam verum lumen effudit, quae generavit orientem peperitque solem justitiae.“

ε. Nabuchodonosor rex statuam vidit; lapis vero de monte sine manibus abscissus totam statuam comminuit redegitque in pulverem. Lapis ille, ex monte sine manibus excisus, in montem crescens totamque terram implens est Christus, natus de matre Virgine sine manibus complectentium. „Jam quid de illo Danielis monte dicam, inquit s. Joannes Damascenus,[1]) ex quo angularis lapis Christus ita abscissus est, ut viri cultrum minime subierit? An non ea, quae peperit, ac rursus virgo permansit?“ Sufficiant haec de symbolis; venimus

b. ad voces propheticas, quibus in veteri Testamento conceptus virgineus praenuntiatus et adumbratus fuit.

α. S. Deiparae virginitas, si non diserte traditur, tacite saltem innuitur, quum Deus in paradiso serpentem hisce alloquebatur[2]) verbis: „Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius.“ Hic mulieris et seminis mulieris tantummodo fit mentio et quidem seminis tam efficacis, cujus virtute caput serpentis contereretur et omnes gentes benedicerentur. Hoc vaticinium in Mariam, nihil cum viro habentem, competere docent permulti ss. Patres vg. Cyprianus,[3]) Leo Magnus,[4]) Epiphanius,[5]) Bernardus.[6]) Nominatur Christus semen mulieris, non vero viri, ut significaretur, eum ex Virgine absque virili commercio esse nasciturum.

β. In libro Levitici,[7]) ubi lex puerperii traditur, non dicitur absolute: „Mulier, si pepererit masculum,“ sed

---

[1]) De Mariae dormitione orat. I. [2]) Gen. III, 15. [3]) Lib. II, testim. cpp. 8 et 9. [4]) De Nativitate Domini serm. 2. [5]) Haeres. LXXVIII, n. 18. [6]) In serm. infra Octavam Assumptionis B. M. V. [7]) Cap. XII, 2.

additur particula „si suscepto semine pepererit“ ad innuendam, uti sancti Doctores merito putant, futuram aliquando mulierem, quae sine ulla seminis susceptione pareret masculum.

γ. „De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.“ [1]) „Apposite dictum est „de ventre“ et non „de femore,“ inquit s. Ambrosius, [2]) quia Christus de utero feminae tantum, non etiam de viri femore, quod in scripturis sacris semen indicare solet, nasciturus erat.“ „Quis iste venter est, interrogat Tertullianus? [3]) Ipsius David? Utique non; neque enim pariturus esset David. Sed nec uxoris ejus. Non enim dixisset: Ex fructu ventris tui, sed potius „ex fructu ventris uxoris tuae.“ Ipsius autem dicendo ventrem, superest, ut aliquem de genere ejus ostenderit, cujus ventris fructus esset caro Christi, quae ex utero Mariae floruit. Ideoque et fructum ventris tantum nominavit, ut proprie ventris, quasi solius ventris, non etiam viri; et ipsum ventrem ad David redegit, ad principem generis et familiae patrem; nam quia viro deputare non poterat, Virginis eum ventrem patri deputavit.“

δ. „Creavit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum.“ [4]) Ideo dicitur novum quid fuisse creatum super terram, quia Salvatoris nostri conceptio in beatissima Virgine Maria non usitato, sed novo et admirabili modo i. e. sine ullo virili congressu facta est. Omnibus enim saeculis inauditum, quod femina lege non humana concipiat claudatque intra viscera intacta hominem. „Novam rem, scribit d. Hieronymus, [5]) creavit Dominus super terram. Absque viri semine, absque ullo coitu atque conceptu „femina circumdabit virum“ gremio uteri sui, qui juxta incrementa quidem aetatis per vagitus et infantiam proficere vide-

---

[1]) Ps. CXXXI, 11. [2]) In Ps. CXXXI. [3]) Adv. Marcionem lib. 3.
[4]) Jerem. XXXI, 22. [5]) Commentar. in Jerem. XXXI.

bitur sapientia et aetate; sed perfectus vir in ventre femineo solitis mensibus continebitur. Unde Symmachus et Aquila juxta nostram editionem interpretati sunt . . . Theodotion autem et ipsae vulgatae editioni consentiens interpretatus est: „Creavit Dominus salutem novam, in salute circuibit homo.“ Juxta Aquilam locus vertitur: „Creavit Dominus novum in femina“ i. e. in Maria. Nihil autem novum conditum est in femina, nisi quod ex Maria Virgine editum est, ut s. Athanasius scribit,[1]) sine commercio veneris Dominicum corpus.

Recitemus etiam verba s. Bernardi similiter hoc de mysterio disserentis. „Femina circumdabit virum.“ Quae est haec femina, inquit?[2]) Quis vero iste vir? Aut si vir, quomodo a femina circumdatus? Aut si a femina circumdari potest, quomodo vir? Et ut apertius dicam, quomodo potest simul et vir esse et in utero matris? hoc est enim virum a femina circumdari. Novimus viros, qui scilicet infantiam, pueritiam, adolescentiam atque juventutem transeuntes, ad gradum usque senectuti proximum pervenerunt. Qui ergo jam adeo grandis est, quomodo a femina circumdari potest? Si dixisset, femina circumdabit infantem; vel femina circumdabit parvulum, nec novum videretur nec mirum. Nunc autem, quia nihil tale posuit, sed dixit virum, quaerimus, quae sit haec novitas, quam Deus fecit in terra, ut femina circumdaret virum et vir intra feminei unius corpusculi membra sese cohiberet?“ Via plane nova, cunctis retro saeculis inaudita nec humanis naturae rationibus pervestigabilis.

ε. „Tria sunt difficilia mihi et quartum penitus ignoro: viam aquilae in coelo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari et viam viri in adolescentia.“[3])

Salomon, sapientiae miraculum in rebus naturalibus,

---

[1]) In Expositione fidei. [2]) Super Missus serm. II, num. 8.
[3]) Prov. XXX, 18 sq.

per haec quatuor symbola „via aquilae, colubri, navis, viri in adolescentia“ secundum aliquot scriptores quatuor dominicae Conceptionis mysteria significare intendit. Via viri in adolescentia est conceptio Christi in Virgine, quae vero adolescentula est, femina illa virum circumdans: hoc novum creavit Deus in terra. Uti aquila in aere volans, coluber in petra repens, navis in mari currens nec aer, petram, mare dividunt nec transitus vel minimum quidem relinquunt vestigium, ita Christus conceptus est de Virgine sine ulla virginitatis laesione. Recte Christus comparatur aquilae; sicut enim aquilae volatus est pernicissimus ad tollendam praedam, ita Christus in momento descendit in Virginis uterum ad praedam auferrendam diabolo. Coluber nominatur Christus seu colens umbras, quia per obumbrationem Spiritus s. concipiebatur. Est denique navis sine vestigio, quia docente s. Ambrosio,[1] „homine assumpto Verbum Dei inter homines nascitur sine sui diminutione et Maria generat sine corruptione.“ Sapiens ergo dicere voluit, se quidem perdifficile scire posse viam aquilae, viam colubri et viam navis; sed penitus ignorare, quomodo Christus inclausum Virginis uterum ingressus et inde egressus sit; quomodo, ut s. Bernardi[2]) verbis utamur, „intrante et exeunte Domino porta orientalis clausa jugiter perseveret.“

Etiam auctor Gale Razeia,[3]) verba super prolata ad Messiam refert: „Via aquilae in coelis est rex Messias, qui post passionem suam ascendet in coelum; via navis in medio maris, hic itidem est rex Messias, cujus vita sicut navis in medio maris agitabitur; via colubri super petram, hic est etiam Messias, qui se faciat ut colubrum, quem Moyses super petram posuit, ut duceret filios Israel in terram sanctam; via „Ghever Bealma“ i. e. viri vel fortis in virgine, hic quoque est Deus amans

[1]) Cfr. Reismyller corona stellarum duodecim. [2]) In purificat. B. M. V. serm. 3. [3]) Apud Galatinum lib. VII, cp. 15.

filias Jerusalem, ut generetur rex Messias ex una earum. Concipiet autem et pariet remanebitque Virgo. Quonam pacto absque humano semine virgo concipere posset ac perfectum Deum et hominem in utero concludere filiumque parere ac virgo remanere, nec Salomonis intellectus plene capere potuit nec unquam lingua ulla explicare.“ Ita Rabbenus Haccados.[1])

ς. Celeberrimum Isaiae[2]) oraculum: „Ecce Virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen ejus Emmanuel.“ Haec verba de matre Christi, b. Virgine Maria, praenuntiata fuisse, fusius demonstrabimus infra. Quibus praemissis ad thesin nostram de s. Deiparae virginitate ante partum probandam asserimus:

I. Beatissima Virgo usque ad conceptionem Filii remansit Virgo.

Hoc certitudine fidei certum esse constat ex verbis s. Lucae:[3]) „In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, **ad Virginem** desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David et nomen **Virginis** Maria.“ S. Deipara ergo, s. Joseph in sponsam tradita, virgo fuit mansitque Virgo usque ad Christi conceptionem. Probatur

a. B. Virgo jam triennis[4]) oblata fuit in templo, ubi vitam degit angelicam. Sicuti s. Joannem Baptistam in eremi austeritate, ita b. Virginem in templo sanctificare voluit Deus. „Sapientissimus enim Mariae

---

[1]) Rabbenus Haccados i. e. magister noster sanctus in libro inscripto „Gale razeya i. e. revelator arcanorum.“ [2]) Is. VII, 14. [3]) Luc. I, 26. sq. [4]) Ita docent testante Morales l. c. lib. I, tract. X: Germanus Constant. in orat. de oblatione Virginis in templo; Nicephorus histor. lib. 1 cp. 7; Hieronym. lib. de ortu Virginis, Bonaventura in meditat. vitae Christi cp. 3; Epiphanius Presbyter Const. in vita Virginis; Canisius lib. 1 de Virg; Suarez tom. II, in III, q. 29 a. 1; de Castro hist. Deiparae cp. 3.

amator Deus, inquit ven. Canisius,[1]) nihil praetermisit, quod ad primam et solidam electae domus suae constructionem spectaret, et non in domo parentum, sed in loco sacro praeclara subsidia suppeditavit." Quare d. Hieronymus b. Virginem cum reliquis sanctis comparans scripsit:[2]) „Tanta erat Mariae vitae claritas, ut omnium vitam quodammodo obscuraret; nam sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita in comparatione Matris Domini nulla invenitur perfecta creatura, quamvis virtutibus eximia comprobetur. Unus est Pater in coelis, una est Mater in terra, una forma virtutum Maria."

b. B. Virgo a tenerrima aetate, a principio usus rationis, absolutum semper habuit propositum perpetuam servandi virginitatem, ut expresse docent s. Thomas,[3]) s. Bonaventura[4]) aliique maximae auctoritatis scriptores. Perfectissimus enim virtutis gradus tribuendus est b. Virgini, utpote matri Dei futurae, directae semper a Spiritu s., ut quod Deo gratius esset, amaret. A beatissima Virgine votum virginitatis ante Filii sui conceptionem jamdudum emissum fuisse infra demonstrabitur. „Absolute, inquit s. Thomas,[5]) Dei genitrix virginitatem vovit, antea quam ab angelo nuntiaretur."

c. B. Virgo nunquam, uti jam supra ostendimus,[6]) nec venialiter peccavit.

II. Beatissima Virgo non viri semine, sed Spiritus s. operatione Christum concepit.

Hic fidei articulus, in primo Lateranensi concilio[7]) definitus, evidenter constat

1. ex s. Scriptura et quidem

α. ex Isaiae vaticinio in appendice fusius exposito.

β. Ex evangeliis secundum ss. Matthaeum et Lucam.

---

[1]) Lib. I, de Virgine cp. 13. [2]) In epist. ad Eustochium et Paulam. [3]) III, p. q. XXVIII, a. 4 in corp. [4]) IV, dist. XXX, a. 1 q. 2. [5]) III, p. q. XXVIII, art. 4. [6]) Cfr. pag. 56 sq. [7]) Cfr. pag. 99.

„Quum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero **habens de Spiritu sancto.**“ [1])

„Noli timere, inquit Angelus, accipere Mariam conjugem tuam: **quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.**“ [2])

„Dixit autem Maria ad Angelum: **Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?**“ [3])

„Et respondens Angelus dixit ei: **Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.**“ [4])

S. Evangelistae hisce verbis non tantum Spiritus sancti operationem declarant excludentem omnem naturalem conceptionis modum, sed etiam clare ac diserte virginitatis Marianae decus integrum et incontaminatum servari ostendunt. Beatissima Virgo Angeli nuntium audiens non potest, quin turbetur, quum votum emisisset perpetuam servandi virginitatem. Objicit ergo Angeli verbis difficultatem prohibentem, ne ejus obtemperare possit propositioni. „Jam Deo ipsi me sponsavi illique me totam consecravi, quomodo ergo fieri potest, quod tu proponis?“ Omni timore coelestis eam liberat paranymphus. „Absque viri opera, inquit, Spiritus sancti virtute foecundata concipies et paries. Tantum abest, ut virginitatis tuae decus ne materialiter quidem minuatur, ut augeatur et consecretur. In conceptu tuo ac partu crescet pudor, augetur castitas, solidabitur virginitas. Quae omnia perficiet omnis sanctitatis fons et origo, sanctitas ipsa subsistens, quae tibi obumbrabit.“

Ut verba sua confirmarit, ad aliud omnipotentiae divinae miraculum appellat Angelus. „Nec minus luculenta est, inquit cl. Franzelin, [5]) declaratio s. Matthaei, qui alteram expositionem mysterii ab Angelo de-

---

[1]) Matth. I, 18. [2]) Matth. I, 20. [3]) Luc. I, 34. [4]) Luc. I, 35, [5]) Tract. de Verbo Incarnato pag. 112.

latam ad s. Josephum parallelam priori, quae ipsi ss. Matri facta erat, concludit appellando ad prophetiam Isaiae: hoc totum factum esse, ut adimpleretur divinum miraculum: „Ecce Virgo in utero habebit.“

2. Virginitatem beatissimae Virginis ante partum etiam Patres unanimiter tradunt. „Dei Filius, inquit Tertullianus,[1]) ex Patris Dei semine i. e. Spiritu, ut esset et hominis Filius, caro ei sola erat ex hominis carne sumenda, sine viri semine. Vacabat enim viri semen apud habentem Dei semen. Itaque sicut nondum natus ex Virgine Patrem Deum habere potuit sine homine Matre: aeque quum de Virgine nasceretur, potuit Matrem habere hominem sine homine patre.“ S. Irenaeus primam Evam cum secunda comparans ita disserit.[2]) „Sicut Eva Adam seu conjugem habuit et tamen adhuc virgo fuit, ita etiam Maria desponsatum sibi virum habuit, sed tamen virgo mansit, obediens fuit et sibi totique generi humano redemptionem attulit.“

Perpulchre de hoc virginei conceptus miraculo Maximus Taurinensis. „Non putas, inquit,[3]) Deum novum puerum in alvo virginis potuisse formare, qui quum primum conderet hominem, nec semen patris nec viscera materna quaesivit? Dic itaque, quicunque es supernae dispensationis arbiter et discussor, quae tibi videtur virtus eminentior, partum dedisse Virgini, aut perfectum hominem creasse de terra? „Primus enim homo, ut ait Apostolus, de terra, terrenus, secundus homo de coelo, coelestis.[4]) Si contra naturam esse contendis, quod in mysterio redemptionis nostrae sine viro puella asseritur concepisse, cujus, quaeso, naturae est, quod in parente generis nostri caro sine carne formata est? Quae est ista ratio, imo quae caeca contentio, ut non credatur Deus facere hominem posse de femina,

---

[1]) De carne Christi cp. XVII. [2]) Apolog. I, n. 32. [3]) In Nativ. Domini hom. 3. [4]) 1 Cor. XV, 47.

quem creditur fecisse de pulvere? Si Omnipotentis, o homo, tali in negotio esse perspicis voluntatem, de opere cur retractas?" Ex dormiente Adamo Eva, virgo perfecta, prodiit, cur ex b. Virgine non potuit formari Christus? Probatur thesis nostra

3. ex rationibus a s. Thoma allatis:[1]) „Quod Christus conceptus sit ex virgine, conveniens est

a. propter mittentis Patris dignitatem conservandam. Quum enim Christus sit verus et naturalis Dei Filius non fuit conveniens, quod alium Patrem haberet, quam Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium." „Non decuit, inquit Lactantius,[2]) ut idem filius duos haberet patres, aeternum unum et temporalem alterum, sed sicut nullam matrem habuit in coelo, quatenus Deus, ita nullum Patrem in terris habere debuit, quatenus homo."

b. „Conveniens fuit proprietati ipsius Filii, qui mittitur, qui quidem est Verbum Dei. Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur, quin imo cordis corruptio perfecti verbi conceptionem non patitur. Quia ergo caro sic fuit a Verbo Dei assumpta, ut esset et caro Verbi Dei, conveniens fuit, quod etiam ipsa sine corruptione matris conciperetur." Unde in Concilio Ephesino dicitur: „Neque nostrum verbum, quum paritur, corrumpit mentem; neque Deus Verbum substantialem partem eligens peremit virginitatem."

c. „Conveniens fuit praeterea propter ipsum finem Incarnationis Christi, quae ad hoc fuit, ut homines nascerentur in filios Dei non ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex Deo i. e. ipsa Dei virtute, cujus rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione Christi. Unde s. Augustinus dicit:[3]) „Oportebat caput nostrum insigni miraculo secundum carnem nasci de Virgine, quo

[1]) III, p. q. XXVIII, a. 1. [2]) Instit. lib. 4. [3]) De sancta Virginit. cp. 6.

significaret, membra sua de virgine Ecclesia secundum Spiritum nascitura." .

En rationes absque dubio gravissimae, ex quibus s. Deiparam ante partum et in conceptione Filii sui virginem fuisse intemeratam et incontaminatam apparet. Sciant adversarii, qui hoc privilegium negantes Christum ex carnali congressu Mariae cum Joseph conceptum fuisse blasphemant, quod ipse Muhamedes nostram professus sit veritatem. Referens enim in quinta alcorani azroa colloquium Gabrielis Angeli cum Virgine desponsata, hujus virginitatem in conceptu astruit illamque magnis laudat praeconiis. Comparat Jesum Christum, secundum Adamum, cum primo Adamo absque virili congressu in lucem edito. „Hoc, inquit, si quis de Jesu credere detrectaverit, iram meretur divinam."

Ad majorem mysterii elucidationem pauca adjiciamus. Spiritus sanctus quum matri in Filii conceptione ita adfuerit, ut „ei et fecunditatem dederit et perpetuam virginitatem conservarit," [1] quaeritur:

1. An Christus non sit conceptus nisi de Spiritu sancto?

Respondendum negative. „Christianae enim fidei regula tenenda est, inquit Catechismus Romanus l. c., omnia, quae Deus extra se in rebus creatis agit, tribus Personis communia esse, neque unam magis quam aliam, aut unam sine alia agere" — seu aliis verbis, opera ss. Trinitatis ad extra tribus Personis, toti Trinitati indivisibiliter operanti, communia. Operante ergo Spiritu sancto necesse fuit, ut operarentur et Pater et Filius. Ubi enim unica tribus natura, ibi et unica operatio. Sicut si esset tribus hominibus unicus oculus, uno vidente viderent necesse esset et alii, ita hic una Persona operante, operentur et aliae necesse est propter

---

[1]) Catech. Rom. I. P. a. III.

unitatem operationis. [1]) Hinc etiam s. Ildephonsus: „Tota, inquit, [2]) invisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te, sola Persona Filii Dei in corpore tuo nascitura carnem assumet de te.“ Efficienter ergo Domini nostri conceptio a tribus Personis operata est. „Omnes, uti loquitur Catechismus Romanus l. c., divinae Trinitatis personae, Pater, Filius et Spiritus sanctus hujus mysterii authores fuerunt.“

„Quamquam vero haec ita se habeant, subjungit, solent tamen sacrae literae earum rerum, quae omnibus Personis communes sunt, aliam aliis tribuere: quemadmodum summam omnium rerum potestatem Patri, sapientiam Filio, Spiritui sancto amorem adscribunt. Et quoniam divinae Incarnationis mysteriam singularem atque immensam Dei erga nos benignitatem declarat, ob eam rem peculiari quadam ratione hoc opus Spiritui sancto tribuitur.“ Scriptores ecclesiastici alias etiam addunt rationes:

a. Spiritui sancto tamquam omnium beneficiorum fonti attribuuntur gratiae omnes, gratiarum dona, gratiarum divisio; hoc autem mysterium est omnium gratiarum in nos redundantium scaturigo, de cujus plenitudine accepimus omnes.

b. Spiritui sancto quum ad intra sit sterilis (Pater enim generat Filium; ex Patre et Filio procedit Spiritus Sanctus), non immerito tribuitur ad extra productio illius, quo post Deum nihil sublimius nihilque praestantius cogitari potest. [3])

---

[1]) Cfr. Theologia dogmatica et scholastica auctore Henno tom. VI. Duaci 1761. pag. 415. [2]) Lib. de Virginit. B. M. V. [3]) „Die göttliche That der Incarnation, scribit Oswald l. c. pag. 60, signalisirt sich auf den ersten Blick überhaupt als eine mit dem Gepräge des Geistwirkens gezeichnete. Sie ist keine Substanzschöpfung (denn die Substanz der menschlichen Natur Christi war vorhanden, in Maria), sondern nur eine Formschöpfung, ein secundär schöpferischer Act, eine creatio secunda. Nun muß aber nach der Trinitätslehre das Ausbilden,

2. **Numquid Spiritus sanctus de sua substantia semen partus infudit alvo Virginis?**

„Quaeramus, inquit Hugo a s. Victore,[1]) quid concepit Maria? Aut enim carnem non concepit et carnem non genuit; aut si carnem genuit, carnem concepit. Quod enim concepit, hoc genuit. Sed quomodo carnem ministrare potuit non caro aut non carnem gignere caro? Concepit Maria de Spiritu sancto, non quod de substantia Spiritus s. semen partus acceperit, sed quia per amorem et operationem Spiritus sancti ex carne Virginis divino partui natura substantiam ministravit. Nam quia in corde, quo amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne ejus virtus Spiritus sancti mirabilia faciebat. Et cujus dilectio in corde illius non suscepit sociam, ejus operatio in carne illius non habebat exemplum. Hoc igitur solum Virgo concepit, quod de sua carne per amorem et operationem Spiritus sancti accepit; de quo etiam solo sine virilis seminis admistione filium genuit . . . . . . Christus de Virgine natus est, quia de carne Virginis substantiam accepit; et de Spiritu sancto conceptus est, quia ipsa eum Virgo ex sola carne sua[2]) sine admistione virilis

---

Ausgestalten, Vollführen dem hl. Geiste beigelegt werden, weil er die αἰτια τελειωτικη ist . . . . . . Dem hl. Geiste wird die göttliche Thätigkeit bei der Incarnation zugeschrieben wohl auch, um im ethischen Sinne die Empfängniß Christi als eine geistige, pneumatische im Gegensatz zur sinnlich-fleischlichen, sarkischen Zeugung des gemeinen Menschen zu bezeichnen: also um jeden auch den entferntesten Gedanken an eine libido bei der Einfleischung Christi fern zu halten, um eine Empfängniß zu charakterisiren, welche nicht ex voluntate carnis oder ex voluntate viri vollzogen wird."

[1]) Libellus epistolaris de b. Mariae Virginitate. [2]) Non accepit Spiritus s. aliunde semen viri, ut in uterum Virginis transferret, alias Christus esset filius illius viri, cujus semen esset; imo magis filius talis viri, quam Mariae; quum homo magis dicatur filius patris propter virtutem activam, quam Matris. Nec etiam dici debet, conceptum esse Dominum nostrum de semine supernaturaliter creato;

seminis per s. Spiritus operationem amoremque suscepit.“ Haec ille.

Lucidissime Spiritus sancti operationem describit Catechismus Romanus[1]) hisce verbis: „Hoc autem (formatio sanctissimi corporis Christi, qui eodem temporis articulo perfectus Deus et perfectus homo fuit) novum fuisse atque admirabile Spiritus sancti opus, nemo dubitare potest, quum servato naturae ordine nullum corpus, nisi intra praescriptum temporis spatium hominis anima informari queat. Deinde vero illud accidit maxima admiratione dignum, quod ut primum cum corpore anima conjuncta fuit, ipsa etiam divinitas cum corpore et anima copulata est; quare simul corpus formatum atque animatum est et corpori et animae divinitas conjuncta. Ex quo fit, ut eodem temporis puncto perfectus Deus et perfectus homo esset, et Virgo sanctissima vere et proprie mater Dei et hominis diceretur, quod eodem momento Deum et hominem concepisset.“

Audiamus etiam Salmeron de concursu, quem Spiritus sanctus et beatissima Virgo in hac mirabili praestiterint conceptione, ita argumentantem: „Notandum est, inquit,[2]) multa in hoc mysterio supra naturam inveniri, multa etiam secundum naturam: quia enim b. Virgo praestitit, quidquid caeterae matres in concipiendis filiis suis praestare consueverunt; nam naturaliter disponunt materiam, ex qua formandus foetus, illamque ministrant, ut formari queat, quod est virtutis passivae: formatamque intus alunt ac nutriunt: merito Christipara ad haec officia sine miraculo in Christi con-

---

quia tunc magis ad illud semen, quam ad b. Virginem pertinens, non diceretur simpliciter Filius David. Ideo dicendum est, Spiritum s. operatione supernaturali nullo interveniente naturali agente, sive principali sive instrumentario, temperasse et formasse sanguinem Virginis, donec corpus perfecte organizatum est, sicut semen virile facturum erat, si ibi commixtum fuisset. Cfr. Henno l. c. pag. 417.

[1]) Pars. II, art. III. [2]) L. c. tom. III, tract. 29.

ceptione concurrit. Quod vero ad vim activam attinet formantem sanguinem menstruum, totum id est tribuendum divinae virtuti; nam solus Spiritus sanctus illud effecit; et quum res de more a forma denominetur, et vis illa agens habeat se respectu materiae, ut forma: recte conceptio absolute dicitur supra naturam, si quidem actio, ut naturalis sit ac dicatur, oportet, ut quod agit, sit naturale et materia naturaliter disposita i. e. non resistens ultra vires agentis; supra naturam vero actio illa dicitur, quam agens supra naturam ac divinum vel in materia inepta efficit, ut in formatione corporis Adae ex luto, quod in se ineptum erat ac rude ad corpus humanum: vel alio modo, ut materia sit quidem naturalis et naturaliter apta atque disposita; agens vero non sit naturale, sed divinum ac supra naturam, ut si homo febricitans miraculo ac repente sanetur a febri; nam homo est natura sua subjectum dispositum, ut curetur, eadem ratione menstruum Mariae natura sua aptum erat ad formam humani corporis suscipiendam virtute seminis virilis: formans tamen fuit virtus divina, ac proinde conceptio ipsa Christi vere fuit divina atque prodigialis, quamquam b. Virgo Christi fuit mater naturalis, et formatio quidem Adae prodigiosa fuit ex agente supra naturam, et materia inepta, nempe lutum: at formatio corporis Christi tantum ex primo supra naturam exstitit, ratione tamen unionis cum divina Verbi hypostasi et gratiarum plenitudinis, ad quam terminata est Christi conceptio, multo est admirabilior et excellentior, quam illa Adae.“ Hactenus Salmeron. Conceptio Christi licet ergo ex pluribus titulis prodigiosa fuerit ac miraculosa, ex parte tamen Matris quoad substantiam nominanda est naturalis.

3. Jesus Christus num possit dici Filius Spiritus sancti?

Respondendum negative. Ille enim non est Filius Spiritus s., qui in similitudinem Spiritus s. non procedit

nec ab ipso naturam, personam accepit. Sed Christus non procedit in Spiritus s. similitudinem ut Deus — sic enim procedit solum in similitudinem Patris; neque ut homo, quia naturam seu corpus non a Spiritu s., sed a b. Virgine accepit mediante quidem operatione Spiritus sancti, qui ex ejus sanguine formavit corpus s. humanitatis, sed non ut a causa formali; Spiritus s. enim non est homo. Unde Christus dicitur Filius Dei et Filius hominis: Filius Dei ratione naturae divinae receptae a Patre in generatione aeterna; Filius vero hominis ratione naturae humanae a b. Virgine in tempore acceptae. Rursus non solus Spiritus s., sed tres ss. Trinitatis Personae formaverunt s. humanitatem; solum vero Verbum naturae humanae hypostatice unitum est, unde ea sola dicitur incarnata. Ita expresse docet s. Augustinus: „Conceptus est (Christus), inquit,[1]) de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. Christus enim non de substantia Spiritus sancti, sed de potentia; nec generatione, sed jussione et benedictione conceptus est."

§. 2.

S. Maria in partu Virgo fuit.

Magnum profecto miraculum, quod s. Maria virginitatis virtute decorata potuerit concipere, multo splendidius majusque miraculum, quod virginitate manente illaesa pepererit Virgo incomparabilis. Fuit Virgo in conceptione, quia nemo eam cognovit; splendescit Virgo in partu, quae clauso utero ac sine dolore suum pepererit Filium.

Non defuere adversarii neque veteres neque recentiores virginitatis laudem Mariae etiam in partu detrahere non dubitantes. Quorum pater considerandus est Jovinianus, qui s. Deiparae virginitatem in con-

---

[1]) Serm. 6 de tempore; cfr. Euchiridion cp. XXXVIII. Theol. Patrum auctore Boucat tom. V, diss. 3.

ceptione admittens in partu negavit. „Audi tu, alloquitur istum s. Ildephonsus,[1]) percipe tu, Joviniane, corde sapito fatue, praecordiis cognosce stulte, sensu disce caduce. Nolo pudorem nostrae Virginis corruptum partu censeris, nolo integritatem generatione decerpas. Nolo virginitatem per exitum nascentis scindas; noloque Virginem genitricis officio prives.“ Funesta haec Joviniani sententia a quibusdam novatoribus repetita est. Erasmus[2]) claustrum virginale apertum fuisse putavit; idem contenderunt Buzerus,[3]) Beza,[4]) Petrus Martyr[5]) aliique.

Thesis nostra est de fide et probatur

1. ex s. Scriptura:

Sicuti enim b. Virgo Christum concepisse, ita et peperisse dicitur. Quod elucet

a. ex Isaiae vaticinio: „Ecce Virgo concipiet et pariet,“ ubi propheta virginem non concepturam tantum docet, sed et parituram. Rejicienda expositio prorsus erronea aliquot haereticorum, qui haec Isaiae verba accipienda esse censuerunt in sensu diviso, non vero in sensu composito, ita, ut quae prius fuerat virgo, postmodum dicatur a viro cognita, filium paritura. Posita hac expositione de partu, necessario etiam de conceptione ponenda esset, quod absque dubio verbis prophetae nullatenus congruere potest, quippe qui pro signo permirabili proponere velit, quod virgo conceptura sit et paritura.[6]) „Si vero illa, quae prius fuerat virgo, postea

---

[1]) In libro de illibata virginitate cp. 1. [2]) In annot. in Luc. II. [3]) Unio evang. p. II. [4]) De omnipraesentia carnis Christi. [5]) In epist. ad Rom. cp. 4. [6]) Quam inepta sententia illa sit, clarius elucet ex textu hebraico, ubi ita: „Ecce Virgo illa praegnans et pariens filium.“ Cfr. Torniellii annales sacri ad an. 4050. „Sensu diviso, inquit cl. Franzelin (l. c. pag. 115), non modo nullum prodigium, sed vulgare aliquid et obvium annuntiaretur verborum solemnitate, quae hominem prudentem nedum prophetam dedeceret; sensu vero composito, quem solum verba prae se ferunt, enuntiatur

de viro concipiat et pariat, animadvertit optime d. Hieronymus,[1]) quale signum hoc erit?" Huc accedit, quod s. Matthaeus [2]) vel potius Angelus [3]) Isaiae verbis usus est ad probandum, Mariam non de viro, sed de Spiritu sancto concepisse et ad suadendum Joseph, ut b. Virginem acciperet omnemque de illa dimittenda cogitationem repelleret.

„Apud Matthaeum sicut conceptus ita partus testante cl. Franzelin l. c. clare demonstratur. Duo enuntiat Evangelista facta distincta, conceptum sine opera viri per virtutem Spiritus sancti, et partum filii, utrumque autem dicitur esse factum, ut adimpleretur prophetia de Virgine praegnante et pariente. Teste ergo Evangelio, sicut prophetia de Virgine praegnante praedicit modum supernaturalem conceptionis sine laesione virginitatis illibatae, ita prophetia de Virgine pariente praedicit modum supernaturalem partus sine laesione virginitatis ejusdem." Sic interpretantur prophetae verba s. Irenaeus,[4]) s. Chrysostomus,[5]) Theophylactus,[6]) s. Justinus,[7]) s. Athanasius, [8]) s. Ignatius, [9]) s. Basilius, [10]) s. Hieronymus. [11]) Virginem ergo non minus parituram, quam concepturam Deus per prophetam diserte promittit. „Ubi virginitas concepit, inquit ideo apprime d. Augustinus,[12]) integritas parit. Christus eodem omnipotentiae signo con-

---

aliquid secundum naturae leges contradictorium „virgo praegnans et pariens," quod ergo a solo omnipotente effici queat, et sane prodigium est respondens solemnitati orationis propheticae."

[1]) In Isa. VII. [2]) Matth. I, 22 sq. [3]) „Neminem praeterit, inquit Patrizi (De evangel. L. 3 diss. 15 n° 54), quod nisi Angeli forent ea verba, is non satis aperte Josephum docuisset, eum, quem Maria alvo continebat, esse Christum; contra ea vero plenissime id praestitisse dicendus est, si ipse fuit, qui Isaiae vaticinium ad dictum suum declarandum et comprobandum attulit." [4]) Adv. haereses lib. IV, cp. 40. [5]) In Matth. hom. V. [6]) In Matth. [7]) In Dialogo cum Tryphone. [8]) In epist. ad Epict. [9]) In epist. ad Antioch. [10]) De humana Christi generatione hom. 25. [11]) Contra Jovinianum lib. 1 n. 40. [12]) In serm. variis de Natali Domini.

ceptus et natus virginem habuit matrem, quum portaretur in utero Virginis et quum ex utero funderetur. Virgo genuit, quia Virgo concepit; inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Utrobique miraculum, et sine corruptione gravida, et in partu Virgo puerpera."

b. Huc attinet etiam Ezechielis testimonium b. Virginem clausam nominantis portam: „Haec porta clausa erit, et non aperietur, et nemo transibit per illam."[1]) Audiamus celeberrimum Hipponensem antistitem de Ezechielis oraculo pulcherrime disserentem:[2]) „Quid est porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est, homo non transit per eam, nisi quia Joseph non cognovit eam? Et quid est, quod Deus solus intrat et egreditur per eam, nisi quia Spiritus s. impraegnavit eam. Et quid est, quia clausa erit in aeternum, nisi quia Maria Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum. Dicat ergo Maria: Porta facta sum coeli, janua facta sum filio Dei, illi facta sum janua clausa, qui post resurrectionem suam ingressus est per ostia clausa, qui natus de ventre meo, me Virginem dimisit intactam. Adimplevit ventrem meum divinitate et uterum meum non evacuavit castitate nec in conceptione inventa sum sine pudore nec in parturitione inventa sum cum dolore." Haec d. Augustinus. Eandem significationem praebent nomina, quibus b. Virginem saepe saepius alloquitur Canticum Canticorum[3]) „hortus nempe conclusus, fons signatus;" docent enim s. Ildephonsus, s. Ambrosius[4]) aliique plures, s. Deiparam esse hortum et fontem propter foecunditatem, sed conclusum et signatum propter virginitatem. Quare „ad hunc paradisum, ait s. Joannes Damascenus,[5]) serpens aditum non habuit." Probatur thesis

ex novo testamento et quidem, ut alia brevitatis

---

[1]) Ezech. XLIV, 2. [2]) De Natal. Domini serm. 14. [3]) IV, 2. [4]) Lib. de instit. Virg. cp. 8. [5]) De assumpt. orat. 2.

causa praetermittam, ex evangelio s. Lucae:[1]) „Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero et paries filium et vocabis nomen ejus Jesum.“

B. Virgo quum turbata interrogasset: „Quomodo fiet istud (id est τὸ concipere et τὸ parere), quoniam virum non cognosco?[2]) Angelus respondet, utrumque Spiritus s. virtute ideoque sine ulla virginis corruptione futurum esse. „Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi.“[3]) „Virginitas integerrima, inquit ideo cl. Franzelin,[4]) etiam in partu servata ex s. Lucae narratione conficitur tum quod verba Angeli ad Virginem: „Ecce concipies in utero et paries filium“ sunt ipsa applicatio prophetiae Isaiae et ideo nomen et proprietas Virginis subintelligi debet, tum quod sollicitudo b. Virginis pro servanda virginitate ad totum praecedens „Concipies et paries“ refertur ideoque etiam Spiritus Sancti virtus et Altissimi obumbratio in responsione Angeli ad virginitatem in utroque — in conceptione et in partu — servandam extenditur.“

Quare perbelle s. Augustinus:[5]) „De Virgine nasci oportebat, quem fides matris, non libido conceperat. Quod si vel per nascentem corrumperetur ejus integritas, non jam ille de virgine nasceretur, eumque falso (quod absit) de Virgine Maria natum tota confiteretur ecclesia, quae imitans ejus Matrem quotidie parit membra ejus et Virgo est.“ „Qui disrupta corporis membra in aliis poterat integrare tangendo, scribit Fulgentius,[6]) quanto magis in sua matre, quod invenit integrum, potuit non violare nascendo? Crevit enim ejus partu integritas potius, quam decrevit.“

2. Argumentum ex traditione petitum quod attinet,

---

[1]) Luc. I, 30 sqq. [2]) Luc. I, 34. [3]) Luc. I, 35. [4]) L. c. pag. 115 sq. [5]) In Enchirid. cp. 34. [6]) In serm. de laudibus Mariae.

non solum summi Pontifices et Concilia celeberrima s. Deiparae virginitatem in partu verbis docuerunt lucidissimis, sed etiam omnes Patres tam Ecclesiae orientalis quam occidentalis sese junxerunt ad hanc b. Virginis praerogativam contra omnes adversariorum impetus victoriosissime defendendam. Allegamus

a. ex numero summorum Pontificum s. Leonem ita docentem:[1]) „Merito igitur virgineae integritati nihil corruptionis intulit partus salutis; quia custodia fuit pudoris, editio veritatis.“ Similia tradidere Hormisdas et Pelagius, quorum ille ita:[2]) „Ut qui ante tempora erat filius Dei, fieret filius hominis et nasceretur ex tempore hominis more, Matris vulvam natus non aperiens et virginitatem Matris deitatis virtute non solvens: dignum plane Deo nascente mysterium, ut servaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine.“ Pelagius I.[3]) Christum natum esse dixit servata integritate maternae virginitatis, quia sic eum Virgo permanens genuit, quemadmodum Virgo concepit.

b. In symbolo Apostolorum profitetur Ecclesia: „Natus ex Maria Virgine;“ non posset autem dici „natus ex Virgine,“ si haec non ut Virgo peperisset, si in partu Virgo non permansisset. Unde in sermone quodam Concilii Ephesini legitur: „Natura post partum nescit ulterius Virginem, gratia vero et parientem ostendit et matrem fecit et virginitati non nocuit.“ Patres Chalcedonenses „Filium Dei b. Matri suae virginitatem post conceptum largitum esse profitentur, atque ut Deo dignum erat, uterum ejus obsignasse.“ Definita est haec veritas expressis verbis etiam in Concilio Lateranensi I. a Martino V.[4]) hisce verbis: „Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprio et secundum veritatem, Dei Genitricem sanctam semperque

---

[1]) De Nativ. serm. I, cp. II. [2]) Epist. 79 ad Justin. Imp. [3]) Epist. 16 ad Childebertum Regem. [4]) Consult. 5 can. 3.

virginem et immaculatam Mariam ipsum Dei Filium, qui a Deo Patre ante saecula natus est, in ultimis saeculorum absque semine concepisse ex Spiritu sancto et incorruptibiliter eum genuisse indissolubili permanente et post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit.“ Declaratur haec veritas verbis „semperque virginem“ et „incorruptibiliter genuisse.“ Si enim non mansisset virgo in partu, virginitas non fuisset indissolubilis.

c. Ss. Patres contra insolentiam haereticorum Deiparae virginitatem temere impugnantium fervore animi accensi dimicant eosque validissime refutant. „Si doctrinis non creditur sacerdotum, exclamat d. Ambrosius,[1]) credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium: „quia non est impossibile Deo omne verbum;“ [2]) credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit et servat. Haec est virgo, quae in utero concepit; virgo, quae peperit filium. Sic enim scriptum est: „Ecce Virgo in utero concipiet et pariet Filium;“ [3]) non enim concepturam tantummodo Virginem, sed et parituram Virginem dixit.“

Neque alio vergit Maximus Taurinensis in haec verba erumpens:[4]) „Si Deum credis, coelum, stellas solem condere potuisse ex nihilo; si terram, maria, animantia, universumque hujus spectabilis mundi ornatum; si hominem demum ex limo potuisse fingere admittis, cur illum intactae Virgini ipsius Dei operante virtute dare non potuisse contendis? Quae enim major omnipotentis Dei virtus erit, cuncta, quae in coelis et in mundo vides, creavisse ex nihilo, aut in intemeratae Virginis utero, nullo praecedente carnali complexu, hominem creare? Si in his, quae videntur, Creatoris omnipotentiam miraris,

---

[1]) Epist. 42. [2]) Luc. I, 37. [3]) Isai. VII, 14. [4]) De Nativ. Domini hom. VII.

cur in intemeratae Virginis partu illam denegabis? Quaenam erit stulta illa vesania?" „Quomodo, interrogat s. Epiphanius,[1]) quomodo audent impetere incorruptam virginitatem, quae digna facta est habitaculum filii Dei?"

Ss. Patres non possunt, quin pulcherrimis suis elogiis hoc grandissimum praedicent mysterium, quo b. Virgo ineffabili Spiritus sancti operatione unigenitum Dei Filium in utero conceperit virginali et „virginitatis gloria permanente lumen aeternum mundo effuderit, Jesum Christum Dominum nostrum." [2])

„Quid loquar, inquit d. Ambrosius,[3]) quanta sit virginitatis gloria, quae meruit a Christo erigi, ut esset etiam corporale Dei templum?" An coinquinatum quid in ea poterit inveniri, quam „Deus, ut dignum Filii sui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante praeparavit?" Nisi porro idem sensisset s. Gregorius Nyssenus, non haec tradidisset:[4]) „O rem admirandam! Virgo mater efficitur et permanet Virgo. Cernis novum naturae ordinem; in aliis mulieribus, quamdiu aliqua est Virgo, non est Mater. Nam posteaquam facta est mater, virginitatem non habet. Hic autem utrumque nomen in idem concurrit. Eadem enim et mater et virgo est: nec virginitas partum ademit, nec partus virginitatem solvit." „Virgo peperit, exclamat mirabunde s. Petrus Chrysologus;[5]) quod natura non habet, usus nescit, ignorat ratio, mens non capit, pavet coelum, stupet terra, creatura miratur, quomodo sermo narrabit humanus?"

Stupendum hoc miraculum[6]) aliis miraculis Patres

---

[1]) Haeres. LXXVIII. [2]) Praef. in festis B. M. V. [3]) Epist. 82. [4]) Orat. in diem natalem Christi. [5]) Serm. CXLII. [6]) „Non equidem congruentius mihi videor posse hoc prodigium mente concipere, scribit cl. Franzelin (l. c. pag. 119), quam si participationem aliquam proprietatum, quales sunt corporum glorificatorum corpori virginali matris a filio communicatam et in ea velut anticipatam intelligam, non quidem habitualiter, sed transeunter in ipso tan-

exponere conantur. „Quemadmodum, ait Origenes,[1]) Danieli intra lacum leonum incluso, claustris non apertis, allatum est prandium ab Habacuc: ita et haec sancta Virgo genuit Deum, sed intacta permansit; mater effecta est, sed virginitatem non amisit." Alii dicunt, Christum, sicut clausis januis intraverit cubiculum, ubi Apostoli congregati erant, et sicut intactis sepulcri sigillis nec fracto ac revoluto lapide a mortuis redivivus e sepulcro exivit, ita etiam integro ac inviolato pudoris ac virginitatis claustro ex matris utero in lucem prodiisse. Audiamus inter alios s. Gregorium hac de re ita disserentem: „Nostri Redemptoris opera, inquit,[2]) quae ex semetipsis comprehendi nequaquam possunt, ex alia ejus operatione pensanda sunt, ut rebus mirabilibus fidem praebeant facta mirabiliora. Illud enim corpus Domini intravit ad discipulos januis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per nativitatem suam clauso exiit utero Virginis. Quid ergo mirum, si clausis januis post resurrectionem suam in aeternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens, non aperto utero Virginis exivit."[3])

---

tummodo partu et ad hunc scopum. Nititur hic intelligendi modus ss. Patrum explicationibus . . . Itaque sicut corpus post resurrectionem non desinit esse verum corpus, quamvis particeps fiat quarundam qualitatum supernaturalium, propter quas dicitur spiritale: ita partus Jesu infantis ex Virgine matre fuit verus partus, sed corpori virgineo matris communicatae erant qualitates supernaturales, ut infans sine laesione et corruptione (ἐν δυνάμει, ἐν ἀφθαρσίᾳ) Virginis matris ederetur; ac propter hunc modum supernaturalem merito nativitas „origo spiritalis" et mater „spiritaliter" peperisse dici potest." „Wenn wir auch sagen müssen, scribit acatholicus Martensen in opere suo „Christliche Dogmatik," daß die jungfräuliche Geburt von einem Schleier verhüllt ist, der für die physikalische Betrachtung undurchdringlich ist, so ist diese Geburt doch die einzige, welche die religiöse und theologische Betrachtung befriedigt."

[1]) Hom. 1 de diversis. [2]) Homil. 26 in Evang. [3]) Idem testantur s. Joannes Damascenus lib. IV de orth. fide cp. 15; s. Ambr. serm. de purificatione. Bene tamen attendendum, quod discrimen fuerit inter exitum e sepulcro seu introitum januis clausis et exitum Christi ex

Mirabilia sunt quoque dicta Gaudentii Brixiensis Episcopi: „Incorrupta, scribit, Virgo pèperit, quod intacta Virgo concepit. Integritatem nascendo violare non potuit, qui venerat redintegrare naturam. Cujus facti fidem si quis adhuc terrena cogitatione depressus sensuque carneo praepeditus tardiore gradu sequitur ac de Dei omnipotentia infideli corde cunctatur, discat ex evangelio Joannis [1]) eundem Dominum post resurrectionem suam bis ad Apostolos, ubi erant in domo congregati propter metum Judaeorum, clausis utique januis introisse: et certo ingressus. Ne autem non in carne vera esse, sed in phantasmate putaretur, manus suas caeteraque membra Thomae Apostolo attrectanda ingerit dubitanti."

Exemplum etiam sideris adhibent ss. Patres. Sicut sidus absque laesione suum emittit radium, ita et b. Virgo peperit absque corruptione Filium. „Audi, inquit s. Athanasius, [2]) mysterium: Sicut domus circumsepta undique, quae habet orientem versus vitream puram et tenuissimam fenestellam oriente sole radii ejus penetrantes vitrum et ingredientes domum totam collustrant; et rursus transeunte sole et egredientibus radiis vitrum non confringitur, sed ab ingredientibus et egredientibus repercussionibus radiorum solarium manet illaesum: ita intelligas de semper Virgine Maria. Illa enim castissima, ut domus quaedam circumsaepta quum sit filius et verbum Dei ut radius divinus ex sole justitiae Patre descendens, qui per vitream fenestellam aurium illius ingressus sanctissimam domum ejus illustravit et rursus, ut idem novit, exivit, ne minime quidem foedata virginitate illius: sed

---

matris utero. Quum ex sepulcro exivit ingressusque est clausis januis, dote subtilitatis; quum autem de matris ventre exivit, tali dote non gaudebat, sed sola divina virtute extrinsecus gubernante corpus illud facta est partium penetratio. Cfr. st. Thomas III, p. q. XXVIII, a. 2.

[1]) Joa. XX. [2]) Quaest. XIX.

sicut ante partum, etiam in partu et post partum Virginem castam conservavit."

Neque aliter loquitur Doctor Mellifluus: „Nec sideri radius, inquit,[1]) suam adimit claritatem nec Virgini filius suam adimit integritatem. Sicut etiam splendor solis vitrum absque laesione perfundit et penetrat ejusque soliditatem insensibili subtilitate pertrajicit, nec quum ingreditur, violat nec, quum egreditur, dissipat: sic Dei verbum, splendor Patris, virginum habitaculum adiit et inde clauso utero prodiit, quia Mariae puritas speculum est illibatum, quod nec lucis repercussu scinditur nec radiorum cuspide feritur, sed innocuo tramite praebet fulgori commentum. Rursum sicut radius in vitrum purus ingreditur, incorruptus egreditur; colorem tamen vitri induit, quod irradiat: sic Dei Filius purissimum Virginis uterum ingressus purus egressus est, sed colorem Virginis, i. e. humanam suscepit naturam humanaeque speciei decorem induit et praecinxit se."[2])

Utuntur denique ss. Patres exemplo fontis. Sicut homo lucidum respiciens fontem propriae suae faciei imaginem ibi imprimit, ita Deus respiciens ancillae humilitatem, statim divinae puritatis et fecunditatis imago in Mariam vibrata refulsit. „Maria fons, inquit Richardus a s. Laurentio, vicem speculi supplet; facies Patris filius est; hanc autem faciem nobis reddidit fons iste respiciente Patre humilitatem ancillae suae." Sufficiant haec testimonia.

Juxta aliquot tamen Patres in Christi Nativitate uteri apertura facta fuisse, imo Christus matris suae uterum aperuisse videtur. „Etsi Virgo concepit, scribit Tertullianus,[3]) in partu suo nupsit; ipsa patefacti

---

[1]) Cfr. Theolog. ment. et corp. Vincentii Contenson diss. VI cp. II. lib. 10. [2]) Easdem comparationes praebet Catech. Rom. I, P. a. III. [3]) Lib. de carne Christi cp. 4.

corporis lege.“ Similia habet s. Epiphanius ita loquens:[1]) „Hic est, qui vere aperuit uterum matris.“

Verum hi textus in eo sensu sunt intelligendi, quod Christus b. Virginis uterum aperuerit, praebendo ei faecunditatem, sicut dicitur in Genesis libro[2]) „vulvam claudere“ — „concluserat Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram, uxorem Abrahae“ — qui sterilem reddit. Unde et d. Hieronymus de aperitione vulvae loquitur: „Solus Christus, inquit,[3]) clausas portas vulvae virginalis aperuit, quae tamen clausae jugiter permanserunt.“ Neque dissona, quae apud s. Ambrosium leguntur. „Hic solus, scribit de Christo,[4]) aperuit sibi vulvam. Nec mirum: qui enim dixerat per prophetam: „Priusquam te formarem in utero, novi te et in vulva matris sanctificavi te.“ Qui ergo vulvam sanctificavit alienam, ut nasceretur propheta, hic est, qui aperuit matris suae vulvam, ut immaculatus exiret.“ Jam vero ista apertio juxta d. Thomam[5]) non significat claustri pudoris virginei reserationem, sed solum prolis exitum de utero matris. Quare idem s. Ambrosius alio loco[6]) dicit: „Bona porta Maria, quae clausa erat et non aperiebatur; transivit per eam Christus, sed non aperuit.“

Hic autem notandum, Christum Dominum, etsi clauso utero peperisse dicamus b. Virginem, nihilominus eadem editum esse via, qua reliquae matres suos parturiunt foetus, non autem, ut quidam fabulantur, per oculos vel per latus matris effusum. Testatur hoc s. Joannes Damascenus: „Conceptio, inquit,[7]) quidem per aurem contigit; procreatio autem per eam partem, qua foetus in lucem exire consueverunt. Tametsi non desint, qui eum per Dei genitricis latus fluxisse fabulentur.“ Renovavere eundem errorem Anabaptistae.

---

[1]) Haeres. LXXVIII. [2]) Gen. XX, 18. [3]) In dialogo 2. contra Pelag. [4]) In Luc. cp. II. [5]) III, p, q. 28 a. 2 ad 1. [6]) De institut. Virg. cp. 8. [7]) De fide orthodoxa lib. IV, cp. 15; cfr. Colvenerii Kalendarium B. M. V. tom. II, p. 418.

B. Virginem nullum sensisse pondus, dum uterum gestaret, nonnulli crediderunt theologi. Quam sententiam approbat inter alios s. Bernardus: „Jure etiam illud molestissimum taedium, inquit,[1] quo reliquae omnes gravidae mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quae sola sine libidinosa voluptate concepit. Unde et in ipso suae conceptionis initio, quando potissimum caeterae mulieres miserabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conscendit, ut Elisabeth ministraret. Sed et ascendit Bethleem imminente jam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve, portans, a quo portabatur.“

Omnes Patres uno quasi ore contendunt, b. Virginem peperisse Filium suum sine dolore. „Quo enim, animadvertit s. Damascenus,[2] voluptas non antecessit, nec dolor quidem in partu subsequens est.“ Eandem rationem affert s. Petrus Damianus ita inquiens:[3] Quae sine contaminatione concepit et sine dolore filium procreavit; non secutus est dolor partum, quia non praecessit libido conceptum. Dictum namque fuerat: „Ecce in dolore paries filios.“ Quae sententia in aliis matribus viguit, in Maria vero modum sui juris amisit. Quae enim virgo permansit concipiendo, dolorem non potuit sentire pariendo.“ Mirabilia sunt quoque s. Bernardi: „O partus solus sine dolore, exclamat mirabunde,[4] solus nescius pudoris, corruptionis ignarus, non reserans, sed consecrans virginalis uteri templum!“ „Nec mirum, inquit,[5] si dolorem non intulit matri, qui dolores totius mundi tulit. Duo sunt, quae timet humana fragilitas: pudor et dolor. Utrumque Christus tollere venit, unde et utrumque suscepit. Itaque ut fiduciam nobis, quod tolleret haec a nobis, prius matrem suam immunem ab utroque servavit, ut nec in conceptu quidquam pudoris

---

[1]) In serm. de verbis Apoc. 12. [2]) De orthodoxa fide lib. II. [3]) Serm. 3 de Nativ. B. M. V. [4]) Serm. 1 in Vigilia Nativ. [5]) Serm. 4.

nec in partu quidquam doloris existeret." Plenissime hisce consentit Doctor Angelicus: „Dolor parturientis, inquit,[1]) causatur ex apertione meatuum, per quos proles egreditur; dictum est autem, quod Christus est egressus ex clauso utero Matris, et sic nulla violentia apertionis meatuum ibi fuerit et propter hoc in illo partu nullus fuit dolor, sicut nec aliqua corruptio." [2]) Probatur thesis nostra

3. ratione theologica.

Christus ex Virgine nasci potuit hocque decuit. Potuit; quemadmodum enim a mortuis redivivus e sepulcro egressus est nec revoluto lapide, quo ostium monumenti claudebatur nec, fractis sigillis, quae Judaeorum principes ad lapidem apposuerunt, ita etiam illibato virginitatis claustro e Virginis sinu prodire potuit. Hoc vero convenientissimum fuisse, s. Thomas variis probat rationibus,[3]) quas silentio praeterire non possumus:

„Et a. quidem, quia hoc competebat proprietati ejus, qui nascebatur, qui est Verbum Dei. Nam Verbum non solum in corde absque corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit. Unde ut ostenderetur, quod illud esset corpus ipsius Verbi Dei, conveniens fuit, ut de incorrupto Virginis utero nasceretur.

b. Hoc est conveniens, quantum ad effectum Incarnationis Christi. Nam ad hoc venit, ut nostram corruptionem tolleret: unde non fuit conveniens, ut virginitatem matris nascendo corrumperet.

c. Fuit conveniens, ne matris honorem nascendo diminueret, qui parentes praeceperat honorandos."

In omnibus Christi mysteriis divinitas et humanitas exprimi debuerunt et declarari. Si Christus more cae-

---

[1]) III, p. q. XXXV, a. 6. [2]) Cfr. Ambr. in Ps. 47; Greg. Nyss. orat. 1 de resurrect. Christi; Fulgentius in serm. de Laudibus B. M. V; Damascen. de fide orthod. lib. IV, cp. 15; Rupertus in Joa. lib. 13. [3]) III, p q. XXVIII, art. 2 in corp.

terorum natus fuisset hominum, nihil in ejus Nativitate eum esse Deum ostendisset. Ex Virgine vero nascens infinitam Divinitatis suae comprobavit potentiam. „Talis nativitas, inquit ideo Leo Magnus,[1]) decuit Dei virtutem et Dei sapientiam Christum, qua nobis et humanitate congrueret et divinitate praecelleret.“

§. 3.

B. Maria post partum Virgo permansit.

S. Scripturae ut desint testimonia, quibus perpetua s. Deiparae evinciatur virginitas, sufficerent ad hanc demonstrandam sine ullo dubio et perpetua fidelium traditio et publica Ecclesiae vox praedicans: „Post partum Virgo inviolata permansisti.“ Nil ergo mirum, quod ss. Patres in defendendo hoc fidei dogmate non tam urgeant s. Scripturas, quam traditionem ab Apostolis acceptam et ab universa Ecclesia comprobatam.

Quum ideo versus quarti saeculi finem „homo quidam rusticanus et vix primis imbutus literis,“ nomine Helvidius, Ariani discipulus, libellum scripserit, quo perpetuam s. Deiparae virginitatem ex s. Scriptura evertere non erubuit, maxima ubique gentium excitabatur indignatio. Haud immerito s. Hieronymus, validissimus hujus praerogativae defensor, nefastissimum haeresiarcham infami Herostrato putavit similem. Sicuti hic, ut nominis claritatem sibi acquireret et memoriam immortalem, celeberrimum Dianae templum igne delevit, ita Helvidius, cupiditate gloriae inflammatus, alium funestiusque quidem excitavit incendium, quo, si posset, beatissimae et purissimae Virgini templo injuriam quam maximam inferret,[2]) blasphemando, s. Deiparam post Christi partum s. Joseph carnaliter cognovisse, itaque pulcherrimum vir-

---

[1]) Serm. 1 de Nativ. [2]) Cfr. Hieronymus contra Jovinianum; ven. Canisius l. c. sectio II, cp. VIII.

ginitatis decus amisisse. S. Hieronymus contra eum librum de perpetua b. Mariae virginitate scripsit omnesque difficultates ab isto jurato virginitatis adversario prolatas victoriosissime refutavit. Cujus refutationis singulae paginae intimam spirant indignationem clarissimeque testantur, quantopere infama ista Helvidii assertio christianum violaverit sensum. Omnium Christianorum nomine profitetur Rupertus:[1]) „Monstrum illud Helvidium totus orbis exsecratur."

Inter saeculi decimi sexti novatores Helvidium sequebatur Petrus Martyr autumans, non esse recipiendum, quod s. Deipara semper permanserit virgo. Lutherus e contra docet expressis verbis,[2]) b. Mariam ante et post Salvatoris Nativitatem Virginem mansisse. Signum magnae esse ignorantiae, declarat Calvinus,[3]) si voluerimus asserere, Mariam plures habuisse infantes. Etiam Theodorus Beza Deiparae virginitatem perpetuam profitetur. „Credo pie et libentissime, inquit, Mariam semper usque ad mortem virginem fuisse."

Temporibus quidem recentioribus et praesertim praesentibus permulti Lutheri Calvinique asseclae virginitatem Matris Jesu Christi non amplius credunt. At major numerus eorum, qui hujus fidei articuli naufragium fecerunt, Christianos esse cessare. Abjecerunt articulum illum nomine rationalismi virginitatem ludibrio habentis illudentisque omnia characterem supernaturalem prae se ferentia. Sic, ut unum alterumve tantummodo allegem, Herderus[4]) fratres Jesu, quorum evangelium meminit, ex Joseph et Maria natos fuisse opinabatur. „Hanc veterum et recentiorum nonnullorum sententiam, inquit Rosenmüller,[5]) acriter impugnarunt veteres Ec-

[1]) Lib. I de gloria et honore Filii hominis. [2]) In serm. habito Islebiae Anno 1546 in festo Praesentationis J. Christi in templo. [3]) In Commentario ad s. Matthaeum. [4]) Briefe zweier Brüder Jesu in unserm Kanon. [5]) Scholia in Matthaeum cp. XIII, p. 289.

clesiae doctores, quia existimabant, Mariam, quae quondam omnipotentiae divinae vi Jesum edidisset, e Josepho alios liberos parere non potuisse; cui persuasioni omnino „aliquid superstitionis" inest."

1. Argumentum s. Scripturae pro s. Deiparae virginitate etiam post partum tuenda paucis possumus astruere verbis, praesertim quum in paragraphis praecedentibus veritas haec ex s. libris jam pluries probata fuerit. Nonne v. g. Ezechiel propheta virginitatem perpetuam lucidissime designavit per portam illam clausam in domo Domini, quae nunquam aperietur et per quam vir i. e. s. Joseph non intravit? Per hanc clausam portam perpetuam Deiparae intelligi virginitatem, docent inter alios s. Hieronymus,[1] s. Ambrosius,[2] s. Augustinus.[3]

Probatur eadem veritas etiam verbis, quibus b. Virgo angelum, conceptum et partum annuntiantem, alloquebatur: „Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?"[4] Non immerito Valentia[5] ita argumentatur: „Si b. Virgo aliquando virum cognovisset, sequeretur, eam aliquando et quidem graviter peccasse, violando scilicet perpetuum virginitatis votum; perspicue enim ostendunt s. Gregorius Nyssenus[6] et d. Augustinus,[7] b. Virginem iis verbis indicare, obstare sibi votum, quominus unquam virum cognoscere posset. Consequens vero est omnino falsum repugnansque communi totius Ecclesiae fidei." „Inter Scripturarum loca, ad quae Patres appellant, notat cl. Franzelin,[8] juverit advertere praesertim ad modum excellentiae, quo mater Emmanuelis ab Isaia et ab Evangelistis dicitur ἡ παρθένος; ad certam Dominae voluntatem servandi virginitatis integrum decus, quam Spiritus sanctus voluit

---

[1]) In Ezechielem. cp. XLIV. [2]) De instit. Virgin. cp. 7. [3]) Serm. 18 de tempore. [4]) Luc. I, 34. [5]) Tom. IV, disp. 29. 2 p. 1. [6]) In Orat. de Nativ. Domini. [7]) Lib. de s. Virginitate cp. 4. [8]) L. c. pag. 125.

Scripturis consignatam et quam virginitatis consecrationem concepto voto ss. Patres et theologi magno numero interpretantur. Certe si simul comprehendantur haec capita in Scripturis revelata, virginitas in conceptu et partu Salvatoris . . . . ., perpetua virginitas in Scripturis ipsis revelata censeri debet. His vero suppositis Patres merito argumento negativo ex Scripturae silentio de nuptiarum usu et Mariae filiis vindicant valorem argumenti positivi pro ejus perpetua virginitate. „Ut haec, quae scripta sunt, non negamus, inquit s. Hieronymus,[1]) ita ea, quae non sunt scripta, renuimus. Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus: Mariam nupsisse post partum, non credimus, quia non legimus."

Huc quoque spectat, ut alia praeteream, verbum, quo Christus in cruce pendens matrem suam dilectissimam s. Joanni, Virginem Virgini, commendavit. „Ubi est illud, interrogat d. Ambrosius,[2]) quod scriptum est, dicente Domino ad Matrem de Joanne Evangelista: „Mulier ecce filius tuus et rursus ad Joannem de Maria: „Ecce Mater tua?"[3]) Quid sibi istud vult, quod quum in cruce positus Dominus peccatum mundi tolleret, pronuntiavit etiam de virginitate materna? Ad quid aliud dicitur, nisi, ut claudat sua ora perfidia: obmutescat, ne matrem Domini aliquo audeat temerare convicio? Testis est ergo idem arbiter, idem materni pudoris assertor, quod desponsata fuerit viro tantummodo Joseph, nulla tamen conjugalis coitus consuetudine thori jura cognoverit. Neque enim eam suscepturam ex Joseph filios a viri consortio separare voluisset. Sed si hoc parum est, addidit testimonium evangelista dicens, quod suscepit eam discipulus in suam."

2. Traditio quoque luculentissima nobis praebet argumenta ad virginitatem s. Deiparae post partum defendendam. Declaratur illa Conciliis Mediolanensi

---

[1]) Contra Helvid. n. 19. [2]) Lib. X, epist. 79. [3]) Joa. XIX, 26 sq.

adversus Bonosum in epistola synodica ad Siricium Papam [1]) et Romano sub Siricio Papa habito. „Sane non possumus negare, inquit d. Ambrosius,[2]) de Mariae filiis jure reprehensum meritoque vestram sanctitatem abhorruisse, quod ex eodem utero virginali, ex quo secundum carnem Christus natus est, alius partus effusus sit. Neque enim elegisset Dominus Jesus nasci per Virginem, si eam judicasset tam incontinentem fore, ut illud genitale Dominici corporis, illam aulam Regis aeterni, concubitus humani semine coinquinaret. Qui enim hoc astruit, nil aliud nisi perfidiam Judaeorum astruit, qui dicunt, eum non potuisse nasci ex Virgine."

Probatur porro haec veritas Conciliis Romano sub Martino Papa celebrato et Chalcedonensi generali. In allocutione ad Marcianum Imperatorem asseveratur: „Virginitatem b. Mariae a Christo sacratam esse etiam post partum, uterumque ejus fuisse integritate obsignatum, ut nullius injuriae deinde pateret." Concilium Lateranense primum declarat s. Deiparam „semper virginem et indissolubili permanente et post partum ejusdem virginitate." In Synodis quinta [3]) et in sexta [4]) vocatur „Mariae virginitas ante partum, in partu et post partum intemerabilis." Ita Ecclesia confitetur semperque confessa est omnibus saeculis perpetuam matris Salvatoris virginitatem. „Praecipue vero memoriam facimus," inquit liturgia s. Jacobi, altissimae antiquitatis monumentum, „sanctae, gloriosae et benedictae Matris Dei, semper Virginis."

Ss. Patres maxima affecti indignatione impiissimum Helvidii ejusque asseclarum assertum repellunt pulcherrimis celebrantes elogiis perpetuam s. Deiparae virginitatem.

Origenes insaniam appellat istius haeresiarchae placitum, quod Maria post partum perdiderit virginitatem;

---

[1]) Inter Ambrosianas ep. 81. [2]) Epist. 9 [3]) Can. 6. [4]) Act. .

s. Ambrosius sacrilegium, Gennadius blasphemiam. „In tantam, ait Origenes,[1]) nescio quis prorupit insaniam, ut assereret negatam fuisse Mariam a Salvatore, eo quod post nativitatem illius juncta fuerit Joseph.“ „Fieri non poterat, scribit d. Ambrosius,[2]) ut Joseph, vir justus, in hanc prorupisset amentiam, ut matri Domini corporeo concubitu misceretur.“ S. Epiphanius pro haereticis habet eos, qui dicerent, „Mariam post editum Christum cum Josepho viro suo consuetudinem habuisse,“ quos Antidicomarianitas nominat variisque refutat argumentis.[3]) Quibus adjiciendus est s. Petrus Chrysologus haeresiarcham ita alloquens: „Callide fratres ingeris, inquit,[4]) ostentas sorores, ut numeroso partu sanctae matris virginitas lateat, obscuretur integritas, et sentiatur de filio totum, quod humanum est, nihil divinum. Judaei, quos dicis fratres et sorores Christi, Cleophae sororis Mariae filii sunt, non Mariae; et fratrum et sororum filios fratres nuncupat et divina lex et humana cognatio. Ergo Christi fratres fecit non matris virginitas, quae permansit virgo post partum, sed materterae ejus fecit propinquitatis assertio. Beata Maria, si alios filios habuisset, a Christo mater in ipso crucis tempore, in articulo ipso mortis, non discipulo traderetur, non commendaretur extraneo.“

Virginitatem ejus perpetuam s. Athanasius ex eo deducit, quod Angelus eam „gratia plenam“ nominaverit quodque semper gavisa sit hac plenitudine. „Gratia plena, inquit,[5]) cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus sancti omnibus gratiis abundaret et virtute Altissimi obumbraretur: quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuisse confido et post conceptum etiam retinuisse. Neque enim id temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse, quemadmodum et nunc in praesentia et in

---

[1]) In Luc. hom. 7. [2]) Lib. de institut. Virg. cp. 6 [3]) Haeres. LXXVIII. n. 6. [4]) Serm. 48. [5]) In evang. de sanctissima Deipara.

aeternum usque haec Virgo sibi obumbrantem virtutem Altissimi."

Hinc propter virginitatis excellentiam tot praeclara s. Deiparae tribuuntur elogia. „Virgo virginum" [1]) i. e. virgo excellentissima nominatur, quia primatum obtinuerit in virginitate; ita in publicis Ecclesiae litaniis. Litaniae lauretanae eam „matrem purissimam, matrem castissimam" appellant. S. Epiphanius [2]) „principem Virginitatis," s. Cyrillus Alexandrinus [3]) „coronam virginitatis;" s. Ambrosius „magistram virginitatis," [4]) „imaginem virginitatis et speculum castitatis;" [5]) s. Petrus Chrysologus [6]) „virginitatis decus, integritatis coronam, reginam totius castitatis;" s. Joannes Damascenus [7]) „virginitatis thesaurum;" s. Anselmus [8]) „matrem virginitatis;" Doctor Mellifluus, [9]) „reginam virginum;" Doctor Seraphicus „Virginum signiferam, florem virginalem" [10]) et „primitivam virginum" [11]) eam nominant.

Perpetua s. Deiparae virginitas est fides Ecclesiae adeo indubitata ac universalis, ut in omnibus suis officiis matrem Salvatoris semper Virginem, virginem prius ac posterius, virginem ante partum, in partu et post partum unanimi praedicaverit praedicetque consensu.

Sunt quidem, qui textum quendam s. Basilii Magni ad eum detorserint sensum, quod dixerit, christianam non laedi pietatem, etiamsi Maria post Christum editum mariti consuetudinem admisisse credatur. „Illud autem, inquit s. Doctor, [12]) suspicionem praebet de Maria, quasi postquam pariter inservitum esset generationi Domini,

---

[1]) Phrasis hebraica, uti Canticum Canticorum i. e. praestantissimum Canticum — coelum coelorum i. e. coelum supremum — rex regum, dominus dominantium. [2]) Haeres. LXXVIII. [3]) Contra Nestor. hom. 6. [4]) De institut. Virg. cp. 6. [5]) De Virgin. lib. 2. [6]) Serm. 143. [7]) De Nativit. B. M. V. orat. 1. [8]) In lib. de excellentia Virginis. [9]) Super Missus serm. 2. [10]) In litaniis B. Virginis. [11]) In speculo l. 2. [12]) Homilia de humana Christi generatione.

quae per Spiritum sanctum perfecta est, legitima nuptiarum opera non recusaverit. Nos vero, etsi nihil pietatis rationi noceatur, nam donec Christi generatio dispensabatur, necessaria erat virginitas, et quod posterius sit factum, ad mysterii hujus doctrinam non anxie quaerendum.“ At immerito! S. Basilius per illa verba enim nullatenus intendit significare, unicuique liberum esse cogitare, quod Maria opera nuptiarum post partum exercuerit, — sed id nihil referre contendit ad mysterium ab Isaia propheta praedictum ibique ab eo expositum. Ad textum „Ecce Virgo concipiet et pariet“ in tuto collocandum sufficiebat, ut esset virgo ante partum et in partu. Semper est verum, virginem concepisse et virginem peperisse, licet post partum virgo non mansisset. Hoc tamen apertissime negat s. Doctor statim subjungens: „Verumtamen quia non recipiunt aures Christi amantium, desiisse aliquando Virginem esse Deiparam, illa testimonia sufficientia arbitramur. Ad illud autem, quod non cognovit eam, donec peperisset filium suum, dicimus, quod „donec,“ licet certum quoddam et definitum tempus subindicare videatur, re vera tamen incertum et indefinitum significat.“ Ergo etiam s. Basilius perpetuae Virginitatis s. Deiparae assertor extitit.

„Absque omni dubio, inquit s. Thomas,[1]) detestandus est error Helvidii, qui dicere praesumpsit, Matrem Christi post partum a Joseph esse carnaliter cognitam et alios filios genuisse“ idque

3. ex pluribus rationibus lucidissime comprobat. „Hoc enim derogat

a. Christi perfectioni, qui sicut secundum divinam naturam Unigenitus est Patris, tamquam perfectus per omnia filius ejus: ita decuit, ut esset Unigenitus Matris, tamquam perfectissimum germen ejus.“ Si praesumitur, eam alios voluisse gignere, eo ipso innuitur, quod Christus

---

[1]) III, p. q. XXVIII, a. 3.

non fuerit bonum perfectissimum et optimum matris suae solatium.

b. „Hic error, continuat s. Thomas, injuriam facit Spiritui sancto, cujus sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit. Unde non decebat, quod de caetero violaretur per commixtionem virilem.“

c. „Derogat porro dignitati et sanctitati Matris Dei, quae ingratissima videretur, si tanto filio contenta non esset; et si virginitatem, quae in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum.“ Unde perbelle ven. Canisius: „Erravit ergo, inquit,[1]) summa illa Sapientia non meliorem sibi matrem eligens, quae diu continens esset, vellet et posset. Erravit in aliis mille virginibus exornandis tam studiosus, in hac una vero conservanda negligens, quae tantum virginitatis thesaurum Deo angelisque gratum sibi a mortali viro eripi pateretur. Erravit in hospitio apparando, quum incautus ad illam divertit, quae summam inhabitantis Dei gratiam dulcedinemque spiritualem degustans ad ea, quae carnis atque libidinis sunt, adeo sese abjecit, et quod Spiritu duce et auctore coeperat, in carne demum consummaret.“

Huc accedit, quod facilius fuerit, virginem esse post partum, quam prius. „Si enim ante conceptum et in partu Virgo esse potuit, animadvertit Tostatus,[2]) a fortiori post partum, quum nulla necessitas corruptionis maneret, quia ut conciperet necesse erat naturaliter perdi virginitatem vel saltem suscipere semen, ut pareret, omnino necessarium erat naturaliter fieri corruptionem; ut tamen postea incorrupta maneret, nil obstabat, nisi voluntas, quum jam nec concipere nec parere quidquam necesse erat.“ Etiam votum perpetuae castitatis, quod b. Virgo emisit jam ante conceptionem Filii, ab ea violatum fuisset, si post partum ejus fuisset cognita.

---

[1]) L. c. sect. II, cp. 10. [2]) In evang. Matth. q. L. p. 117.

d. „Ipsi denique s. Joseph ad maximam praesumptionem imputandum esset, si eam, quam revelante angelo de Spiritu sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret.“ Quomodo adversarii talem possunt ascribere incontinentiam illi, quem evangelium nomine „Justi“ decoravit, quemque Deus testem haberi voluit tot miraculorum, quae circa Christi contigerunt incunabula?

Attingamus, antequam hunc concludimus articulum, aliquot saltem argumenta, quibus adversarii perpetuam s. Deiparae virginitatem evertere et tentabant et tentant.[1])

1. B. Virgo non tantum a Christo Domino, sed etiam ab Apostolo iteratis vicibus „mulier“ vocatur. „Misit Deus filium suum factum ex muliere“ *γενόμενον ἐκ γυναικός.*[2]) At mulier dicitur illa, quae a viro cognita est, quare etiam s. Paulus mulierem opponit virgini dicens: „Et mulier innupta et virgo cogitat, quae Domini sunt“ *μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος.*[3])

R. Vox „mulier“ sexum tantum significat, non conditionem aut qualitatem sexus. „Est aetatis istud vocabulum, inquit Tertullianus,[4]) ejus scilicet, qua feminino sexui de annis pubertatis exceditur, et ad id tempus, quo habilis viro videatur esse, transitur. Sicut et e contrario vir appellatur is, qui adolescentiae tempus excesserit, etiamsi uxorem nondum habeat, cujus vir esse dicatur; quo nomine appellari solent etiam hi, quos feminae admixtionis macula nulla perstringit. Si ergo recte dicitur vir pro sola virili aetate, etiam is, qui nullius admixtionem feminae noverit: quomodo non eadem consequentia etiam virgo, quae intemerata permansit, pro sola aetatis maturitate mulier nominatur? Denique et

---

[1]) Quoad difficultates ex celeberrimo Isaiae vaticinio, sicuti ex eo deductas, quod Evangelium pluries „fratrum Jesu“ mentionem fecerit, conferantur appendices. [2]) Gal. IV, 9. [3]) 1 Cor. VII, 34. [4]) In Levit. hom. 8 n. 2.

Abraham, quum puerum mitteret Mesopotamiam in domum Bathuelis, ut inde acciperet Isaac filio suo uxorem, et puer curiosius percontaretur, ait ad eum: „Quod si noluerit „mulier“ sequi me, reducam filium tuum illuc.“ [1]) Ideo etiam Eva, antequam filios generavit, mulier nominatur: „Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in „mulierem“ et adduxit eam ad Adam.“ [2]) Et s. Apostolus indiscriminatim dicit: „Omnis autem mulier velet caput suum.“ [3])

„Mulieres, inquit Cicero, [4]) omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt.“ Et Ulpianus: [5]) „Mulieres omnes dici, quaecumque sexus feminini sunt.“ Quibus plenissime consentit d. Hieronymus ita inquiens: [6]) „Non necesse erat, semper quasi caute et timide Virginem dicere, quum mulier sexum magis significet, quam copulam viri: et secundum intelligentiam graecitatis γυνη tam uxor, quam mulier valeat interpretari.“ Nec aliter scribit s. Augustinus: „Dicta est, (b. Virgo) inquit, [7]) mulier secundum femineum sexum, non secundum corruptionem integritatis et hoc ex lingua ipsius Scripturae.“

2. Prima quidem fronte adversariis favere videtur textus s. Lucae: „Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.“ [8]) „Ecce, inquiunt, Evangelista scribens, completos dies purgationis ejus, b. Virginem legi naturae subjacuisse ostendit sordibusque fuisse coinquinatam!“

Temerariis assertoribus totum, quod gratia Spiritus sancti in mysterio promulgavit, destruentibus respondet s. Basilius: [9]) „Virgo haec legi purificationis nequaquam erat obnoxia. Scriptum est enim in Levitico: [10]) „Mulier, quae „conceperit semen“ et pepererit masculum, im-

[1]) Gen. XXIV, 5. [2]) Gen. II, 22. [3]) 1 Cor. XI, 5. [4]) Pro Mureto. [5]) Lib. 194 ad Sabinum. [6]) Comment. in Epist. ad Gal. l. II, cp. 4. [7]) In Joa. tract. X, cp. 2. [8]) Luc. II, 23. [9]) In Isai. cp. VII, n. 201. [10]) XII, 2.

munda erit septem diebus." Haec autem, quum facta sit Emmanuelis mater sine semine, pura sanctaque et intemerata est; imo posteaquam effecta mater est, adhuc virgo permansit." Quare etiam s. Bernardus,[1] „Mariam a lege liberam nihil in conceptu, nihil in partu impurum, illicitum atque purgandum habuisse scribit, imo etiam ipso immaculato partu purissimam factam esse, quae sicut non humana lege conceperat hominem, sic et inter viscera intacta et integra."

At quare, purissima Virgo, quae non ex viro, sed Spiritus s. virtute concepisti nec suscepto semine peperisti, quae purior sideribus puriorque fuisti Angelis ipsis, cujus uterus nesciens virum templum factus est Dei, quare illis purgationis te subjecisti ritibus?

Audiamus Doctorem Angelicum respondentem. „Sicut plenitudo gratiae, inquit,[1] a Christo derivatur in matrem, ita decuit, ut mater humilitati filii conformaretur; „humilibus enim Deus dat gratiam."[2]) Et ideo sicut Christus, licet non esset legi obnoxius, voluit tamen circumcisionem et alia legis onera subire ad proponendum humilitatis et obedientiae exemplum, et ut approbaret legem, et ut calumniae occasionem Judaeis tolleret: propter easdem rationes voluit et matrem suam implere legis observantias, quibus tamen non erat obnoxia."

3. Helvidius duplicem praecipue Scripturae textum ad virginitatem s. Deiparae negandam urgebat et in suum detorquebat sensum.

a. „Quum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, **antequam convenirent,** inventa est in utero habens de Spiritu sancto."[3]

b. „Et non cognoscebat eam, **donec** peperit filium suum **primogenitum.**"[4]

---

[1]) III, p. q. XXXVII, art. IV, c. [2]) Jacob. IV, 6. [3]) Matth. I, 18. [4]) Matth. I, 25.

α. Ex particulis „antequam“ et „donec“ deducebat haeresiarcha, quod Maria et Joseph postea matrimonialiter convenerint. Evangelista enim non diceret, arguebat, „antequam convenirent,“ nisi postea conventuri fuissent. Sicut enim de nunquam pransuro recte non diceretur: „antequam pranderet,“ ita de nunquam conventuris bene non diceretur: „antequam convenirent.“ Terminus vero „primogenitus“ Helvidio indicabat, Joseph et Mariam praeter Christum etiam alios habuisse filios.

Ad refellendam hanc opinionem prorsus inanem ac quovis fundamento carentem respondemus, argumentum a contrario sensu non procedere, si absurdum et inconveniens inde resultarit. Ex Helvidii vero deductione conclusio resultaret non solum expressae Ecclesiae definitioni Conciliisque oecumenicis, sed etiam sensui s. Scripturae per ss. Patres interpretato contraria.

Verba illa „antequam convenirent“ exponi debent de cohabitatione vel domicilii vel thori. Si prius, sensus est: Antequam b. Virgo s. Joseph desponsata simul cum eo in eadem habitaret domo, tempore inter sponsalia de futuro et de praesenti, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Si posterius, dicamus necesse est, Scripturam sacram aperire ea, quae facta non sint (nempe b. Mariam cum s. Joseph non convenisse, antequam filium pareret); minime vero ea, quae postea contigerint, quum ea nec quaererentur nec necessaria essent.[1]) Virginitatis Marianae adversarius nullatenus sapit usitatum loquendi modum. Quoties enim dicimus, aliquid non esse factum antea, minime factum esse postea per hoc significamus. Significatur phrasi illa „antequam convenirent,“ aliquid factum eodem modo, acsi diceremus: „Dominus Jesus sciebat literas, antequam disceret“ seu „medicus praescripsit medicinam, antequam de morbo edoctus

---

[1]) Cfr. s. Hieronym. in Matth. cp. 1.

esset“ seu „judex sententiam tulit, antequam causam cognosceret.“ Non enim hisce terminis innuitur vel significatur, Christum postea didicisse literas, vel medicum postea de morbo fuisse instructum vel judicem postea causam cognovisse, sed dicitur tantummodo, ea non esse facta, quum fieri debuisse viderentur.

D. Hieronymus plenissime consentit. Loquens de Helvidii argumentandi ratione: „Doleamne, inquit,[1]) an rideam nescio: imperitiae arguam, an temeritatis accusem? Quasi si quis dixerit: Antequam in portu pranderem, ad Africam navigavi, non possit stare sententia, nisi ei in portu prandendum quandoque sit; aut si velimus dicere: Paulus Apostolus, antequam ad Hispanias pergeret, Romae in vincula conjectus est; aut certe illud: Helvidius, antequam poenitentiam ageret, morte praeventus est: statim aut Paulo post vincula ad Hispanias sit eundum: aut Helvidio poenitentia agenda post mortem; quum Scriptura dicat: „In inferno autem quis confitebitur tibi?“ [2]) ac non potius sit intelligendum, quod, ante, praepositio, licet saepe consequentiam indicet, tamen nonnunquam ea tantum, quae prius cogitabantur, ostendat. Unde nec necesse sit, ut cogitata fiant, quum aliud ideo intervenerit, ne ea, quae cogitata sunt, fierent. . . . . . Non tamen sequitur, ut prioribus docuimus exemplis, eum (s. Josephum) cum Maria convenisse post partum, cujus conveniendi desiderium uteri conceptione sublatum est.“

Nec aliter loquitur s. Epiphanius: „Verum, ne quis ex eo, animadvertit,[3]) quod scriptum est: „Antequam convenirent,“ convenisse postmodum arbitretur, nil ejusmodi demonstrare vel declarare quispiam potest; sed ut labis omnis expertem et maculae Salvatoris nostri partum ostenderet Scriptura, illud asseruit. Quamobrem istae

---

[1]) Lib. de perpetua virginitate Mariae contra Helvidium. [2]) Ps. VI, 6. [3]) Adv. Antidicomarianitas.

voces „non cognovit eam," ad illius gloriam spectant." S. Hieronymi vestigia premit quoque d. Thomas eadem Doctoris Stridoniensis repetens verba: „Quod sicut Hieronymus dicit in libro contra Helvidium, intelligendum est, ait,[1]) quod haec propositio „ante," licet saepe consequentia indicet, tamen nonnunquam ea tantum, quae prius cogitabantur, ostendit. Nec necesse est, ut cogitata fiant, quum ideo aliud intervenerit, ne ea, quae cogitata sunt, fierent. Sicut si aliquis dicat: Antequam in portu pranderem, navigavi, non intelligitur, quod in portu prandeat, postquam navigaverit: sed quia cogitabatur in portu pransurus. Et similiter Evangelista dicit: „Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto." Non quia postea convenerint; sed quia, dum viderentur conventuri, praevenit conceptio per Spiritum sanctum, ex quo factum est, ut ulterius non convenirent." Ita Doctor Angelicus.

Ex eo ergo, quod dicitur „antequam convenirent," minime sequitur, eos postea convenisse. Unum enim sine altero stare potest nec est semper loquentis intentio, aliquem actum sequentem significandi.[2]) „Imo, ut pulchre advertit Salmeron,[3]) fortius innuit Evangelista, non convenisse post inventam illam praegnantem de Spiritu sancto et in lucem edito Salvatore. Qui enim ausus ille fuisset, quam agnoscebat sacrarium Spiritus sancti et Messiae matrem tangere? Solum itaque significatur, quod quum esset tempus ac commoditas cognoscendi illam, non cognoverit, multo minus ubi facultas ac tempus opportunum abfuit, quod abesse cognovit, ubi rescivit eam de Spiritu sancto concepisse Messiamque peperisse. Hinc d. Hieronymus in Helvidium inquit: „Ad summam illud requiro, cur abstinuerit Joseph usque ad partus

---

[1]) III, p. q. XXVIII, art. III, ad 1. [2]) Cfr. Tostatus a. h. l.
[3]) Tom. III, tract. 29; cfr. Ambros. de institut. Virgin. cp. 6; Epiph. haer. LXXVIII.

diem? Respondebit, quia Angelum audierat dicentem: „Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.“ Qui ergo somnio tantum credidit, ut uxorem non auderet tangere, is, postquam pastorum voce cognoverat, Angelum Domini venisse de coelo, et ad eos dixisse: „Ecce evangelizo vobis gaudium magnum“ et „Gloria in excelsis Deo,“ et Simeonem justum: „Nunc dimittis servum tuum Domine“: Annam prophetissam, Magos, stellam, Angelos viderat: qui, inquam, miracula tanta cognoverat, Dei templum, Spiritus sancti sedem, Domini sui matrem audebat attingere?“

β. Adverbium „donec“ significat juxta Helvidium tempus determinatum, quo impleto fit, quod usque ad illud tempus non fiebat. Verbum autem „cognoscebat“ refertur ad commercium carnale, sicuti vg. in libro Genesis: [1]) „Adam vero cognovit uxorem suam.“

Respondemus, particulam „donec, quae tantum cognitionem ante partum negat, nihil de tempore posteriori definiens, non semper significare terminum temporis, sed aliquando etiam tempus indefinitum. Sic exponit d. Thomas ex s. Hieronymo: [2]) „Donec“ in Scriptura dupliciter potest intelligi, inquit; [3]) quandoque enim designat certum tempus, secundum illud „propter transgressionem lex posita est, donec veniret semen, cui promiserat“ [4]) — quandoque vero signat infinitum tempus, secundum illud „oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri;“ [5]) ex quo non est intelligendum, quod post impetratam misericordiam oculi avertantur a Domino . . . . et secundum hoc Evangelista dicit, matrem Dei non esse cognitam a viro usque ad partum, ut multo magis intelligamus, cognitam non fuisse post partum.“

Eadem fere jam multa ante saecula d. Chrysostomus

---

[1]) Gen. IV, 1. [2]) In Matth. cp. I; cfr. lib. adv. Helvid. cp. 3. [3]) III, p. q. XXVIII, a. 3 ad 3. [4]) Gal. III, 19. [5]) Ps. CXXII, 3.

hisce docuerat verbis:[1]) Illud „donec" hic posuit, non ut suspiceris, illam postea a Josepho cognitam fuisse, sed ut scias, Virginem usque ad partum intactam fuisse. Cur itaque ait: „Donec peperit?" Hic mos loquendi in Scripturis saepe observatur, ita ut haec vox non pro definito quodam tempore ponatur. Nam de arca loquens ait: „Non reversus est corvus, donec siccaretur terra,"[2]) etsi postea reversus non sit. Rursus pronuntians: „Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec auferatur luna" nullum terminum pulchro huic elemento statuit. Ita et hoc loco „donec" dixit, ut quae partum antecedebant, firmaret, et quae sequebantur, tibi consideranda relinqueret. Quod enim ab eo tibi dicendum erat, hoc dixit, nempe Virginem usque ad partum intactam mansisse. Quod autem ex dictis consequi et in confesso esse videbatur, hoc tibi intelligendum reliquit. Nempe virum istum justum eam, quae sic mater effecta, ac tam novo et insolito puerperio dignata fuerat, tangere non ausum fuisse."

Huc quoque spectat testimonium s. Ambrosii verba illa: „Non cognovit eam, donec peperit filium" ita exponentis:[3]) „Hoc non movere debet; illud enim vel idioma Scripturae est, sicut habes alibi: „Et donec senescatis, ego sum"[4]) — numquid post illorum senectutem Deus esse desivit? Et in Psalmo:[5]) „Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum;" numquid postea non sedebit? Vel quoniam qui causam agit, satis putat, quod causae est dicere, redundantia non requirit: satis est enim ei, ut causam susceptam astruat, incidentem differat. Et ideo, qui Incarnationis incorruptum susceperat probare mysterium, non putavit uberius prosequendum virginitatis Mariae testimonium; ne defensor magis Virginis, quam assertor mysterii crederetur."

---

[1]) In Matth. hom. 5. [2]) Gen. VII, 7. [3]) Expos. Evang. sec. Lucam lib. 2. [4]) Is. XLVI, 4. [5]) Ps. CIX, 1.

Non ergo ponitur ab Evangelista particula „donec" nisi ad tollendum dubium; quia dubitabamus solum num Maria fuerit cognita a s. Joseph ante Christi partum, quum conceptio naturaliter non fiat, quin semen susceptum sit. Postea, vero non aderat ulla dubitandi causa, quum b. Virgo postea nec conceperit nec pepererit. Asserere ergo: „s. Joseph non cognovit b. Virginem, „donec" peperit filium, est asserere, nunquam eam cognovit. Hunc certissimum esse textus praecitati sensum, omnes ss. Patres s. Matthaei Evangelium exponentes [1]) declarant.

Quidnam significat loco citato terminus „cognoscere?"

Non desunt Patres, qui hoc verbum de cognitione interpretentur intellectuali. „Vere non cognovit Joseph Virginem ante i. e. non cognovit, ait Author operis imperfecti,[2]) cujus fuerat dignitatis, quae unigeniti Dei facta fuerat Mater. Sed postquam peperit, tunc cognovit eam, quia speciosior et dignior facta fuerat, quam totus mundus. Nam quem totus mundus capere non poterat, nec merebatur accipere, quasi in angustum uteri sui cubiculum sola suscepit. Vidit Virginem permanere post partum, vidit mysterium stellae, vidit Magos adorantes, audivit sermones eorum." Eandem sententiam tenet s. Epiphanius ita scribens:[3]) „Non cognovit ipsam, donec vidit miraculum; non cognovit ipsius miraculum, donec vidit genitum ex ipsa. Quando vero peperit, cognovit Dei honorem, quod scilicet ipsa esset, quae audisset: „Ave gratia plena, Dominus tecum."

Alii Patres intelligunt verba „non cognovit eam" de notitia visus. S. Joseph non potuit videre beatissimam Virginem facie ad faciem propter vultus ejus splendorem. Moysis cum Deo colloquentis facies ita est glorificata, ut filii Israel in eam intendere non po-

---

[1]) Cfr. Greg. Naz. orat. 36. [2]) Super I, cp. Matth. [3]) Haeres. LXXVIII.

tuerint; quomodo s. Joseph intueri potuisset b. Virginem, quae Dominum ipsum in suo portaverit utero?[1])

S. Hieronymus vero una cum ss. Patribus, quorum testimonia supra allegavimus, verba illa de cognitione coitus intelligenda esse docet. „De eo, quod scriptum est, inquit,[2]) „cognoscebat," ad coitum esse referendum, ipse disseruit, nullo dubitante, quin ad scientiam saepe referatur, ut ibi: „Remansit puer Jesus in Jerusalem, et non „cognoverunt" parentes ejus."[3]) Verbum cognoscere experimentalem thori consuetudinem significare, ostendunt plurimi s. Scripturae textus.[4])

γ. Jesus vocatur filius Mariae primogenitus; sed primogenitus designat juxta Helvidium ejusque asseclas illum, post quem alius genitus est, qui fratres habet; sicut unigenitus vocatur ille, qui parentibus solus est filius!

R: Christus nuncupatur Mariae primogenitus, non quia post eum alius, sed quia ante eum a Maria nullus est genitus. In hoc sensu s. Scriptura saepe saepius unigenitos appellat primogenitos. Sic v. g. Deus populum Israeliticum vocat primogenitum suum, etsi alium non habuerit. „Haec dicit Dominus: Filius meus primogenitus Israel."[5]) Deus percussit omnia primogenita terrae Aegypti, ad quae pertinebant sine dubio etiam aliqui unigeniti.[6]) Quare optimo jure scribit d. Hieronymus:[7]) „Omnis unigenitus est primogenitus; non omnis primogenitus est unigenitus. Primogenitus est non tantum, post quem et alii, sed ante quem nullus. „Omne, inquit Dominus ad Aaron, quod aperit vulvam, ab omni carne, quae offertur Domino, ab homine usque ad pecus, tibi erunt: tantummodo pretiis redimant primogenita hominum, et primogenita pecorum immundorum."[8]) De-

[1]) Ita tradit ex d. Hilario s. Thomas in catena sup. I Matth. [2]) Contra Helvid. cp. 3. [3]) Luc. II, 43. [4]) Cfr. Gen. IV, 1; XIX, 5; Num. XXXI, 17; 3. Reg. I, 4, etc. [5]) Exod. IV, 22. [6]) Exod. XII, 29. [7]) In lib. adv. Helvid. [8]) Exod. XXXIV, 19 sq; Num. XVIII, 15.

finivit sermo Dei, quid sit primogenitum: „Omne, inquit, quod aperit vulvam..“ Alioquin si non est primogenitus, nisi is tantum, quem sequuntur fratres, tamdiu sacerdotibus primogenita non debentur, quamdiu et alia fuerint procreata; ne forte partu postea non sequente, unigenitus sit et non primogenitus. „Redemptio, inquit, ejus erit ab uno mense, aestimatio quinque siclorum. Siclus, secundum siclum sanctuarii, viginti oboli sunt. Tantummodo primogenita vitulorum et primogenita ovium et primogenita caprarum non redimes, quia sancta sunt.“[1]) Cogit me sermo Dei, ut omne, quod aperit vulvam, si de mundis animalibus sit, Deo voveam; si de immundis, redimam: dans pretium sacerdoti. Possum respondere et dicere: „Quid me in unius mensis stringis articulo? Quid primogenitum vocas, quem an fratres sequantur, ignoro? Expecta, donec nascatur secundus. Nihil debeo sacerdoti, nisi et ille fuerit procreatus, per quem is, qui ante natus est, incipiat esse primogenitus. Nonne mihi apices loquentur et me stultitiae redarguent, eum esse dictum primogenitum, qui aperiat vulvam, non qui habeat et fratres?“ Ita s. Hieronymus.

Christus ergo appellatur primogenitus negative i. e. quatenus importat negationem fratris ante se geniti, licet non fuerit positive per relationem ad fratrem sequentem, quod non requiritur ad propositionis veritatem. Christo Domino nomen „unigeniti“ et „primogeniti“ proprie competit, sive a Patre, sive a Matre genitus consideretur. Solus enim ab aeterno naturalis est filius Dei omnisque creaturae primogenitus (quia ante omnes res creatas genitus) ab Apostolo nominatur. Quum homo esse voluerit, factus est b. Virginis primogenitus, quia primus et solus ex illa natus nullum habuerit fratrem naturalem. Nominatur quidem Dominus „primogenitus in multis fratribus.“[2]) Sed hoc perturbare non potest; consulto

---

[1]) Num. XVIII, 16 sq. [2]) Rom. VIII, 29.

enim Evangelista dixit: „Filium suum primogenitum,“ non vero „filium primogenitum suum.“ Primogenitum ergo non suum appellavit ad significandum, Christum non respectu fratrum, quos Virgo pepererit, sed relate ad omnes creaturas nominari primogenitum. „Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae.“ [1])

Ex usque modo disputatis colligitur, s. Deiparam nomine „sempervirginis“ optimo jure fuisse decoratam; virginitatem enim ante partum, in partu et post partum conservavit omnino illaesam. Tantum abest, ut hujus splendidissimae virtutis pulchritudinem post partum imminuerit, ut virtus haec in dies magis aucta sit et perfecta. Quamdiu enim Salvatoris mater in hac lacrymarum valle vivebat, in sanctitate crescebat. Crescentibus vero donis virtutibusque, similiter crevit et virginitas. Ita expresse tradit d. Augustinus. „Crevit in ejus partu integritas corporis potius, quam decrevit, ait, [2]) et virginitas ampliata est potius, quam fugata.“ Cui consentit s. Petrus Chrysologus s. Deiparam hisce alloquens verbis: [3]) „In tuo conceptu, in tuo partu crevit pudor, aucta est castitas, integritas roborata.“ Quare cum pio quodam canimus poëta:

„Non corrumpit rosae florem,
Immo reddit pulchriorem
Roris stillicidium;
Sic Messiae genitura,
Salvum fecit a laesura,
Mariae triclinium.“ [4])

Quaeritur

1°. Cur a Virgine nasci voluerit Deus.

Innumera s. Scripturae loca, ss. Patrum testimonia nec non ratio ipsa si postulant, ut Creatorem ejusque

---

[1]) Col. I, 15. Cfr. Beda Expos. in Matth. lib. 1 cp. 1; Rab. Maur. Comment. in Matth. l. 1 cp. 1. [2]) Serm. 15 de Tempore. cfr. Morales l. c. lib. IV, tract. II. [3]) Serm. 142. [4]) In quodam rhytmo, qui habetur in biblioth. veterum Patrum tom. XIII.

potentiam, sapientiam et bonitatem in hoc mundo inferiore relucentem observemus, quanto magis sublimissimum illud Redemptionis nostrae mysterium et potentiam, sapientiam ac bonitatem Dei in ipso resplendentem consideremus gratoque praedicemus pectore oportebit. Inquiramus ergo rationes, cur Deus a Virgine nasci voluerit. Decebat nativitas ex Virgine

1. ob insignes virginitatis praerogativas. „Concepit virgo, scribit s. Chrysologus,[1]) virgo peperit; non te conceptus turbet, partus te non confundat auditus, quando virginitas quidquid est humani pudoris excusat. Aut quae ibi verecundiae laesio, ubi init deitas cum amica sibi semper integritate consortium, ubi est interpres angelus, fides pronuba, desponsatio castitas, donatio virtus, judex conscientia, causa Deus, conceptus integritas, virginitas partus, virgo mater.“ Congruebat porro, ut virginitatis institutum antea inusitatum et Judaeis etiam permultis probrosum post natum Redemptorem gratiosius fieret in Ecclesia ac illustrius. Ex omnibus igitur mulieribus Matrem sibi elegit Mariam virginitatis virtute optime decoratam et eam maximis honoravit honoribus gratiisque pretiosissimis non solum in orbem descendens, sed etiam ex illo discedens; virginem enim virgini, discipulo suo dilectissimo, commendavit.

Christus Dominus num clarius ostendere potuisset, quantus sit amator virginitatis, quamque pretiosa in oculis Dei anima illa, quae et mente et corpore est virgo? „Diligamus, hortatur ideo celeberrimus Hipponensis Antistes,[2]) diligamus castitatem, quia, ut hanc solam placere Deus indicaret, pudicitiam uteri Virginalis elegit. Christus ergo voluit habere Matrem Virginem, ut homines, dum virginitatem in tantam elatam vidissent sublimitatem, eam quoque amplecterentur.“ „Christus virgo,

---

[1]) Serm. CXLVIII, de Incarnationis sacramento. [2]) Serm. VII, de Nativitate.

ait s. Gregorius Naziansenus,[1]) ex Matre Virgine concipitur, virginitatem velut lata lege sanciens. Postquam Christus ex Virgine processit, tum effulsit castimonia."

Neque alio tendit s. Cyrillus Hierosolymitanus. „Adoretur, inquit,[2]) qui de Virgine natus Christus, et agnoscant virgines sui status vel dignitatis coronam. Agnoscat eorum ordo et institutum, qui vitam solitariam agunt, castitatis gloriam; neque enim privamur castitatis dignitate. In ventre enim Virginis fuit novem mensium tempore Servator." Similia tradit s. Joannes Damascenus ita disserens:[3]) „Christus virginitatis gloria non modo ex Patre sine initio et sine duorum concursu genitus, sed et homo secundum nos factus, super nos ex Virgine sine alieno consortio incarnatus est: et ipse virginitatem veram et perfectam esse, in se ipso demonstravit. Unde hanc nobis legem non statuit,[4]) sed opere nos erudivit et ad illam nos confirmavit."

2. „Oportebat, inquit s. Augustinus,[5]) caput nostrum propter miraculum secundum carnem nasci de Virgine, quo significaret membra sua de Virgine Ecclesia secundum Spiritum nascitura." Quare etiam Gregorius Magnus ita disserit:[6]) „Sicut Maria Christum peperit Virgo et post partum incorrupta permansit, ita et mater Ecclesia filios Dei sine dolore generat et Virgo semper illibata perseverat." „Factus est homo nostri generis, monet s. Leo,[7]) ut nos divinae naturae possimus esse consortes. Originem, quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte baptismatis. Dedit aquae, quod dedit matri. Virtus enim Altissimi et obumbratio Spiritus sancti, quae fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit, ut regeneret unda credentem .... Universa summa

---

[1]) De laudibus Basilii orat. 10. [2]) Cateches. II, ad Illumin. [3]) De fide orthodoxa lib. IV, cp. 25. [4]) Matth. XIX, 11. [5]) De Virginit. cp. 6. [6]) In Ps. 4 poenitentialem. [7]) Serm. V et. VI, in Nativ. Domini.

fidelium, fonte orta baptismatis, sicut cum Christo in Passione crucifixi, in Resurrectione resuscitati, in Ascensione ad dextram Patris collocati, ita cum ipso sumus in ejus Nativitate congeniti."

3. Decebat nativitas ex Virgine, ut mirabilis nasceretur mirabiliter. „Nove nasci debebat, scribit Tertullianus,[1]) novae nativitatis dedicator, de qua signum daturus Dominus ab Isaia praedicabatur." Cui consentit plenissime d. Ambrosius inquiens:[2]) „Inusitato, quasi Deus, itinere venit in terras, ut, quemadmodum dixerat: „Ecce facio omnia nova,"[3]) partu etiam immaculatae Virginis nasceretur, et sicut scriptum est, ut crederetur nobiscum Deus."

Christo Domino maxime competit, matrem habere Virginem, ut natura ejus inde illustretur. Est enim verus ille Melchisedech, qui sine patre et sine matre esse dicitur, quum in divina generatione matrem et in nativitate humana patrem nesciverit. Unde pulcherrime Lactantius:[4]) „Idcirco filium bis nasci oportuit, ut ipse fieret ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ. In prima enim Nativitate spirituali ἀμήτωρ fuit, quia sine officio Matris a solo Deo Patre generatus est. In secunda vero carnali ἀπάτωρ fuit, quoniam sine Patris officio virginali utero procreatus est, ut mediam inter Deum et hominem substantiam gereret, nostram hanc fragilem imbecillemque naturam quasi manu ad immortalitatem posset ducere, factus est et Dei filius per Spiritum et hominis per carnem." „Quum justitia nulla esset in terra, inquit idem Lactantius,[5]) Deus summus doctorem misit, quasi vivam legem, ut nomen ac templum novum conderet; ut verum ac pium cultum per omnem terram verbis et exemplo seminaret. Sed tamen, ut certum esset a Deo missum, non ita illum nasci oportuit, sicut homo nascitur

---

[1]) De carne Christi cp. 17. [2]) Epist. XLII. [3]) Isai. XLIII, 19.
[4]) Lib. de vera Sapientia. [5]) Divin. instit. lib. IV, cp. 25.

ex mortali utroque concretus: sed ut appareret etiam in homine illum esse coelestem, creatus est sine opera genitoris. Habebat enim spiritualem Patrem Deum; et sicut Pater Spiritus ejus Deus sine matre, ita mater corporis ejus Virgo sine patre."

4. Sicuti primus Adamus de terra immaculata, de terra virgine prodiit, ita etiam alterum Adamum procreari non decebat, nisi ex Matre Virgine. Quare s. Basilius Magnus:[1]) „Quando primus Adam non ex viri ac feminae congressu processit ad ortum, sed e terra formatus est, ultimus Adam, ut veteris illius contagionem corruptelamque instauraret sua novitate, corpus assumpsit in virginali utero formatum, ut per carnem in similitudinem esset peccati." Copiose hoc de argumento disputat Cardinalis Bellarmin. „Et sane, inquit,[2]) si corpus primi Adae ex limo terrae fabricatum, non ab Angelo aliquo, sed a solo Deo formatum effectumque est, quanto majore ratione corpus secundi Adami ex integerrima virgineaque carne, non opera viri alicujus, sed sola Spiritus sancti virtute procreandum fuerat? Et si olim nascente mundo ad illam solam vocem imperantis Dei: „Germinet terra herbam virentem"[3]) omnis ubique terra nullo suscepto semine in momento concepit ac peperit herbam omnis generis: quanto magis conveniebat, ut mundo renascente ad imperium solius Dei sine ullo humano semine terra nostra conciperet et daret fructum suum?"

5. Ultimam rationem, ut alias rationes a ss. Patribus prolatas brevitatis causa praetereamus,[4]) nobis suppeditet Radulphus Ardens. „Quatuor sunt generationes temporales, ait: Prima fuit nec de viro nec de femina, ut quando Deus formavit primum hominem de terra. Secunda fuit de viro sine femina, ut quando

---

[1]) Lib. de vera virginitate. [2]) Super Missus. [3]) Gen. I, II.
[4]) Cfr. Thomassin de Incarnatione Verbi Dei tom. III, lib. II, cp. III.

Deus formavit mulierem de latere viri dormientis. Tertia est de viro et de femina et haec est quotidiana. Restat quarta de femina sine viro et haec est singularis generatio Jesu Christi. Prima, secunda et tertia generatio fuit ad humani generis propagationem. Haec ultima quarta fuit ad ejus redemptionem. Illae tres per inobedientiam corruerunt, haec quarta restauravit ruinas earum. Est igitur haec generatio caeteris major, mirabilior et nobis utilior. Major, quia major est, qui nascitur, scilicet Dei Filius. Mirabilior, quia mirabilius est, quod Deus in forma servi de muliere dignatus est nasci, quam quod servum plasmavit. Nobis utilior, quoniam utilius est nobis, ad vitam renasci aeternam, quam ad mortem in hoc saeculo nasci per carnis nativitatem."

Qui ergo erat Agnus sine macula et ad mundi peccata expianda venerat, ex sola puraque Virgine concipi et generari voluit. „Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus," ut scribit Apostolus.[1]) Segregatus vero fuit a peccatoribus jam hoc virgineo conceptu ac ortu. Quaeritur

2°. An teneantur fideles, explicite credere beatissimae Virginis perpetuam virginitatem.

Dupliciter aliquid fide divina creditur: explicite nimirum et implicite. Explicite aliquid credo, si expressis terminis praebeo assensum alicui speciali et determinato fidei articulo v. g. Trinitati personarum vel Incarnationi secundae in divinis personae. Implicite vero, si credo illud, quo hoc illudve punctum credendum continetur seu si generatim omnibus veritatibus a Deo revelatis et ab Ecclesia propositis assentior absque ulla determinatione ad aliquem articulum particularem.

Non defuere, qui opinati fuerint, fideles nulla-

---

[1]) Heb. VII, 26.

tenus teneri ad b. Virginis perpetuam Virginitatem explicite credendam. Ita docuerunt inter alios Sanchez[1]) et Azorius.[2]) „Quorumdam est opinio, inquit Azorius, unumquemque fidelium debere credere, quidquid expresse in symbolo Apostolorum continetur; et ob id minime sufficere, si singuli credant explicite quatuordecim dumtaxat articulos fidei, quum quisque praecepto ac lege compellitur ad credendum expressim descensum Christi Domini ad inferos, unam sanctam et catholicam ecclesiam, Sanctorum communionem, peccatorum remissionem, carnis resurrectionem, perpetuam Deiparae virginitatem: de quibus singulis nihil explicite quatuordecim articuli fidei praescribunt. Mihi tamen videtur dicendum, satis esse ad salutem cuique fidelium, credere explicite quatuordecim articulos fidei, vel symbolum Apostolorum et idcirco quivis credens quatuordecim fidei articulos non est, cur obligatus esse censeatur ad aliquid aliud nominatim et expresse credendum, si homo sit vulgaris et rudis.“

Alii tamen iique maximae authoritatis theologi, v. g. de Lugo[3]) et Suarez[4]) perpetuam s. Deiparae Virginitatem ab omnibus fidelibus per se loquendo explicite credendam esse censent. Audiamus doctissimum Suarez hac de quaestione ita disputantem: „Dubitari solet, inquit, an teneantur fideles etiam explicite credere, mansisse Matrem Dei Virginem post partum ac perpetuo. Aliqui enim non censent, hoc pertinere ad generale praeceptum, quia neque est per se necessarium ad rectam vitae institutionem, neque etiam videtur tam expresse ab Apostolis praedicatum, tamquam per se omnibus fidelibus necessarium, unde etiam in Scriptura non invenitur expressum, et non est hoc improbabile. Nihilominus pro-

1) In decalogo lib. II, cp. 3 n. 17. 2) Institut. Moral. tom. I. lib. VIII, ad 4. 3) De fide disp. 13 sect. 4 n. 17. 4) De fide disp. 13 sect. 4 n. 9.

babilius judico, hoc esse ex praecepto ab omnibus explicite credendum, quia in symbolo Apostolorum hoc satis significatur, quum dicitur: „natus ex Maria Virgine;" ibi enim et significatur virginitas in partu atque etiam perpetua post partum, ut ex absoluta Virginis appellatione colligitur. Et confirmatur hoc, quia in articulis fidei ita expresse declaratum est, et illi proponuntur omnibus fidelibus, ut materia suae fidei explicitae: fuit etiam hoc valde necessarium fidelibus tum ad vitandos errores, qui in illa materia facile oriri possunt, tum ad illorum pietatem, ad quam maxime pertinet, ut post Deum, dignam existimationem de illius sanctissima Matre habeant." Ita Suarez.

Symbolum Apostolorum, tessera quasi militaris et signum, quo veri Christiani ab aliis discernuntur; symbolum in exordio Ecclesiae catechumenis, antequam ad baptismi lavacrum admitterentur, recitandum perpetuam s. Deiparae virginitatem clarissime exprimit, Mariam nominando Virginem: „Natus ex Maria Virgine."

Ne dicas, hisce verbis non significari nisi virginitatem ante partum et in partu, non vero virginitatem post partum!

Talis enim assertio non solum sensui Ecclesiae aperte repugnaret, sed etiam innumeris ss. Patrum textibus, quorum non paucos supra allegavimus. S. Deipara nominatur „Virgo;" est „Virgo" *κατ' ἐξοχήν*. Hoc nomen illi soli ut proprium competit; non vero competeret, si post partum virginitatem amisisset. „Quis unquam, interrogat ideo non immerito s. Epiphanius,[1]) aut quo saeculo ausus est, proferre Mariae nomen et interrogatus non statim intulit Virginis vocem?" Communi ergo fidelium sensui nomen Virginis videtur nomen proprium et appellativum significans perpetuam ejus virginitatem.

At, inquies, symbolum Apostolorum ab Apostolis

---

[1]) Haeres. LXXVIII.

vivente adhuc b. Virgine formatum fuit; ergo virginitatem Matris Salvatoris perpetuam ut articulum fidei nondum proponere potuerunt, quia alias etiam virginitatem ejusdem futuram ut credendam proponere debuissent, quod non videtur conveniens!

Respondemus cum Cardinale de Lugo,[1]) Apostolos Spiritu sancto dictante optime calluisse, Deiparam virginem fore perpetuam, ut adeo hanc veritatem sine omni periculo falsitatis potuerint fidelibus proponere ut credendam. Sic etiam Isaias hanc veritatem ut futuram et ut talem credendam praedixit. „Ecce Virgo concipiet et pariet.“ [2]) Adeoque virginitas perpetua sic recte proponi potuit.

Non potest assignari regula, dicet forsitan quispiam, quales articuli fidei sint de necessitate [3]) quoad fidem

---

[1]) De fide disp. 3 sect. 4 n. 75; cfr. Sedlmayr l. c. art. X. [2]) Isai. VII, 14. [3]) Duplicem distinguunt theologi necessitatem: unam medii, praecepti alteram. Necessarium necessitate medii dicitur illud, sine quo vel ex natura rei vel ex alterius voluntate finis obtineri nequit, ita ut carentia illius etiam inculpata obstet assecutioni finis. Necessarium vero necessitate praecepti est illud, cujus voluntaria transgressio obstat quidem assecutioni finis, non tamen inculpata carentia: sic v. g. inculpata sacri omissio die festo non nocet assecutioni finis i. e. vitae aeternae.

Necessitate medii necessario et explicite credendi sunt articuli de Deo ut existente et ut remuneratore testante s. Paulo: „Sine fide impossibile est placere Deo. Accedentem enim ad Deum oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit.“ (Hebr. XI, 6.) Quare ab Innoc. XI, damnata est propositio: „Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.“ „Non solum est necessarium credere, quod Deus sit, inquit s. Thomas (lect. 2 ad text. Pauli), sed quod habeat providentiam de rebus; aliter nullus iret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso.“

Necessitate praecepti cognoscenda sunt: 1. Omnes symboli Apostolorum articuli, saltem quoad substantiam. 2. Praecepta Dei seu decalogus. 3. S. Sacramenta, quae tenentur vel volunt recipere fideles. Quibus communiter adjungitur 4. notitia orationis dominicae.

explicitam; ergo perpetua virginitas beatae Virginis nequit assignari ut talis articulus explicite credendus.

Respondet optimo jure Sedlmayr l. c., in Ecclesia Romana pro regula assignari ipsum Symbolum Apostolorum, quod in Catechismo Romano hisce proponitur verbis: „Jubentur enim parochi, pueros et rudes ita de rebus fidei instruere, prout symbolum Apostolorum continet.“ Idem in Catechismo Bellarmini Cardinalis jussu Clementis VIII. edito inculcatur. Nullatenus ergo deest regula circa explicite credenda de necessitate praecepti.

Huc accedunt rationes congruentiae. Nonne gratitudo exigit, ut sublimissima illa beneficia, in symbolo Apostolorum nobis proposita, explicite credamus et rememoremus: beneficia scilicet Creationis per Deum Patrem, Redemptionis per Deum Filium qua hominem ex Maria Virgine natum et Sanctificationis per Spiritum sanctum sicuti vitae aeternae per gratiam Dei Trini conferendae?

Cap. III.

DE S. DEIPARÆ VIRGINITATE DEO DICATA.

Virginitas duo importat: Unum de materiali, quod ad corpus pertinet, abstinentia nempe a coitu carnali sicuti ab experientia libidinis; alterum de formali ad animam pertinente, propositum scilicet non coeundi et experiendi libidinem ex resolutione seminis provenientem.

Beatissimam Salvatoris Matrem corpore semper mansisse virginem, antea demonstratum est; illam etiam in animo et proposito Virginem semper fuisse, nunc probare conabimur.

Non defuere haeretici, qui beatissimae Matris diadema spoliare non erubuerint gemma hac pretiosissima ac splendidissima. Inter alios formalem negarunt virgini-

tatem Centuriatores Magdeburgenses[1]) asserentes, b. Virginem in ipsa desponsatione aliarum sponsarum more nubere seque in viri potestatem totam tradere intendisse ita, ut cum eo etiam copulam habere consentiret carnalem. Quod si verum esset, illa animo saltem virgo et casta esse desiisset. Etiam Calvinus[2]) hanc virginitatis purissimae praerogativam negare non haesitavit dicens: „Si Maria non voluisset dare operam generationi liberorum, voluisset illudere marito, dum se passa est copulari.“ Ita judicant haeretici isti de beatissima Virgine, „cujus virginitati juxta Basilium Magnum,[3]) nihil aequale et ad effectum Spiritus sancti excipiendum nulla inter homines puritas aptior potuerit reperiri.“ Contra haereticos statuimus thesin:

§. 1.

B. Virgo jam ab ipso usus rationis principio firmum et absolutum habuit propositum virginitatis servandae.

Probatur 1. ex s. Thoma dicente:[4]) „Virginitas in Matre Dei praecipue debuit pollere,“ quod in articulo primo ejusdem quaestionis probat propter quatuor: „a. Propter dignitatem Patris Christum mittentis, ut solus esset Pater. b. Propter proprietatem Filii, ut solus esset proprius et absque divisione cordis amaretur. c. Propter humanitatem Christi exemptam ab infectione concupiscentiae et peccati originalis. d. Propter nos, ut non ex voluntate carnis, sed ex Deo dicamur geniti.“ Propositum vero liberorum generationi operam dandi huic virginitatis perfectioni obest. Ergo beatissima Virgo nunquam incumbere voluit liberorum generationi, sed in virginitatis proposito semper permansit.

---

[1]) Cent. I, lib. II, cp. 10. [2]) In Harmon. Evang. [3]) Hom. de hum. Christi gener. [4]) III, p. q. XXVIII, a. 4.

2. Beatissima Virgo, quum ab infantia a Spiritu sancto mota semperque Deo fuerit conjunctissima et quidem multo perfectius, quam alii Sancti, qui Deo consecrarunt castitatem, non dubitandum est, quin illa etiam semper propositum habuerit id faciendi, quod Deo magis placet quodque perfectius est. Atqui virginitas illa formalis per se melior ac perfectior est, quam voluntas liberos generandi, Apostolo expresse docente:[1] „Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo; — qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat, quae Domini sunt; ut sit sancta corpore et Spiritu; quae autem nupta est, cogitat, quae sunt mundi, quomodo placeat viro.“

Hoc s. Pauli de virginitatis pretio testimonium ad novam legem referendum, inquiunt adversarii, nil valoris habet in veteri lege, ubi virginitas prohibita fuerit extiteritque operam dandi generationi praeceptum. Nonne ex ipsius Dei ore audivimus: „Crescite et multiplicamini?“[2]) Nonne expresse dicitur: „Non erit apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus, quam in gregibus tuis?“[3]) Quomodo ergo beatissima Virgo, mater ejus, qui non venerat, legem tollere, sed adimplere, propositum servandi virginitatem habere potuit?

Citata Genesis verba diversimode explicantur. Non desunt, qui praeceptum iis contineri censeant et quidem aut Adamum et Evam tantum obligans, ita s. Joannes Damascenus,[4]) aut omnes eorum posteros, donec genus humanum fuerit satis propagatum. Huic sententiae suffragari videtur s. Hieronymus contra Jovinianum[5]) ita scribens: „Necesse fuit, prius plantare silvam et

---

[1]) 1 Cor. VII, 32 sqq. [2]) Gen. I, 28. [3]) Deut. VII, 14. [4]) De fide orthodoxa l. IV. cp. 24. [5]) In lib. adv. Jovin. n. 17.

crescere, ut esset, quod postea posset excidi" (per virginitatem) et adjicit: „Simulque consideranda vis verbi „et replete terram" nuptiae terram replent, virginitas paradisum."

Sed fac, verbis citatis praeceptum inesse, hoc tamen praeceptum tempore legis Mosaicae, ubi populus jam esset numerosissimus, non amplius perduravit illudque non singulos de communitate, sed totam communitatem generatim obligavit. Sic etiam praeceptum est, agros ad conservandam vitam humanam colere, praeceptum profecto non singulos obligans, alias singuli agros colere deberent. Plenissime consentit s. Thomas: „Respondeo dicendum, inquit,[1]) quod natura inclinat ad aliquid dupliciter: Uno modo, sicut ad id, quod est necessarium ad perfectionem unius; et talis inclinatio quemlibet obligat, quia naturales perfectiones omnibus sunt communes. Alio modo inclinat ad aliquid, quod est necessarium ad perfectionem multitudinis: et quum multa sint hujusmodi, quorum unum impedit aliud, ex tali inclinatione non obligatur quilibet homo per modum praecepti: alias quilibet homo obligaretur ad agriculturam et aedificatoriam et ad hujusmodi officia, quae sunt necessaria communitati humanae."

Juxta alios verba allegata non praeceptum continent, sed benedictionem. Hoc verum esse, jam ex eo elucet, quod Deus illa verba

a. duabus vicibus ad homines post contractum ab iis matrimonium direxerit, nempe ad protoparentes nostros in paradiso existentes et ad Noe ejusque filios post diluvium, quum ex arca egressi fuissent. Ergo non praecepit iis Dominus, ut contraherent matrimonium, sed impertivit potius benedictionem ad multiplicandum genus humanum.[2])

---

[1]) Suppl. q. XLI, a. 2. [2]) Cfr. Gen. II, 23 sq; Gen. VII, 7; Gen. VIII, 18; Gen. IX, 1.

b. Non solum hominibus, sed etiam piscibus maris et volatilibus coeli, praecepti incapacibus, locutus est Deus „crescite et multiplicamini.“ Quare d. Augustinus opinioni huic subscribens: „His ineffabilibus suis verbis, inquit,[2]) id est divinis rationibus in suae sapientiae, per quam facta sunt omnia veritate viventibus vim seminis indidit primis hominibus.“

Quod alterum textum ex Deuteronomii libro desumptum attinet, negare quidem non possumus, Veteris Testamenti tempore sterilitatem magnam, imo maximam fuisse ignominiam. Hinc luctus filiae Jephte virginitatem suam non secus ac funus lugentis, hinc Dei adversus Israelitas minae apud Isaiam:[3]) „Et apprehendent septem mulieres virum unum in die illa dicentes: Panem nostrum comedemus et vestimentis nostris operiemur: tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.“ Hinc illud Oseae:[4]) „Da eis vulvam sine filiis et ubera arentia.“ Inter calamitates, quas Deus per Jeremiam[5]) prophetam minatur Jechoniae, potissima apparet sterilitas: „Scribe, inquit, virum istum sterilem.“

Foecunditas ê contra pro summa habebatur felicitate et benedictione optima. Sufficiat ad hoc intelligendum capita libri Genesis infra citata legere.[6]) „Beatus igitur, qui habet semen in Sion.“[7]) Congratulabantur ideo vicini et cognati Elisabeth propter natum Joannem Baptistam, „quia magnificavit Dominus misericordiam suam.“[8]) S. Hieronymus ipse, eximius virginitatis laudator, hoc non dissimulat. „Apud Judaeos gloria erat in partubus et parturitionibus, scribit,[9]) et maledicta sterilis, quae non habebat semen in Israel: et beatus, cujus erat semen in Sion et domestici in Jerusalem et in

---

1) Gen. I, 22. 2) De gratia et peccato originali cp. 35 n. 40. 3) Is. IV, 1. 4) Os. IX, 14. 5) Jer. XXII, 30. 6) Praesertim cpp. XV, XVI, XVII, XVIII, XXIV, XXV, XXVIII, XXX. 7) Isai. XXVI. 8) Luc. I, 58. 9) Adv. Jovinian. cp. XII.

benedictione maxima ponebatur. „Uxor tua, sicut vitis abundans in lateribus domus tuae; filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae.“

Quibus non obstantibus dicendum est

a. ex allegato Deuteronomii textu praeceptum contrahendi matrimonium deduci non posse, uti jam ex eo apparet, quod expresse memoretur: „neque in hominibus neque in gregibus tuis sterilis erit.“ Num pecoribus imponi poterit praeceptum?

b. Bene attendamus necesse est ad differentiam inter sterilitatem et continentiam i. e. abstinentiam ab usu copulae et ab opere generationis. Haec praecepti objectum esse potest; non vera illa, quae non sit in hominis potestate.

c. Non omnis sterilitas erat ignominiosa et probrosa, sed tantum sterilitas ex impotentia orta in conjugatis, qui quum vellent, generare non valebant. Deus enim personis matrimonio junctis benedictionem promisit, si legem, custodirent divinam; prole ergo carentes a Deo puniri censebantur. [1])

---

[1]) Cfr. Deut. VII, 12. In V. Testamento aliqui propter culpam suam carebant prole, ita ut sterilitas esset poena peccati; aliqui sine sua culpa. Prioris generis erant v. g. Abimelech et Michol: haec, quia Davidem coram Domini arca saltantem deriserat; ille, quod Abrahae suam eripuisset uxorem. „Concluserat Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahae.“ Gen. XX, 18. Posterioris generis fuerunt v. g. Sara, Rebecca, Rachel, Anna, Elisabeth. Longo tempore sanctae hae mulieres fuere steriles non propter suam culpam, sed quia Deus novo miraculo voluerit ostendere, filios, qui ex illis nascerentur, Dei beneficio, non naturae viribus esse natos. Cfr. Becani Analogia veteris ac novi testamenti cp. I, q. XXI, n. 7. Quibus concordant, quae cla. Martin habet in sua „Harmonie des Alten und des Neuen Testamentes pag. 160.“ „Allerdings, scribit, galt nicht die Unfruchtbarkeit d. h. die Kinderlosigkeit überhaupt, aber die Unfruchtbarkeit in der Ehe als eine Schmach vor den Menschen, da Gott den Beobachtungen seines Gesetzes neben anderen zeitlichen Segnungen die Fruchtbarkeit ihrer

Sterilitas in virginibus generare nolentibus, quum generare possent, et quidem majoris perfectionis studio, nullatenus ignominiosa habita, imo etiam Veteris Testamenti tempore Deo fuit acceptissima. Quod non pauca veteris legis loca clarissime ostendunt. „Felix" nominatur in libro Sapientiae [1]) „sterilis et incoinquinata, quae nescivit thorum in delicto; habebit fructum in respectione animarum sanctarum." Celeberrimus vates Isaias: [2]) „Haec dicit Dominus eunuchis, scribit: qui custodierint sabbata mea et elegerint, quae ego volui et tenuerint foedus meum, dabo eis in domo mea et in muris meis locum et nomen melius a filiis et filiabus: nomen sempiternum dabo illis, quod non peribit."

Ex ss. Patribus plurimi gravissimae auctoritatis, inter quos speciatim Ambrosius, [3]) Hieronymus, [4]) Augustinus, [5]) Gregorius Magnus, [6]) Cyrillus, [7]) Joannes Damascenus [8]) Bernardus, [9]) insignem hunc Isaiae textum etiam ad eunuchos spirituales i. e. ad personas castitatem servantes referunt. „Virginitatem, inquit s. Damascenus, carnales homines culpant, et qui voluptati indulgent, testimonii loco obtendunt: „Maledictus omnis, qui non suscitat semen in Israel." Nos vero verbi Dei, qui ex Virgine carnem assumpsit, praesidio freti, hic dicimus virginitatem ab initio in hominum natura consitam fuisse. Etenim homo ex terra virgine effectus fuit. Ex solo item Adamo Eva condita est: Virginitas etiam in paradiso vigebat." „Significatur hoc loco, notat d. Bernardus, sterilitatem non esse ignominiosam apud Deum, quamquam inter homines illius populi velut in quoddam opprobrium haberetur."

Ehe verheißen hatte und mithin die Unfruchtbarkeit als göttliche Strafe angesehen ward."

[1]) III, 13. [2]) LVI, 4 sqq. [3]) Exhort. Virg cp. III, n. 17. [4]) In Is. LVI, 4. [5]) De sancta Virg. cp. XXIV. [6]) Pastor. III, p. cp. 28. [7]) In Isa. lib. V. [8]) De orth. fid. lib. IV, cp. 25. [9]) Super Missus hom. 3.

d. Ut ignominiam illam cum sterilitate conjugali conjunctam melius judicemus, duo considerare juvat commoda, quae Hebraeis ex matrimoniis prolibusque provenerunt: Iis enim populus dilatabatur fidelis simulque spes concedebatur, ut inter posteros aliquando nasceretur Messias. Attento hoc commodo ignominia seu maledictio ex sterilitate proveniente negativa esse videtur, privatio enim spei, fore ut Messias ex posteribus nasceretur. Si prius attenditur commodum, ignominia habet aliquod positivum, tamdiu duraturum, quamdiu imminebat necessitas, ut populus propagaretur.[1] Perbelle ideo d. Augustinus: „Ex quo colligitur, inquit,[2] primis temporibus generis humani maxime propter Dei populum propagandum, per quem et prophetaretur et nasceretur Princeps et Salvator omnium populorum, uti debuisse sanctos istos non propter se expetendo, sed propter aliud, necessario bono nuptiarum.“

Quum ergo populus judaicus non solum Judaeam implevisset, sed etiam per alias diffusus fuisset regiones, ignominia illa, quam diximus positivam, jam desiit eo tempore, quo beatissima Virgo vixit ideoque homines, afflati praesertim divino Spiritu, virginitatem custodire ac virginitatis custodiendae propositum capere potuerunt. Etenim, ut exponit Doctor Angelicus,[3] „non solum necessarium est humano generi, quod multiplicetur corporaliter, sed etiam spiritualiter proficiat et ideo sufficienter providetur humanae multitudini, si quidam carnali generationi operam dent, quidam vero ab hac abstinentes contemplationi divinorum vacent ad totius humani generis pulchritudinem et salutem. Sicut etiam in exercitu quidam castra custodiunt, quidam signa ferunt, quidam gladiis decertant; quae tamen omnia debita sunt multitudini, sed per unum impleri non possunt.“ Unde etiam

[1]) Cfr. Trombellius l. c. p. I. dissert. IX, n. 14. [2]) De bono conjugali cp. IX. [3]) 2. 2. q. CLII, art. II, ad 1.

in veteri lege multo, antequam beatissima Virgo apparuit, plures viri sancti virginitatis custodia insignes reperiuntur, uti supra vidimus.

Nec Deuteronomii [1]) locus de accipienda fratris defuncti uxore ad suscipiendum fratri suo semen, eo tempore virginitatem non aestimatam fuisse demonstrat. „Si enim praeceptum fuisset ducendi uxorem fratris mortui, animadvertit Vasquez,[2]) gravior saltem poena transgressoribus apposita fuisset, sicut in aliis praeceptis. Verba, quae vidua nolenti ipsam in uxorem ducere dixit, nullam infamiam significant nullumque peccatum illius, qui mulierem illam nolebat, sed in signum cessionis dicebantur. Vel certe si peccatum ullum aut infamia in eo, qui nollet uxorem fratris ducere, concedi debet, in eo solum concedenda est, qui nollet eam accipere, eo quod vellet aliam ducere, non autem, quia vellet coelibem vitam agere. Neque enim credibile est, legem Domini ullum ad matrimonium coegisse, nisi ea de causa, ut fratris memoriam et semen suscitaret. Denique, quamvis concederemus, legem cum omnibus loqui, solum sequeretur, in eo casu prohibitam fuisse continentiam, non tamen absolute. In beata autem Virgine ea causa locum non habuit neque habere potuit ac proinde ipsa semper

---

1) Deuter. XXV, 5—10. „Quando habitaverint fratres simul et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus et suscitabit semen fratris sui: Et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quae ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis et interpellabit majores natu dicetque: Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel nec me in conjugem sumere. Statimque accersiri eum facient et interrogabunt. Si responderit: Nolo eam uxorem habere: accedet mulier ad eum coram senioribus, et tollet calseamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius et dicet: Sic fiet homini, qui non aedificat domum fratris sui. Et vocabitur nomen illius in Israel, Domus discalceati." 2) In III, p. q. XXVIII, art. IV, disp. CXXIV, cap. 2.

habere potuit absolutum propositum nunquam virum cognoscendi."

Nulla ergo adest ratio, quare cum nonnullis supponamus theologis, beatissimam Virginem non nisi conditionate sibi proposuisse, virginitatem servare et speciali demum revelatione edoctam, Deo magis placere, ut perpetuam virginitatem servaret, absolutum cepisse propositum.

Putarunt patroni hujus opinionis, eam etiam a d. Augustino et a s. Thoma fuisse propugnatam, sed immerito. „Sanctos necessario uti usu nuptiarum, scribit ille in libro contra Faustum,[1]) propter Dei populum propagandum, per quem et Salvator nasceretur." Doctor Angelicus habet sequentia:[2]) „Videbatur, esse lege prohibitum, non dare operam ad relinquendum semen super terram." S. Antistes loquitur de primis sanctis in populo Dei, ubi fideles non erant multiplicati, non vero de statu, in quo, uti beatissimae Virginis tempore, lex vetus jam senuerat. Ita etiam Angeli scholae verba sunt intelligenda de primo populi fidelis statu relateque ad omnes, non relate ad singulos.[3]) Specialem revelationem si admittere velimus, quid impedit, quominus dicamus, beatissimam Virginem a primo rationis usus principio eadem dignatam ideoque ejus propositum servandi virginitatem jam ab hoc momento fuisse absolutum? Nonne virginitatis, quam in s. Deipara admiremur necesse est, perfectio hoc exigit? Nonne s. Deipara semper, quae Domini fuerint, cogitavit? Num illa corpore et spiritu Deo dicata cor habuit divisum? Quisnam cogitare audebit talia? Neque alio vergit illud s. Thomae „eam semper habuisse virginitatem in desiderio." Doctor Angelicus de imperfecto desiderio seu de velleitate certissime non cogitabat, sed potius de voluntate firma et deliberata.

---

[1]) Lib. XIV. [2]) III, p. q. 28 a 4 ad 1. [3]) IV, Sent. dist. XXXIII, q. 3 a. 2.

Jam vero nullatenus opus erat, ut ex usque modo disputatis apparet, tali speciali revelatione. Etiam absque ea beatissimae Virgini licuit, absolutum habere virginitatis servandae propositum hocque melius erat. Audiamus, quomodo doctissimus Suarez argumentetur:[1] „Quamvis fortasse in statu integrae naturae status continentiae non esset melior, quia tunc actiones (ut ita dicam) animales et onera matrimonii et filiorum nihil impediret spiritus perfectionem, ut sensit s. Thomas,[2]) tamen in statu naturae lapsae virginitas est ex suo genere melior et appetibilior secundum honestam rationem, quia magis abstrahit hominem a sensibili amore et dilectione et a terrenis curis et sollicitudinibus: ergo etiam in lege veteri, quum non esset specialis prohibitio, hoc erat ex suo genere melius et consultius, praesertim post illius populi sufficientem propagationem: ergo etiam in b. Virgine hoc fuit melius et perfectius. Non enim refert, quod ipsa erat veluti in statu naturae integrae et ideo absque impedimento spiritus videtur potuisse generationi carnali incumbere, hoc non obstat, quominus melius ei fuerit virginitatem servare, tum quia hoc ex se et ex objecto suo est melius, quamvis fortasse Virgini propter speciale auxilium gratiae non esset necessarium.“

Sanctissima Virgo sublimiora semper cogitans a primis infantiae annis absolutum ergo habuit propositum, nullum umquam virum cognoscendi floremque virginitatis suae pulcherrimum Deo consecrandi. Nec mirum! Verbum enim illud Dei aeternum et efficax prius ejus fuit magister, quam Filius, prius mentem ejus instruxit, quam se ejus carne vestivit.

---

1) In III, p. tom. II, q. XXVIII, a. IV, disp. VI. 2) In p. q. XCVIII, a. 2 ad 2.

§. 2.

S. Deipara hoc propositum voto confirmavit.

Haeretici si cane et ungue pejus in b. Virgine oderant propositum servandae castitatis, nonne acerbiori odio votum ipsius insectabuntur? Bucerus, Petrus Martyr, Beza,[1]) Centuriatores[2]) aliique negant votum absolute, admittentes Deiparam esse virginem in tantum, in quantum sine viro Christum concepit, sed sine voto castitatis. Calvinus perfidiam gravi reprehensione dignam reputat,[3]) si perpetuae virginitatis votum in Maria constituatur.

Probatur contra istos propositionis nostrae veritas

1. ex sacra Scriptura et quidem ex verbis ipsius Virginis ad Angelum. S. Lucas Evangelista felicissimam illam legationem, angelo Gabrieli a Deo commissam et omnium nostrum nomine ad s. Deiparam directam, modo quodam describit incomparabili. Angelus apparet b. Virgini illique, ut mater Salvatoris esse consentiret, mandata exponit divina. Nuntii ac mysterii novitate permota nec non attonita ob dignitatem sibi promissam Virgo non potuit, quin quaereret: „Quomodo fiet istud, **quoniam virum non cognosco?**"[4]) B. Virgo hic non loquitur de cognitione faciali, uti per se clarum, sed de congressu maritali neque tantummodo de congressu praesenti et praeterito, sed de futuro quoque; alias Angelus respondere potuisset: „Si virum non cognovisti hactenus, cognosce eum nunc habebisque filium, quem te concepturam praedixi." Difficultas ergo, quam b. Virgo verbis allegatis Angelo objicit, non oriebatur ex eo, quod actum cognitionis nondum exercuerat, quum partus ab Angelo proponeretur futurus. Nec minus proveniebat difficultas illa ex virginitatis servandae proposito simplici, quod propria potuerit mutare voluntate. Dicendum igitur,

---

[1]) In schol. adject. Evang. Luc. [2]) Cent. I, lib. II, cp. 10. [3]) Harm. Evang. [4]) Luc. I, 34.

b. Virginem verbis: „Quoniam virum non cognosco“ impotentiam quandam virum cognoscendi exprimere voluisse.

Impotentia duplex distinguitur: naturalis nempe, quae ante pubertatis annos in omnibus adest hominibus — et moralis, qua dicimur non posse facere, quod facere illicet. Impotentia haec aut ex lege aut ex voti religione oritur. Ex lege, uti si Christianus dicat: „Non adoro idola“ i. e. non possum adorare; ex voti religione, si Carthusianus: „Non vescor carnibus, i. e. non possum, voto impeditus.“

Beatissima Virgo verbis prolatis non significavit impotentiam naturalem, quum omnino nubilis esse censeatur nec denotavit impotentiam moralem ex lege ortam: — quanam enim lege impediri potuit, quin virum cognoverit? Concludendum ergo, a b. Virgine impotentiam ex voto provenientem fuisse significatam.[1])

S. Deipara porro dicens: „Quia virum non cognosco“ usa est formula loquendi Hebraeorum tempus praesens saepe saepius usurpantium pro tempore futuro. Quo sensu Pharao ad filios Israel: „Non, inquit, do vobis paleas“ i. e. non dabo. „Nazaraei non radunt caput“ i. e. votum emiserunt non radendi. Dum ergo dicit b. Virgo: „Virum non cognosco,“ significare voluit: Proposui vovique, me nunquam cognituram.

Ne dicas, s. Deiparam Isaiae prophetiam „Ecce Virgo concipiet et pariet filium“ bene noscentem non ignorasse, Messiam ex Virgine nasciturum ideoque verbis illis „Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?“ Angelo non proposuisse difficultatem, de qua instrui cuperet!

Quamvis enim b. Virgo ex s. Scriptura optime sciret, Virginem ex obumbratione Spiritus s. Messiam concepturam esse, tamen, quia humillima, hanc non ad se

[1]) Cfr. Maldonat. l. c. ad Luc. I, 34.

referebat dignitatem nec suspicabatur, annuntiationem de Messia sibi esse factam. Deinde etiam modus, quomodo ex Virgine nasceretur Messias, illam latuit. Unde optime s. Ambrosius:[1]) „Bene quaesivit, quomodo fieret. Legerat enim, quia virgo generaret; non legerat, quomodo generaret. Legerat: „Ecce Virgo accipiet in utero;“ quomodo autem acciperet, in evangelio primum angelus est locutus.“ Probatur

2. ex ss. Patribus, qui praedictum s. Scripturae locum de beatissimae Virginis voto exponunt. Sic v. g. s. Gregorius Nyssenus:[2]) Audi, inquit, purae Virginis vocem: Quomodo fiet mihi hoc? quoniam virum non cognosco. Angelus partum denuntiat, et illa virginitatem amplectitur, castitatem angelicae praeferens apparitioni: ac neque rationem expeditam habet, cur Angelo non credat, neque ab instituto discedit. Interdicta mihi, inquit, est viri consuetudo, quo pacto hoc mihi continget, quando quidem virum non cognosco? Haec Mariae vox demonstrat esse vera, quae per occultam illam historiam traduntur. Nam si nuptiarum causa assumpta erat a Josepho, quomodo angelum de partu praedicentem, quasi re nova atque insolita obstupefacta aversata esset? Quum prorsus speraret, se quoque ipsam aliquando juxta legem naturae matrem esse futuram. Sed quoniam Deo dicatam et consecratam carnem veluti sanctum quoddam donarium intactam servari oportebat, propterea etiamsi angelus sis, inquit, ac de coelo veneris, etiamsi supra hominem sit id, quod apparet: attamen ut virum cognoscam, fieri non potest, qui mater ero absque viro? Josephum enim sponsum quidem novi, virum autem non cognosco.“

Huc quoque spectat Melliflui testimonium. „Quomodo, inquit,[3]) fiet istud, quoniam virum non cognosco?“ Immobile propositum virginitatis, quod nec

---

[1]) In Luc. lib. 2. [2]) De sancta Christi Nativit. serm. [3]) Serm. de Assumpt. B. M. V.

angelo filium promittenti aliquatenus titubavit. Quomodo, inquit, fiet istud? Neque enim eo modo, quo fieri solet in terris: virum penitus non cognosco, nec filii desiderio nec spe prolis.“ Audiamus etiam Nicolaum papam hac de re ita disserentem:[1]) „Si cohabitationis consensus matrimonium facit, tunc frater cum sorore matrimonium potest contrahere: si carnalis copulae, inter Mariam et Joseph non fuit conjugium. Voverat enim Maria se virginem perseveraturam. Unde ait Angelo: „Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?“ id est, me non cognituram proposui? Neque enim, quia tunc virum non cognoscebat, necesse erat inquiri, quomodo posset filium habere, sed quia nunquam se cognituram proposuerat. Si ergo contra suum propositum postea consensit in carnalem copulam, rea facta est voti virginalis mente, etsi non corpore violati, quod de ea sentire nefas est.“

Ex recentioribus Sotus[2]) optime concordat: „Plana enim res est, inquit, verbum illud non facere sensum, qui est, non cognovi: quia illud ad conceptionem futuram impertinens erat; sed sensus fuit, quoniam virum non cognoscere statui votoque firmavi.“ Neque aliter loquitur doctissimus Benedictus XIV: „Nulli profecto dubium esse potest, inquit,[3]) quin Maria Virgo voverit virginitatem. Quum monita fuerit ab angelo, filium se parituram, ei respondit: „Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quae quidem responsio abunde probat, eam perpetuae virginitatis votum fecisse.“

Objicies a.: Si b. Virgo tale emisit votum hocque non obstante matrimonium contraxit, tunc illudere voluit viro consensum in copulam expectanti. Quum vero non

---

[1]) XXVIII, qu. 2 cp. „Sufficiat“; cfr. Beda in Luc. cp. , Anselm. de excell. Virg. cp. IV. [2]) In IV, Sent. dist. XXX, q. 2. a. 1. [3]) De festis B. Mariae Virginis cp. I, n. 7.

credatur, illi illudere se voluisse, impedimentum copulae ex voto non obstabat!

Respondemus cum pluribus ss. Patribus, b. Virginem a s. Spiritu edoctam ac certificatam fuisse, quod s. Joseph nunquam peteret copulam, uti etiam s. Caecilia ab angelo fuit edocta, quod Valerianus in perpetuam consensurus sit castitatem.

b. Nuptiae nullatenus convenire possunt cum voto castitatis; quod enim primae exposcunt, alterum rejicit. Hinc etiam s. Paulus ab ipso s. Thoma [1]) citatus expresse docet: „Voventibus castitatem non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est.“ Reponitur

α. Verba allegata non respiciunt nisi eos, qui post votum emissum ita contrahere volunt, ut matrimonium per copulam consumment vel periculo se exponunt consummandi. „Omnes autem, inquit Vasquez,[2]) in illud conspirant, ut nisi periculum sit violandae castitatis per usum matrimonii, licitum sit, post votum simplex castitatis matrimonium contrahere.“

β. Verba citata in s. Pauli epistolis non inveniuntur. Quare dicendum, s. Thomam effatum illud, uti a s. Paulo prolatum, citasse, quia ex ejus monitis facile colligi possit, vel in illos s. Thomae codices, ex quibus vulgata operum s. Doctoris editio elaborata est,[3]) aliquem irrepsisse errorem.

c. Magister Sententiarum[4]) propositum servandae virginitatis a b. Virgine editum quidem admittit, nullatenus vero votum dicens: „Sane credi potest, non solum Mariam, sed etiam Joseph apud se disposuisse virginitatem servare velle, nisi Deus aliter juberet, eosque sic consensisse in conjugalem societatem, ut uterque de altero revelante Spiritu sancto intelligeret, quod virginitatem servare vellet, nisi Deus aliter inspiraret, sed

---

[1]) III, p. q. XXVII, a. IV. [2]) In III, p. q. XXIX, disp. 125 cp. V. [3]) Cfr. Trombellius l. c. P. I, diss. IX. [4]) IV Dist. XXX, 6.

illam voluntatem verbis non expresserant: postea vero expresserunt et in virginitate permanserunt. Consensit ergo Maria in maritalem societatem, sed non in carnalem copulam, nisi de eodem specialiter Deus praeciperet, cujus etiam consilio in maritalem consensit copulam, quia virginitatem servare volebat: et ideo non aliter consensisset in conjugalem societatem, nisi familiare Dei consilium habuisset.“

Non desunt, qui censeant, Lombardum verbis quidem, non tamen re ipsa a nostra discedere sententia. Admittit enim, uti Trombellius[1]) scribit, propositum virginitatis efficax non solum a b. Virgine, sed etiam a s. Joseph editum, quamvis conditionatam tantummodo propositi executionem admittat — „nisi Deus aliter juberet“: nonne ergo licebit dicere, b. Virginem Spiritus s. revelatione certioratam fuisse, Deum minime aliter jussurum? Suscepit b. Virgo conjugium, quin votum virginitatis mutaverit. Quia castitatem dilexit semperque maximi fecit, in illa admiramur et sine detrimento virginitatis conjugalis sanctitatem et sine opprobrio sterilitatis fecundam virginitatem. Quaeritur

1°: Quale votum b. Virgo emiserit.

Votum seu deliberata promissio Deo facta de bono meliori, si effectum respicias, vel simplex est vel solemne. Simplex illud dicitur votum, quo quid Deo promittitur cum reali intentione se obligandi nullo tamen praesente, qui votum acceptet totius Ecclesiae nomine. In hoc proprie sita est voti simplicis ratio, ita ut dicatur simplex, etiamsi publice coramque plurimis fiat testibus. Solemne e contra votum nominatur, si quis publice se obligat tota Ecclesia admittente votum per aliquem superiorem peculiariter ab ea deputatum.

Votum simplex et solemne continentiae seu virginitatis

[1]) P. I, diss. IX.

fere sese habent, ut sponsalia et matrimonium de praesenti; votum enim simplex promissionem quandam virginitatis servandae significat, solemne vero consecrationem corporisque sui traditionem sponso factam coelesti.

Votum porro distinguitur in absolutum et conditionatum. Votum absolutum nulla conditione obstante executioni statim mandandum est statimque obligat. Votum autem, quod ratione conditionis appositae pro aliquo temporis spatio executioni non mandatur, conditionatum appellatur iterumque duplex est: Alterum sub conditione suspendente voti obligationem, donec impleta est conditio seu donec Deus revelaverit, hoc sibi placere; alterum sub conditione, non quidem suspendente voti obligationem, sed praefigente terminum, donec nempe de contraria Dei voluntate constet seu donec Deus contrarium revelaverit. Quibus praemissis dicimus:

1. Votum a beatissima Virgine emissum non erat votum solemne, sed simplex. In probabilibus enim veterum scriptis nulla mentio facta est pontificis seu templi Judaici praesidis, coram quo s. Deipara virginitatis votum emiserit. „Certum sit, inquit Vasquez,[1]) illud non fuisse solemne tam in opinione eorum, qui dicunt, solemnitatem voti esse juris divini et totam in traditione voventis, quae fiat Deo positam esse, quam in sententiam eorum, qui asserunt, solemnitatem solo jure ecclesiastico introductam fuisse; nam hi manifeste docent, post Christum inventam fuisse, in statu tantum religionis et ordine sacro; illi vero dicunt, traditionem nunquam per votum factam fuisse Deo; vel fieri potuisse, nisi assignata per ecclesiam aliqua forma, sub qua aliqua persona loco Dei talem traditionem acceptet.“ Plenissime consentit Tostatus: „Votum solemne impedit contrahi matrimonium, scribit,[2]) et si de facto contractum fuerit, diri-

---

[1]) In III, p. disp. CXXIV, cp. V, n. 93. [2]) In cp. I, Matth. q XXX; Barthol. Medina in III, p. q. XXVIII, a. 4.

mitur. Votum autem simplex impedit matrimonium fieri; si tamen quis contraxerit, tenet, licet peccet contrahendo. Si Domina nostra vovisset solemniter, non contraheret; maxime autem, quia in veteri testamento nulla mulier tale votum emitteret nec auderet emittere."

2. Votum beatissimae Virginis non fuit votum conditionatum, sed absolutum. Probatur

a. ex verbis, quibus s. Deipara angelo foetum sibi annuntianti difficultatem proposuit: „Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?" Si enim non vovisset, nisi conditionate, vg. sub conditione „nisi Deo aliter placuerit," quomodo amplius interrogare potuisset? Nonne religione se solutam vidisset, sublata nempe conditione ex agnita Dei voluntate, ut filium pareret? Ante interrogationem enim ex s. Spiritus obumbratione concepturam se esse nondum sciverat, quum postea hoc annuntiaverit Angelus. Si porro conditio illa in b. Virginis voto adfuisset, undenam tunc illa angelo nuntiante turbatio? Nonne ex tali nuntio potius conclusisset, Deum aliter jubere nec voti exigere promissionem?

b. Votum absolutum, utpote magis firmum ac tenax, perfectius et praestantius est voto conditionato; beatissima autem Virgo se Deo consecravit perfectiori, quo fieri poterat, modo. Ad hoc enim a Deo ordinabatur ipsius votum, ut aliis novae legis virginibus in exemplum proponeretur. Illae vero absolute vovent.

c. Nihil est, quod urgeat, dicere, votum b. Virginis fuisse votum conditionatum. Votum enim absolutum continentiae nullatenus repugnat matrimonio nec ratione contractus nec ratione sacramenti, sed consummationi tantummodo matrimonii, non vero quoad jus et potestatem, sed simpliciter quoad actum. Contractus enim per se non tollit continentiam potestque fieri, ut qui vere contraxerint, postea custodiant colantque virginitatem perpetuam, sicut ex plurimis sanctorum elucet

exemplis; sacramentum quoque ipsum matrimonii per se est excellentissimum. Nec potestas mutue data et accepta tollit continentiam, nisi actualis sequatur consummatio.

Nihilominus vovens peccat contrahendo et dando alteri potestatem in corpus suum, quia communiter se periculo voti violandi exponit. Quod periculum vero non adest, quando Deus ipse voventem ad matrimonium contrahendum dirigit quandoque actum conjugalem nunquam esse secuturum certissime scitur. B. Virginem hac de re divinitus certificatam fuisse, ex ss. Patribus plurimi docuerunt, vg. s. Anselmus,[1] Albertus,[2] s. Thomas, s. Bonaventura, Scotus,[3] Hugo a sto. Victore,[4] Durandus;[5] ex recentioribus theologis Estius,[6] Sylvius[7] etc.

Audiamus Hugonem Victorinum: „Ob hoc, inquit, viro nubere consensit, speciali fiducia confirmata et spe, quam in Deum habebat, non dubia, quod eam divina misericordia ita custodiret, quod votum virginitatis non cogeretur frangere." Similiter Durandus, qui ita habet: „Alio modo potest salvari, (quod nempe b. Virgo absque voti sui praejudicio in matrimonium consenserit) dicendo, quod ante matrimonium vovit, sed divina revelatione certificata fuit de carnali copula nunquam subsecutura."

Divina illa certificatio etiam ratione firmatur. Ex eo enim, quod s. Deipara speciali Spiritus s. directione in omnibus actionibus, praesertim in iis, quae ad totius vitae ipsius statum spectabant, gubernaretur quodque angelus s. Joseph dixerit: „Ne timeas Mariam accipere i. e. retinere oonjugem tuam," concludere possumus, illam a fortiori per angelum fuisse edoctam,

---

[1]) In hom. super Evang. „Intravit Jesus in quoddam castellum." [2]) In Mariali cp. 38. [3]) In IV, dist. XXX, q. 2. [4]) In lib. de perp. Virginit. B. Mariae cp. 1. [5]) In IV, dist. XXX, q. 2. [6]) In IV, dist. XXX, §. 5 et 9. [7]) In III, p. s. Th. q. XXVIII, a. 4.

ut s. Josepho nuberet nec minimum timeret virginitatis suae dispendium.

d. Sicuti caeteris virtutibus, ita praecipue castitate et humilitate s. Deiparam pollere, nemo qui nesciat. Attamen ex hoc inferamus necesse, votum absolutum quantocius ab ea fuisse emissum. Ardentissimo, quo semper castitatem et virginitatem amavit, affectu ducta, sine ulla dubitatione has virtutes absolute Deo vovit, ut eo ipso propositum suum illas servandi immutabile fieret et irrevocabile. Puritatem enim Angelorum imitari desideravit et quam illi per naturam, ipsa per voluntariam promissionem voluit habere immutabilem. Optime enim scivit, virginitatem relate ad singulos non esse prohibitam, praesertim quum multi ante ipsam virginitatem coluerint. Nec ignoravit, virginitatem per se meliorem esse ac praestantiorem, quam propositum prolem generandi. Quia virgo humillima fuit, vix credi potest, eam, dum se virginem dicavit, cogitasse, divinitus sibi revelari, an in proposito servandae virginitatis perseverare possit, an ab ipso resilire debeat.

Sententiae, quod beatissima Virgo votum virginitatis absolutum quantocius emiserit, repugnare videtur, quod s. Doctor Angelicus docuit et post eum non pauci ac doctissimi theologi, vg. Benedictus XIV.[1]) Billuart[2]) aliique asseruere. Juxta d. Thomam

S. Deipara diversis temporibus primo sub conditione, deinde absolute virginitatem vovit.

„Perfectionis opera, inquit,[3]) magis sunt laudabilia, si ex voto celebrentur: virginitas autem in matre Dei praecipue debuit pollere et ideo conveniens fuit, ut virginitas ejus ex voto esset Deo consecrata. Verum quia tempore legis oportebat generationi insistere tam

---

[1]) De festis B. Mariae Virginis cp. I, n. 10. [2]) In III, p. tom. XV, tract. de mysteriis Christi diss. I, a. 4. [3]) III, p. q. XXVIII, art. IV, in corp.

mulieres, quam viros (quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur) mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Joseph, absolute virginitatem vovisse: sed licet eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio. Postmodum vero accepto sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit."

Eadem tradit s. Doctor[1]) hisce verbis: „In b. Virgine debuit apparere omne illud, quod perfectionis fuit. Virginitas autem quamvis in se optima, tamen pro tempore illo ei matrimonium praeferebatur propter expectationem benedicti seminis per viam generationis venturi, et ideo b. Virgo vovit virginitatem tamquam optimum, et sibi acceptissimum, non tamen simpliciter, sed sub conditione honestissima, hac scilicet, nisi Deus aliter ordinaret; nec istam conditionem apposuit, ut dubitaret, an vellet virgo manere, sed an deberet, et hoc est, quod Augustinus in litera dicit, quod proposuit se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ordinaret."

Utitur Angelus scholae in hoc textu termino quidem „oportebat; quo vero non designat praeceptum ad singulos pertinens, sed non nisi consuetudinem — „sic enim, ait d. Augustinus,[2]) Israelitarum mores ferebant." Quod autem magnus Aquinas contendit, „matrem Dei, antequam desponsaretur Joseph, absolute virginitatem vovisse non credi" seu „b. Virginem virginitatem tamquam optimum et sibi acceptissimum vovisse, non tamen simpliciter, sed sub conditione honestissima," hoc non ex sua asseruit sententia, sed ex praesumpta s. Augustini opinione, in quam ob eximiam erga tantum Doctorem venerationem erat adductus.

S. Thomam, observat P. Serrius,[3]) in sententiam voti

---

[1]) In IV, dist. XXX, q. 2 a. 1 quaest. 2 ad 3. [2]) Lib. de virgin. cp. 4. [3]) Exercit. 21 n. 8.

conditionati ivisse delusum supposititio testimonio Augustini, a Magistro sententiarum et Gratiano laudato, cujus suppositionem s. Thomas in aetate propter probatorum codicum penuriam deprehendere non potuit. Ita enim Magister sententiarum Augustinum inducit loquentem: „Beata Maria proposuit, se servaturam votum virginitatis in corde, sed ipsum votum non expressit in ore. Subjecit se divinae dispositioni: dum proposuit, se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ei revelaret. Committens ergo virginitatem suam divinae dispositioni, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinae inspirationi in utroque obediendo, postea vero simul cum viro, labiis se expressit et uterque in virginitate permansit."

Etiam Gratianus [1]) haec s. Augustini verba in rem suam allegat illo tantum discrimine interposito, quod post verba „divinae inspirationi in utroque obediendo" sequentia subdat: „postea vero filium genuit, et quod corde conceperat, simul cum viro labiis expressit, et uterque in virginitate permansit. Consensus ergo cohabitandi et individuam vitae consuetudinem retinendi interveniens, eos conjuges fecit. Individua vero vitae consuetudo est, talem se in omnibus exhibere viro, qualis ipsa sibi est et e converso. Ad individuam itaque consuetudinem pertinet, absque legitimi consensu viri et orationi aliquando non posse vacare nec continentiam profiteri. Quia ergo iste consensus fuit inter eos, patet eos (Mariam et Josephum) conjuges fuisse."

Quo d. Augustini testimonio, a Magistro sententiarum nec non a Gratiano confirmato, s. Doctor Angelicus sententiam suam bona fide firmavit. Nullibi tamen apud s. Augustinum haec invenies verba neque in libro de nuptiis et concupiscentia a Lombardo citato neque in libro de virginitate a Gratiano allegato. Tantum abest,

---

[1]) Can. 27 q. 2. c. 3.

ut s. Praesul Hipponensis haec tradiderit, ut aperte contrarium docuerit dicens,"[1]) beatam Virginem jam ante desponsationem vovisse" intelligendo absolute, quum duplicis voti a b. Virgine emissi nunquam fecerit mentionem. Ita etiam omnes ss. Patres, b. Virginis votum propugnantes de uno tantummodo eoque absoluto, nunquam de conditionato voto loquuntur. Ergo sine ullo fundamento duo in s. Deipara astruuntur vota.

Jam supra de voto suspensive et resolutive conditionato disseruimus. Votum conditionatum in sensu stricto non potest nominari, nisi votum sub conditione suspendente emissum. Sed tale votum a s. Deipara nunquam nuncupatum est. Semper enim intendit facere, quod perfectius esse videbat, nempe se obligare ad servandam virginitatem, donec Deus aliud ordinaverit, uti expresse docet magnus Aquinas:[2]) Perfectionis opera magis sunt laudabilia, si ex voto celebrentur; virginitas autem in Matre Dei praecipue debuit pollere et ideo conveniens fuit, ut virginitas ejus ex voto esset Deo consecrata."

„Tale votum testante Suarez[3]) parum differt a desiderio vovendi, et quamvis revera aliquid addat, tamen per se loquendo non esset prudens vovendi modus sub conditione dependente et quasi expectante Dei revelationem. Quare non est verisimile, hunc fuisse sensum s. Thomae nec prudenter posse hoc de Virgine sentiri. Nam revera talis modus vovendi videtur esse quoddam genus tentandi Deum et nimis curiose inquirendi voluntatem ejus. Quodsi fortasse dicant, b. Virginem vovisse illo modo ex speciali Spiritus s. instinctu seu revelatione, et quia ex magna familiaritate cum Deo assueta erat his revelationibus divinis et se a Deo singulariter regi fere in omnibus rebus experiebatur: si hoc, inquam, dicatur, quum nullo firmo fundamento, sed conjectura

---

[1]) De Virgin. cp. 4. [2]) III, p. q. XXVIII, a. 4 in corp. [3]) In III, p. tom. II. q. XXVIII, sect. II.

tantum dici posset, convenientius sane diceretur, ab eodem Spiritu s. didicisse Virginem a principio suam virginitatem illi placere et ideo statim voto illam consecrasse.“ Restat ergo votum sub conditione resolutiva emissum. Jam vero tale votum re ipsa absolutum est. Quodvis enim votum, etiam absolutum simpliciter, habet implicitam sibi conditionem „nisi Deo aliud placuerit seu aliud mihi revelaverit.“ Alias non foret de bono meliori.

Rectius ergo cum praeclaris ecclesiae scriptoribus tam vetustis, quam·recentioribus asserendum, beatissimam Virginem virginitatem suam absolute Deo vovisse ac consecrasse. S. Bonaventura, Scotus, Estius, Suarez aliique eam propugnant sententiam; Silvius, thomisticae doctrinae prae caeteris addictissimus, eam probabiliorem, et Billuart „hodie, ut videtur, communiorem“ appellat. Quaeritur

2°: Quonam tempore b. Virgo votum virginitatis emiserit.

Plurimae hac de re inter authores catholicos existunt opiniones, inter quas distinguere licet praecipue quatuor sequentes:

1. Beatissima Virgo ante angelicum nuntium, ante Christi Domini Filii sui conceptionem votum virginitatis absolutum emisit. Omnes theologi, etiam s. Thomas et qui eum sequuntur, in hoc conveniunt. „Absolute, inquit Doctor Angelicus,[1]) Dei Genitrix virginitatem vovit, antea quam ab angelo nuntiaretur.“ Et clarissime patet ex verbis Virginis: „Quomodo fiet istud“ acsi diceret, decretum est mihi et voto firmatum, nunquam virum cognoscere. Sic enim, uti jam supra vidimus, haec interrogatio communi patrum consensu intelligitur.

De b. Virginis sermone s. Anselmus[2]) ita disserit:

---

[1]) III, p. q. XXVIII, a. 4 ad 1. [2]) In hom. Intravit Jesus in quoddam castellum.

„Si cuilibet Virgini desponsatae in animo suo disponenti nubere diceretur: „Filium habebis," non miraretur neque interrogaret, quomodo istud fieret, utpote quae se desponsatam et in proximo nupturam sciret et a viro gravidari usu naturae speraret. Haec autem (Maria) non immerito mirata est, et quomodo fieret, quod promittebatur, sciscitatur, quoniam quamvis desponsatam, tamen se nunquam nupturam neque virum cognituram certo sciebat."

Clarius idem declarat s. Augustinus de beatissima Virgine ita loquens: „Ipsa quoque virginitas ejus, inquit,[1]) ideo gratior et acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo quam conservaret ipse praeripuit, sed priusquam conciperetur jam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quae sibi fetum annuntianti angelo Maria reddidit: „Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco?" quod profecto non diceret, nisi Deo Virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat." Et infra: „Virginitatem Deo dicavit, quum adhuc, quid esset conceptura, nesciret, ut in terreno mortalique corpore coelestis vitae imitatio voto fieret, non praecepto, amore eligendi, non necessitate serviendi." Celeberrimus Antistes beatissimam Virginem iterum haec loquentem inducit: „Quomodo fiet istud, ut ego gravescam ex pudico et castissimo marito, quoniam virum penitus non cognosco? Desponsata sum homini justo: si cum illo non convenero, unde erit, quod generabo? Sed si poterit fieri, ut concipiam intacta et generem clausa, indica modum, et paratum invenies cor meum. Omnibus enim modis exopto me ego Deo meo, ut habeam prolem et non perdam pudorem."

---

[1]) Contra Faustum Manich. lib. XXIX, cp. 4. [2]) De s. Virg. cp. IV.

Mirabilia sunt quoque dicta Doctoris Melliflui:[1] „Quum sciat Dominus meus, testis conscientiae meae, votum esse ancillae suae, non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium, et gaudeo de filio et doleo de proposito: fiat tamen voluntas ejus. O immobile virginitatis propositum, quod neque angelo filium Dei promittente, aliquatenus titubavit." Quibus ex verbis apertissime liquet, beatissimam Virginem, quum angelus illi apparuit, non habuisse propositum tantummodo virum non cognoscendi, sed etiam voto ita fuisse ligatam, ut licite eum cognoscere haud valeret.[2]

2. Beatissima Virgo votum emisit, antequam nupsit s. Josepho.

Probatur testimonio s. Augustini ita loquentis:[3] „Desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius custodituro, quod ipsa jam voverat." Neque aliter loquitur d. Hieronymus:[4] „Quum mandato Pontificum, inquit, caeterae Virgines pronae paruissent, sola virgo Maria se hoc facere non posse respondit dicens, se quidem et parentes suos domini servitio mancipasse et insuper se ipsam Domino virginitatem vovisse, quam nunquam viro aliquo commixtionis more cognito violare vellet." In hanc sententiam antea jam fusius expositam conveniunt ven. Beda,[5] s. Anselmus,[6] s. Bernardus,[7] s. Bonaventura,[8] Hugo a s. Victore,[9] Salmeron,[10] Suarez.[11] Et quidem jure merito. Si enim negari ne-

---

[1]) Hom. IV, super Missus. [2]) Cfr. Baronii Annal. tom I. p. 19. lit. D. Greg. Nyss. orat. de Christi nativitate; Bern. Senens. serm. de septem verbis Mariae; Stapletonii promptuarium cath. super Evang. de festis Sanctorum 2 p. in die Annunt. B. M. V. [3]) Lib. de Virginit. cp. IV. [4]) In hist. de ortu Mariae. [5]) Super cp. I, Luc. [6]) Lib. de excell. Virg. cp. IV. [7]) Super Missus hom. IV. [8]) In lib. Meditat. vitae Christi. [9]) Lib. de perp. Virginit. Mariae cp. I. [10]) Tom. III, tract. VII, super verbum: „Quomodo fiet istud." [11]) In III, p. tom. II, q. XXVIII, art. IV, sect. II.

quit, quin b. Virgo, „aemulatrix charismatum meliorum," a Spiritu s. directa, virginitatem semper appetierit, tunc etiam concludendum, eam jam ante matrimonium contractum hoc votum emisisse. Horret enim animus pietate imbutus vel cogitare, sanctissimam Virginem corpus suum aliquando periculo exposuisse corruptionis, quod profecto fecisset, si voto prius non obstricta nupsisset.

3. S. Deipara vovit, dum adhuc in templo degeret.

„Verisimilius mihi, inquit Pontius,[1]) vovisse illam, quando matura de eo praecessit cogitatio dumque adhuc in templo degeret, Deo inspirante, ut eum statum eligeret suumque votum postea patefecisse sacerdotibus." Plenissime concordat Vasquez:[2]) „Valde verisimile esse, ait, beatam Virginem ab eo momento, quo de usu conjugii et de castitate et virginitate secum coepit cogitare, non post longam consultationem, Spiritus sancti lumine illustratam, perpetuam virginitatem non tantum desiderasse, neque eam solo firmo proposito elegisse, verum etiam voto peculiari eam Domino nuncupasse. An vero hoc fuerit primum momentum et instans usus rationis ignorari."

Baronius cardinalis hoc de voto tractans[3]) citat s. Gregorium Nyssenum ita loquentem:[4]) „Sacerdotes, quamdiu parvula fuit, ad Samuelis similitudinem in sanctis aedibus educarunt; sed quum jam adolesceret, consulebant, quidnam agerent de sancto illo corpore, ne Deum offenderent. Etenim naturae legi illam subjicere, ut cuipiam in matrimonio collocata serviret, absurdissimum videbatur. Instar enim sacrilegii fuisset, si muneris Deo sacrati dominus homo fieret. Legibus enim erat constitutum, ut maritus dominaretur uxori. Mulierem rursus inter sacerdotes in templo versari atque in sanctis aedi-

---

[1]) De sacr. matrimonii lib. I, cp. 19. [2]) In III, p. q. 28 a. 4. disp. 124 cp. 4. [3]) In Apparatu ad Annal. eccl. [4]) Ex historia quadam incerti auctoris.

bus conspici, nec lex nec gravitas permittebat. Deliberantes igitur in hanc sententiam divinitus convenerunt, ut eam connubii nomine cuipiam desponderent, qui tamen ad custodiam ejus dumtaxat esset idoneus. Ad hoc autem munus aptissimus inventus est Joseph, ex eadem tribu et patria, qua erat virgo. Sacerdotum ergo consilio Joseph puellam sponsam accipit.“ Quibus verbis Baronius subdit: „His consententia scripsit s. Epiphanius.[1]) Idem etiam de Fulberto Abbate[2]) dicere possumus: „Ducta Hierosolymas, inquit, in templo Domini conversata est usque ad quartum decimum annum jejuniis et orationibus serviens die ac nocte et virginitatem suam vovens, quod ante virgo ulla non fecerat.“

4. Beatissima Virgo emisit hoc votum a principio usus rationis.

„Plurimi Patres, inquit Suarez,[3]) sentiunt, votum castitatis in Virgine non minus antiquum fuisse, quam propositum.“ At propositum servandi perpetuam virginitatem ab usus rationis principio habuit, uti in articulo primo demonstratum est. „Et re vera est par utriusque ratio, quia sicut votum debuit esse de meliori bono, ita etiam fuit propositum. Quodsi admittamus, leges et mores illius aetatis non permisisse virginitatem vel saltem non aestimasse illam meliorem, vel negandum erit, Virginem habuisse et propositum et votum, non solum ante, sed etiam post contractum matrimonium, quod falsissimum est, vel certo dicendum est in ea sententia, divino nutu et consilio virginitatem appetiisse et vovisse. Quo posito probabilius et magis consequenter dicetur, habuisse hanc divinam revelationem ante matrimonium contractum, quam post illud. Deinde sicut votum per se et natura sua repugnare videtur fidelitati et justitiae matrimonii, ita et propositum non reddendi debitum natura sua pugnat

[1]) Haeres LXXVIII. [2]) Serm. II, de Nativ. Virginis Mariae. [3]) L. c. sectio II.

cum iisdem virtutibus. Si ergo b. Virgo a principio habuit propositum immobile virginitatis, non potuit re vera contrahere non mutando propositum, nisi ex divino instinctu et revelatione, qua sibi constitit, Josephum nunquam petiturum debitum, sed potius in idem virginitatis propositum consensurum. Qua revelatione posita, nec matrimonium repugnabat proposito neque voto; habuisse autem b. Virginem hanc revelationem, antequam matrimonium contraheret, aperte docent Gregorius Nyssenus, Bonaventura;[1]) ergo pari ratione potuisset ex eadem revelatione matrimonium contrahere, etiamsi votum antea emisisset; ergo nihil est, cur dubitetur, quod illud emiserit."

Haec sententia, quam inter alios etiam Joannes Hierosolymitanus,[2]) scriptor vetustissimus, defendit, sat probabilis videbitur, si cogitemus, beatissimam Virginem a Spiritu sancto ita fuisse dilectam, ut illam ab ipso rationis principio semper ad id inclinaverit, quod praestantius est atque melius. Quis vero dubitat, quin praestantior sit virginitas voto firmata, quam virginitas sine voto? Huc accedit, quod, uti apertis constet exemplis, virgines quamplurimae ab ineunte aetate et fere ab incunabulis per votum castitatis se consecraverint Deo. Ergo multo magis hoc de sanctissima Deipara, omnium virginum principe, credendum. Caeteris enim virginibus per partes praestatur gratia, nostrae autem Virgini teste s. Hieronymo[3]) tota se infudit gratiae plenitudo. Quaeritur

3°: Cur s. Deipara hoc votum emiserit?

A diversis auctoribus diversae afferuntur rationes.

1. Non defuerunt, qui asseruerint, s. Deiparam humilitate ductam vovisse virginitatem, ne scilicet mater Messiae fieret.

---

[1]) Lib. meditat. vitae Christi cp. 3. [2]) Lib. de instit. Monachi cp. 32. [3]) Serm. de Assumpt.

Facillime credi potest, eos, qui Mariae singulares ac mirabiles virtutes bene noverant eamque de domo David, de qua proditurum Messiam nemo dubitavit, esse sciverant, suspicari coepisse, et hac de re interdum verba protulisse, num ea forsitan a Deo in matrem ipsius Messiae eligenda foret. Maria vero, quae prae mirabili humilitate sua tam praeclaram haberi de se existimationem non sustinuit, cogitavit, quomodo de corde suo atque de aliorum opinione propellere posset hujuscemodi cogitationes ac sermones, non quod non esset in omnem Dei voluntatem parata, sed ut, quantum in se erat, dilectae consuleret humilitati ideoque Dominum enixe rogavit, ut sibi, quid facto opus esset, ostenderet. Qui ei bonum consilium tum ad ejus humilitatem fovendam ampliusque illustrandam, tum ad ipsam praeparandam ad id, quod de ipsa disposuerat, suppeditavit, ut nempe perpetuae castitatis emitteret votum, quo se ipsam omni naturalis honestaeque prolis spe privaret sicque et mentem suam ab hisce expediret molestiis et alios quoque procedente tempore ipsam sine prole videntes, certiores faceret, se non esse tanti meriti, quanti ab ipsis putabatur. Sed contra accidit Deo omnia mirabiliter disponente, ut quod illa ad tantam dignitatem humiliter declinandam voverat, id ad eandem consequendam ipsam disposuerit. Apposite ergo beatissima Virgo postea cecinit: „Quia respexit **humilitatem** ancillae suae.“ Ita sensit Torniellus.[1])

2. „Alii putant, inquit Salmeron,[2]) s. Deiparam vovisse virginitatem, ut famula et ancilla matris Messiae esse posset utque ejus pedissequa liberius illi ac diligentius ministraret. Sed hoc impugnari facile potest. Nam si ob id virginitatis propositum concepit, haud debuit nuptiis assentiri, ne quovis modo obsequiis atque servitiis Messiae matris impedimentum daretur.“

---

[1]) Ad mun. annum 4050. Annales sacri. tom. II. [2]) Tom. III, tract. VII, sup: Quomodo fiet istud?

3. S. Deipara virginitatis votum emisit, quia optime sciebat, perfectionis opera magis esse laudabilia magisque meritoria, si ex voto fiant; virginitas vero in ea excellere debuit.

Probatur prima pars ex ratione:

a. Opus ex praestantiori virtute procedens melius est eo, quod ex alia minus praestanti virtute procedit; opus vero ex voto fit ex religione, omnium virtutum moralium praestantissima.

b. Melius est, Deo plus offerre magisque se ei subjicere. Atqui per votum homo plus offert Deo eique se magis subjicit; sicuti plus condonat, qui non tantum fructum, sed etiam arborem dat, ut recte s. Anselmus[1]) animadvertit.

c. Votum hominem ab illa liberat inconstantia, cui natura sua plerumque obnoxia est, maximumque ei praebet spirituale emolumentum. Haec enim inter promissionem et donationem factam homini factamque Deo intercedit differentia, quod illa respicit utilitatem hominis, cui fit; haec vero in utilitatem ejus redundat, qui promittit ac donat.

d. Sicut peccare mente obstinata peccatum aggravat, ita bene agere ex voluntate in bonum firmata perfectioris virtutis est; sed per votum voluntas in bonum immobiliter firmatur illique imponitur necessitas, quam d. Augustinus „felicem“ nominat. „Felix, inquit,[2]) necessitas, quae in meliora compellit . . . . . Gaude, jam tibi non licere, quod cum detrimento tuo licuisset.“

Probatur secunda pars: Virginitas in s. Deipara excellere debuit triplici ratione:

a. „Ut Deo esset, inquit s. Bonaventura,[3]) decentissimum habitaculum; quia enim sapientia candor est lucis aeternae et speculum sine macula, quod

---

[1]) In lib. de similitud. cp. 48. [2]) Epist. 127 al. 45. [3]) Sent. lib. IV, dist. XXX.

nihil inquinatum incurrit, decebat, ut ex matre incorrupta et re et voluntate firma conciperetur: perfecta autem incorruptio voluntatis in voto consistit virginitatis.

b. Ut esset mulieribus totius virginitatis exemplum: sicut enim Deus Pater Christum viris proposuit in exemplum, sic ejus matrem in exemplum proposuit mulieribus: et quoniam hoc est maxime imitandum et laudandum, scilicet votum virginitatis, ideo in illa esse debuit.

c. Quia debet in ea esse omnis nobilitatis et sanctitatis privilegium: absit enim, quod aliqua alia virgo beatam Mariam excellat; imo Altissimus, qui fundavit eam, omnis dignitatis privilegio ipsam adornavit; ut sicut ipse eam prae caeteris adamavit, sic ipsa omnibus esset sanctior et amabilior esset universis. Unde circumscripta maternitate Dei adhuc ipsa prae caeteris sanctis debet amari et laudari: et ideo Spiritus sanctus, qui aliis inspiravit virginitatis votum, ab ea non retinuit celatum."

Unde beatissimae Virgini nullatenus sufficiebat, statum amplecti virginalem, sed etiam perpetua voti religione se obstringere voluit ad statum illum nunquam deserendum. Quare s. Anselmus:[1]) „Virgo, inquit, tenera et delicata, regali stirpe progenita et speciosissima totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, ut corpus et animam suam Deo virginitate perpetua consecraret. Sciebat enim, quod quanto sanctius eam servaret, tanto sublimius ei, qui omnium castissimus, imo qui ipsa castitas est, appropinquaret."

„O virgo prudens, o virgo devota, exclamat Doctor Mellifluus,[2]) quis te docuit, Deo placere virginitatem? Quae lex, quae justitia, quae pagina veteris testamenti vel praecipit, vel consulit, vel hortatur, in carne non carnaliter vivere et in terris angelicam ducere vitam? Ubi legeras, beata Virgo, sapientia carnis mors est? et

---

[1]) De excell. B. M. V. cp. 4. [2]) Hom. 3 de B. Virgine.

curam carnis ne feceritis in desideriis. Ubi legeras: De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do? Tu vero, non dicam, praeceptum, sed nec consilium, nec exemplum, nisi quod unctio docebat te de omnibus ac sermo Dei vivus et efficax ante tibi factus est magister, quam filius. Christo ergo devoves, te exhibere virginem et nescis, quod ipsi exhiberi te oportet etiam matrem?" Quaeritur

4°: Utrum beatissima Virgo hoc votum prima emiserit?

Putarunt non pauci theologi, verbis illis, quibus Ecclesia beatissimam Virginem toties alloquitur:[1] „Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo" significari, nullam mulierem in virginitate servanda Mariam praeivisse.

Quod inter alios innuere videtur Origenes: „Arbitror, inquit,[2] rationi consentaneum esse, virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse Jesum, muliebris vero Mariam." Plenissime consentit s. Isidorus.[3] „Virorum virginum, inquit, caput est Christus, feminarum virginum caput est Maria." Neque alio vergit d. Hieronymus[4]) ita ad s. Eustochium scribens: „Mihi virginitas in Maria dedicatur et Christo." Similia leguntur in epistola ad Pammachium:[5] „Christus Virgo, Virgo Maria, utriusque sexus virginitatem dedicavere" seu, ut alii legunt, utrique sexui virginitatis dedicavere principia."[6]

Quae Patrum testimonia quum etiam ad castitatem b. Virginis voto firmatam haud difficulter referri possint quumque pro certo habendum sit,[7] jam plures personas ante b. Virginem castitatem coluisse, dicamus necesse

---

[1]) In Antiph. ad Bened. off. pars. B. M. V. [2]) In Cap. 13 Matth. [3]) De ecclesiasticis officiis lib. 2 cp. 17. [4]) Epist. 22 cp. 7. [5]) Epist. 50. [6]) Cfr. Beda in cap. I, Luc. et hom. de Annunt. s. Bonaventura lib. 1; Pharetrae cp. 5; Antoninus IV, sum. tit. 15, cp. 20 §. 10. [7]) Cfr. pag. 87 sq.

est, eam in hac virtute **servanda** primam non fuisse. Prima vero erat in illa **vovenda** et quidem a. tempore. Haec sententia communissima probatur ex ss. Patribus. Audiamus s. Bernardum: „Propositum, inquit, virginitatis et ipsius quoque propositi novitas virginitatem carnis illustrat, quod videlicet in libertate spiritus, legis Mosaicae decreta transcendens, illibatam Deo corporis et spiritus sanctimoniam vovit.“ Consonat Honorius ita scribens:[2]) „Haec prima inter mulieres vovit Deo virginitatem et ideo sola inter mulieres meruit virgo summae prolis foecunditatem.“ Idem significat s. Ildephonsus:[3]) „Sicut de altera Maria dictum est: Ista optimam partem elegit, quia prima omnium feminarum Deo virginitatem obtulit et idcirco promeruit, ut Dei filius angelo nuntiante ex ea corpus nostrae redemptionis susciperet.“

Huc quoque spectat ven. Bedae testimonium: „Vere gratia plena, inquit,[4]) cui divino munere collatum est, ut prima inter feminas gloriosissimum Deo virginitatis munus offerret.“ Et ad verba „Quomodo fiet istud?“: „Propositum suae mentis reverenter exposuit, vitam videlicet virginalem se ducere decrevisse. Quae quia prima feminarum tantae se virtuti mancipare curavit; jure singulari prae caeteris feminis beatitate meruit excellere.“ Neque aliter loquitur Richardus a s. Laurentio: „Ipsa merito dicitur Virgo virginum, quia prima consecravit et vovit virginitatem absque omni consilio, praecepto et exemplo. Gloria Libani data est ei; scilicet quando inspiratum cordi ejus desiderium virginitatis et prima vovit virginitatem, quae figuratur in Libano, quae interpretatur candor vel candidatio.“

S. Anselmus in stimulo amoris alloquitur Christum:

---

[1]) Serm. de Virginit. in verba Apocal: „Signum magnum apparuit in coelo.“ [2]) Lib. de aetern. gaud. [3]) Serm. 5 de Assumpt. [4]) Hom. de festo Annunt.

„Descendisti e regali solio sublimis gloriae tuae in humilem et abjectam in oculis suis puellam, primo virginitatis continentiae voto sigillatam." „O Virgines, exclamat s. Thomas de Villa Nova,[1]) quantam habetis magistram! Non pater Augustinus, non s. Benedictus, Franciscus vel Dominicus vel quivis alius de numero sanctorum patrum custodiendae virginitatis institutor exstitit, sed virgo sacra, Dei mater, hanc prima invenit viam, et eam Adae filiis demonstravit; ipsa prima docuit homines coelibatum et in carne angelicam vitam degere et coelestium spirituum aemulari puritatem: haec prima virginitatem suam Deo vovit et suo alios exemplo id ipsum agere provocavit. Sicut scriptum est: Astitit Regina a dextris tuis... Adducentur Regi virgines post eam."

Multae virgines adductae sunt ad templum Christi ibique praesentatae, multae ad finem usque mundi adducentur et praesentabuntur. Omnes tamen post s. Deiparam; nam illa dux, illa princeps omnium. Ex hoc oriebatur consuetudo in Ecclesia primitiva observata, quod nempe virgines Deo se consecrare desiderantes, in nomine Mariae, Virginis virginum, castitatem servare pollicerentur.

Verum longior esset sermo, omnia patrum testimonia si referre vellemus.[2]) Hanc esse graecorum latinorumque patrum sententiam, testatur Baronius[3]) „a qua scio neminem dissentire, nisi stolidissimorum haereticorum factionem et satellitium, qui ad impugnanda sacra vota virginitatis et continentiae egregiam diabolo navant operam." Cui patrum et scholasticorum doctrinae conforme est, quod in vita s. Catharinae Senensis

---

[1]) Conc. 2 de Annunt. [2]) Cfr. Ruppertus lib. 3 in Cantic. Petrus Blesensis serm. 1 in adv. Domini. Alb. Magnus de laudibus B. Mariae cp. 182 et in cp. 10 Luc. Hugo Card. in Ps. 18. Alexander de Hales in Ps. 18. S. Thom. p. III, q. 28 a. 4 ad 2. Tostatus in cp. 18 lib. 4 Reg. q. 19; in cp. 1 Luc. [3]) In Apparatu ad Annales §. 57.

legitur, revelatum ei nempe fuisse, beatissimam Virginem omnium primam hoc votum Deo nuncupasse. Joannes Hierosolymitanus asserit quidem,[1] „b. Virginem feminarum primam perpetuam virginitatem vovisse exemplum Eliae secutam;“ sed s. Hieronymus victoriose eum refutavit. Elias virgo fuit, virginitatis votum vero non emisit.

At nonne filia Jephte[2] apud Judaeos virginitatem suam Deo consecravit.

Quae si votum tale emisit, tunc non libere et religione in Deum accensa hoc fecit, sed potius ex obedientia erga patrem vique ejus coacta. Communis vero et antiqua sententia, ab omnibus fere ss. Patribus[3] defensa, sonat, filiam a Jephte in sacrificium fuisse mactatam. Fautores prioris sententiae, quod nempe Jephte filiam suam mystice i. e. per virginitatis consecrationem immolaverit, objiciunt praesertim:

α. Textus hebraicus reddi debet: „Quod egressum fuerit e foribus domus meae in occursum meum,“ dum Vulgatae textus habet: „quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meae.“

Sed nulla est ratio, cur recedamus a versione Vulgatae, Septuaginta, a versionibus Syriaca et Arabica,

---

[1]) Tract. de instit. monach. cp. 34. [2]) Jud. XI, 29—40. [3]) Cfr. s. Hierony. lib. 1 adv. Jovinian. cp. 13, in cap. 6 Mich; Ambr. lib. 3 off. cp. 12; August. q. 49 in Jud. lib. 1 de civit. Dei cp. 21. Chrysost. hom. 14 ad pop. Antioch. Greg. Naz. orat. 22; s. Thom. in IV, dist. 38 q. 1 a. 2. Vasquez In III, p. tom. II, disp. 124. q. 28 a. 3 n. 91. Becanus Analogia veteris ac novi Test. pag. 280. Bened. XIV, de festis B. Mariae Virginis cp. I, n. 9. Calmet ad h. l. Wouters dilucidationes tom. I. cet. Quare Sylvius (Comment. in IIam IIae quaest. 88 a. 2) optimo jure: „Quum, inquit, scripturas interpretari debeamus juxta unanimem patrum sententiam; ipsi autem concorditer dicant, illam filiam per caedem fuisse immolatam: non debemus ab eis propter recentiorum aliquas rationes discedere; praesertim quum ex antiquis orthodoxis nullus producatur, qui contrarium asseruerit.“

quae omnes „quicunque etc.“ habent. Vox „quodcumque“ textus hebraici intelligitur optimo jure cum s. Augustino l. c. de solo homine; Jephte enim certissime intendebat, aliquid singulare et extraordinarium vovere, quale respectu hujus principis non erat animal juxta legem immolabile. Quid autem speciale vovisset, si primum ex animalibus sibi post victoriam reportatam occurrenti in holocaustum vovisset? „Verisimile est, inquit Sylvius,[1]) quod crederet sacrificium de homine esse Deo valde gratum; partim propter exemplum Abrahae, qui Dei jussu paratus fuit filium immolare laudemque promeruit; partim propter gentes vicinas, quas sciebat filios et filias diis suis immolare solitas. Quae res magnam quidem arguit legis naturalis ignorantiam: sed quum temporibus judicum ea fuerit in multis de populo qui ad idololatriam saepe declinaverunt, quid mirum, praesertim eo qui in terra aliena fuerat enutritus a juventute?“ Ita ille.

β. Objiciunt adversarii verba, quibus filia patrem alloquebatur: „Dimitte me, ut duobus mensibus circumeam montes et plangam virginitatem meam cum sodalibus meis . . . . Expletisque duobus mensibus reversa est ad Patrem suum et fecit ei, sicut voverat, quae ignorabat virum.“

At haec verba testante Calmet l. c. nunquam evincunt, subductam a nece puellam ad coelibis vitae propositum coactam ac servitiis tabernaculi perpetuo addictam fuisse. Si filia ad perpetuam virginitatem devota fuisset, cur duos menses petiit ad eam plangendam? Nonne toto vitae tempore eam plangere potuisset? Deflet una cum sodalibus suis duram necessitatem, qua mortem subire cogitur, antequam conjugii pignora viduato parenti ferre potuerit, filium nempe, qui patrem in posteris perennaret. Conveniunt in hanc sententiam veteres

---

[1]) L. c.

Hebraei, patres Ecclesiae recentioresque interpretes. Josephus [1]) oblatam in holocaustum puellam asserit; chaldaeus paraphrastes immolatam filiam inconsulto Phinees summo sacerdote contendit. „Dura promissio, inquit s. Ambrosius, [2]) acerbior solutio, quam necesse habuit lugere etiam ipse, qui fecit."

Tunc temporis porro usus propriorum holocaustorum vigebat, non vero praxis talium mysticarum immolationum maxime inter Judaeos, qui ex semine suo Messiam nasciturum sperabant. Quomodo ergo Jephte, vir spurius, homo militaris, in terra aliena educatus, de tali cogitare potuit consecratione? Victoria reportata domum rediens, „scidit vestimenta sua, quum filia unigenita sibi occurrerit, et ait: „Heu me, filia mea, decepisti me et ipsa decepta es . . ." At nulla erat tanti doloris ratio; spes enim posteritatis secuturae, censet Wouters l. c., per metaphoricam filiae consecrationem abrepta minime erat sufficiens, per alias enim uxores de desiderata posteritate sibi providere poterat propter metaphoricam filiae suae votam immolationem. Ergo dolorem illum sensit propter votum realis immolationis.

„Quae feruntur de consecratione filiae atque ipsius ad coelibatum abdicatione, animadvertit Calmet, haec nobis ad arbitrium mere excogitata creduntur, quum ne verbum quidem in lege ea de re occurrat neque ea afferrantur monumenta, quae rem extra controversiam posuerint."

Beatissima Virgo in emittendo virginitatis votum non solum erat prima tempore, sed etiam

b. prima dignitate; in perfectione enim virginitatis omnes alias superat virgines.

Hinc illa praeclarissima epitheta, quae maximi doctissimique ei attribuerunt theologi. S. Ambrosius [3]) eam vocat virginitatis magistram, virginum vexilliferam,

---

[1]) Antiq. lib. 5 cp 9. [2]) Off. 3. cp. 12. [3]) Lib. de instit. Virg.

„quia haec virginitatis vexillum prima per votum extulit et tantam virginum multitudinem, quae modo in coenobiis virorum et mulierum congregata est, exemplo suo congregavit.“ S. Gregorius Nazianzenus „Virginum lumen“ eam appellat; s. Ephrem[1]) „coronam virginum;“ s. Epiphanius[2]) „principem virginitatis;“ s. Ildephonsus[3]) „fastigium omnium virginum,“ „exemplum perpetuae virginitatis;“ s. Isidorus[4]) „caput virginum;“ s. Sophronius „perfectioris virginitatis exemplum;“ s. Chrysologus „reginam totius castitatis, virginitatis decus;“ s. Damascenus[5]) „virginitatis thesaurum;“ s. Augustinus „virginum initium;“ s. Anselmus[6]) „matrem virginitatis;“ s. Bonaventura[7]) „virginum signiferam.“ „Salve per nos, beata Deipara, salutat illam s. Cyrillus Alexandrinus,[8]) pretiosus totius orbis thesaurus, lampas inexstinguibilis, corona virginitatis.“

Aptissima profecto attributa! Virgines alias ornat virginitas, Mariam vero velut omnium Virginum decus, gloriam et reginam coronat. Quot lilia beatissima Virgo exemplo virginitatis voto firmatae fecit splendescere? Antiquitus feminae sponso erant dicatae humano, at ubi sanctissima Virgo repudiatis matrimonii deliciis se totum dicavit sponso divino, lilia sunt exorta, quae sponsum deliciis circumfusum oblectarent placidissimeque detinerent. Ubi sponsa virginitati sese totam sacravit et pullulare coeperunt lilia virginitate candida, integra castitate conspicua, inter quae jucunde diversatur sponsus, laetabundus immoratur dilectus.

Quoad omnes circumstantias palmam virginitatis inter omnes virgines tenet beatissima Virgo. Et quidem

---

[1]) **Orat. de Deipara.** [2]) **Haer. LXXVIII.** [3]) **Serm. de Assumpt.** [4]) **Lib. de off. eccl.** [5]) **Orat. I, de Nativ. B. M. V.** [6]) **Lib. de excell. B. M. V.** [7]) **In Litaniis.** [8]) **Hom. 6 contra Nestor.**

α. respectu intentionis ex majori provenientis gratia et sanctitate, qua Deipara omnes superavit. „Prae omnibus enim aliis angelis et hominibus gratiae habuit plenitudinem, quia quanto aliquid magis principio in aliquo genere, tanto magis participat effectum illius principii. At Christus est principium gratiae secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter et b. Virgo illi fuit propinquissima secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam.“ [1])

β. Respectu temporis vovendi, quia votum nuncupavit vel, ut Suarez scribit, primo rationis usus principio vel, uti Vasquez putat, maturiori aetate, dum adhuc in templo degeret.

γ. Respectu immobilitatis, quia propositum ejus virginitatis servandae non solum voto confirmatum, sed etiam gratia ita stabilitum fuit, ut vel levissimo motu contrario se liberam senserit.

δ. Votum ejus matrimonio non obstante perfectissime servatum et cum Dei maternitate fuit conjunctum.

Dicet quis forsitan: „Deipara votum tantummodo simplex emisit; at perfectior est virginitas voto solemni Deo consecrata!

Respondemus cum Sedlmayr,[2]) per se loquendo votum solemne neutiquam perfectius esse voto simplici, quia solemnitas introducta est ab ecclesia non propter majorem voti perfectionem, sed ad stabiliendam potius inconstantiam voventium, qui facile mutari possunt. Jam vero Deipara, quum animum in virtute semper habuerit immobilem, extrinseca ista voti solemnitate non indiguit votumque ejus ex ardentissima caritate, sicuti ex purissima processit intentione.

Aliam rationem, cur votum b. Virginis, quamvis simplex, non imperfectius fuerit solemni, allegat Vas-

---

[1]) Billuart. tract. de mysteriis Christi diss. I. a. I. [2]) L. c. a. IX.

quez[1]) dicens: „Solemnitas voti imperfectioribus hominibus, et qui ad perfectionem contendunt, magis convenit. Quum igitur b. Virgo fuerit in statu perfectissimo, minime conveniebat, ut alterius obedientiae per professionem subderetur ac proinde neque ut solemniter in religione voveret. Adde, quod hic modus vovendi non sine causa in tempus post Christi passionem reservatus fuit, et ideo non oportebat, ut eo b. Maria mereretur: neque perfectioni meriti ipsius hoc aliquid derogavit. Et quidem si votum ipsum intra naturam voti consideretur, ejusdem rationis et speciei omnino est, sive sit simplex, sive solemne: quare in b. Virgine propter intensiorem affectum sine dubio majoris meriti fuit. Caeterum, quia in religiosis, qui solenniter profitentur, simul cum voto et promissione Deo facta, traditur homo jurisdictioni et obedientiae praepositi, ex hac parte est majus meritum in solemni, quam in simplici, si caetera paria sunt: verum, quia hic modus non fuit conveniens statui b. Mariae, ut dicebamus, et aliunde pluribus aliis bonis operibus egregie apud Deum promerita fuit, ideo votum illius non fuisse solemne, nihil meritis illius derogavit.“ Hactenus Vasquez.

---

1) In III, p. tom. II, disp. CXXIV, q. XXVIII, a. 3. n. 94.

SECTIO III.

DE S. DEIPARÆ MATRIMONIO IN GENERE.

„O conjugium verum et sanctum, conjugium coeleste, non terrenum! Quomodo enim, vel in quo conjugati fuerunt? Nimirum in eo, quod unus Spiritus et una fides erat in eis.“
Rupertus Abbas in Matth. lib. I, cp. I.

Consideravimus in capite praecedenti perpetuae castitatis votum a beatissima Virgine emissum. Quod votum manifesta s. Scripturae auctoritate probatum nec non a religione catholica sua attestatione confirmatum nemo negare poterit, quin notam incurrerit temeritatis. Omnes patres ex uno quasi ore s. Mariam proclamant Virginem Deo dicatam omnesque strenue impugnant hujus voti adversarios.

Conjunctum videmus cum voto matrimonium a beatissima Virgine cum sancto Joseph initum. Nil sane de voto et de virginitate virginali ea remisit. Nullatenus ejus perfectionem imminuere potuit conjugalis consensus, sicut nec castitatem violavit conceptus nec integritatem abstulit partus. Idem enim Deus et auctor voti illius celeberrimi et matrimonii hujus speciosissimi. Idem Deus, qui Mariam ad votum destinavit emittendum, ordinavit eam quoque ad matrimonium contrahendum.

Sed hae duae veritates quomodo poterunt conciliari? Nonne sese invicem videntur excludere? Nemo alteri potest tradere, quod suum non est; suum vero non est, quod alteri jam est traditum. Si ergo beatissima Virgo jam ante matrimonium Deo se consecravit voto, non habuit amplius corporis sui potestatem eamque in matri-

monio alteri dare nequivit! Et porro. Verum conjugium sine carnalis commixtionis consensu existere non potest. S. Deipara praestititne hunc consensum an non? Quem si praestitit, vera virgo non permansit; si vero non consensit, veram conjugem eam fuisse negatur!

Antequam ad has similesque respondemus difficultates, quibus permoti nonnulli, specioso saltem obtentu conservandae virginitatis Mariae, matrimonium a beatissima Virgine cum s. Joseph contractum negarunt, pro faciliori clariorique hujus tractatus de vero et essentiali matrimonio a b. Virgine et a s. Joseph inito intelligentia operae pretium esse judicavimus, ante omnia penitius disserere

Cap. I.

DE RELATIONE COPULÆ NEC NON CONSENSUS IN COPULAM AD MATRIMONII VALOREM.

Exponamus, quaenam relatio matrimonium inter et copulam existat, inquiramusque, an matrimonium in sua ratione copulam vel saltem ordinem includat ad copulam. Hinc dicimus

§. 1.

Copula carnalis non pertinet ad rationem matrimonii.

Matrimonii essentiam sitam esse in copula carnali Julianus Pelagianus opinabatur teste s. Augustino, qui[1]) contra ipsum scripsit: „Jam vero de Joseph, cujus Mariam teste Evangelio conjugem dixi, multa diu disputas contra sententiam meam et conaris ostendere, quia concubitus defuit, nullo modo fuisse conjugium; ac per hoc secundum te, quum destiterint concumbere conjuges, jam non erunt

---

[1]) Lib. V, cp. 9. contra Julianum.

conjuges et divortium erit illa cessatio. Quod ne contingat, agant sicut possunt decrepiti quod juvenes agebant et ab hoc opere ne effoetis aetate corporibus parcant. Non se cogitent, quantum ad libidinis attinet incentiva, senuisse, ut possint conjuges permanere."

Hoc ipsum sensit Wicleffius matrimonium definiens: [1]) „Est legitima copulatio, qua secundum Dei legem licet eis sine crimine filios procreare." Generare ergo non valentibus juxta Wicleffium non licet, matrimonium contrahere contrahentesque ex alia causa, puta ex cupiditate temporalium, si desperent de prole, verum non contrahunt matrimonium. [2])

Ab his Juliani et Wicleffii placitis parum aut fere nil dissentit Gratianus. „Quod autem interrogasti de his, qui matrimonio juncti sunt et nubere non possunt, scribit, [3]) si ille aliam, vel illa alium possit accipere, de his ita scriptum est: Vir et mulier, si se conjunxerint, et postea dixerit mulier de viro, quod non possit coire cum ea, si potest (per verum indicium) probare, quod verum sit, accipiat alium." Tunc ergo juxta illum celebratur verum matrimonium virum inter et feminam, quum invicem commiscentur. Ex recentioribus Michael de Medina [4]) sine copula carnali verum matrimonium existere non posse demonstrare conatur.

Error hic a theologis communiter optimo jure rejicitur. Unum alterumve argumentum citare sufficiat. Et

1. quidem, quod attinet s. Scripturam, jam inter protoparentes nostros ante lapsum verum existebat matrimonium. Adamus et Eva in paradiso fuerunt veri conjuges, antequam se carnaliter cognoscerent, ut definivit Bonifacius VIII, [5]) et colligitur ex illis Adae verbis: „Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea . . . . . .

---

[1]) Vid. Thom. Waldens. tom. II, de sacramentis cp. 130. [2]) Cfr. Vasquez p. III, disp. CXXV, q. XXIX. [3]) C. XXVII, qu. II, can. XXIX. [4]) Lib. V, de sacrorum hominum continentia cp. 61. [5]) Cp. unico de voto in VI.

Quam ob rem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una.“ [1]) Eva vocatur[2]) uxor Adami, quum tamen carnaliter nondum essent conjuncti. Adamus Evam cognovit,[2]) postquam e paradiso exularunt. Ex libro Tobiae[3]) clare elucet, Tobiam inter et Saram jam longum per tempus extitisse matrimonium, antequam illo uterentur.

Jesus Christus ipse hanc probat veritatem ore s. Matthaei declarans:[4]) „Quod Deus conjunxit, homo non separet.“ Conjunxit enim Deus protoparentes in paradiso, dum illos masculum et feminam creavit, mutuo eorum accedente consensu. Secundum juris peritos porro omnis res, per quae conjungitur, per eadem dissolvitur. Sed Apostolus docet,[5]) matrimonium non solvi facta corporum separatione: „iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quodsi discesserit, manere innuptam;“ ergo non fit matrimonium conjunctione eorum.

2. Ecclesia semper hanc docuit veritatem profitendo,[6]) „causam efficientem matrimonii „regulariter“ esse mutuum consensum per verba de praesenti expressum“ agnoscendoque verbis sequentibus etiam ante copulam carnalem verum matrimonium:[7]) „Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.“ Supponitur hic ergo matrimonium jam ante copulam carnalem, qua dicitur consummari, validum esse.

„Verum est, inquit Benedictus XIV,[8]) matrimonium

---

[1]) Gen. II, 24. [2]) Gen. II, 25. [3]) Cp. VII, sq. [4]) XIX, 6. [5]) I. Cor. VII, 10 sq. [6]) Eugen. IV, in decreto pro instructione Armenorum. Vox „regulariter“ non afficit mutuum consensum, quasi mutuus iste consensus ut plurimum, non semper requiratur, spectat potius ultimos terminos „per verba de praesenti expressus;“ quia communiter verbis exprimitur consensus, sed potest etiam nutibus manifestari vel signis. [7]) Conc. Trid. Sess. XXIV, can. 6. [8]) De festis B. Mariae Virginis cp. I, n. 6.

etiam seclusa copula, quod ratum dicitur; si accedat copula, matrimonium consummatum vocatur. Ac tria in matrimonio potissimum spectanda sunt: Substantia, usus et finis. Substantia est mutua in corpus potestas; usus est copula conjugalis, qua vicissim in sua sibi corpora tradita potestate utuntur; finis denique est liberorum procreatio. Usus a substantia jungi et substantia sine usu esse potest. . . . . Omnis etiam potest esse in matrimonio substantia sine fine."

Quapropter catechismus Romanus [1]) de matrimonio tradit: „Parochi fidelibus tradent, matrimonii naturam et vim in vinculo et obligatione sitam esse: ac praeter consensum eo, quo dictum est, modo expressum, ut verum matrimonium existat, concubitum necessario non requiri: nam et primos parentes ante peccatum, quo tempore nulla inter eos carnis copula intercesserat, ut Patres testantur, vero matrimonio junctos fuisse plane constat."

3. Ss. Patres idem docuerunt. Audiamus d. Ambrosium ita loquentem: [2]) „Connubium non facit defloratio virginitatis, sed fides et pactio conjugalis." Consonat s. Augustinus asserens, [3]) inter beatissimam Virginem et s. Joseph matrimonium extitisse non concubitu, sed affectu, non commixtione corporum, sed copulatione, quod est caritas animorum. In libro de bono conjugali [4]) celeberrimus Hipponensis antistes exponit, „in utroque sexu absque commixtione concubitus alterius regentis, alterius obsequentis amicabilem quandam et germanam existere posse conjunctionem." Optime quoque s. Isidorus: [5]) „Conjuges verius appellantur a prima desponsationis fide, quamvis adhuc ignoretur inter eos conjugalis concubitus." Et s. Chrysostomus: „Matrimonium non facit coitus, sed voluntas." Plura porro

---

[1]) Pars II, n. X. [2]) De Instit. Virginum cp. 6. [3]) Lib. XXIII, cont. Faust. cp. 8. [4]) Cp. I. [5]) Etymolog. lib. 9 cp. 7.

exstant pulcherrima exempla conjugum, qui virginitatem in matrimonio servavere illibatam, ut inferius videbimus.

4. Etiam ratione facillime demonstrari potest hujus sententiae veritas.

a. Usus enim et operatio rei non sunt de essentia rei; sed carnalis commixtio est usus seu operatio matrimonii, ergo non de illius essentia. Major probatur ex eo, quod operatio, quum significetur ut egrediens ab operante, operantis essentiam jam constitutam praesupponit, ut patet in motu deorsum lapidis praesupponente essentiam lapidis jam constitutam. Ergo copula carnalis, quae est usus matrimonii, ipsum jam constitutum supponit et pars illius essentialis esse nequit.

b. Idque valet de matrimonio non solum, ut est officium naturae, sed etiam quatenus est sacramentum. Contractus enim naturalis quum ad rationem elevetur sacramenti, si vera ratio et essentia contractus naturalis reperiatur in matrimonio ante consummationem illius, vera etiam ratio et essentia talis sacramenti reperitur ante consummationem matrimonii. Addo, quod sacramentum matrimonii conferat gratiam ad hoc, ut conjuges matrimonio recte utantur. Sed actus, ad quem sacramentum confert gratiam, non est de essentia talis sacramenti, ut patet in sacramento ordinis. Actus enim consecrandi, ad quem dat potestatem et gratiam, non est de ejus essentia. Ergo pariter copula carnalis, quae est usus matrimonii, non est de essentia hujus sacramenti.[1]) Hinc in matrimonii definitione, a catechismo Romano tradita,[2]) quod matrimonium nempe sit „viri et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas, individuam vitae consuetudinem retinens“ nil ponitur, quod ante commixtionem carnalem non verificetur.

c. Verum matrimonium consistit ante carnis copulam;

---

[1]) Cfr. Gonet clypeus theologiae thomisticae tom. V, p. 589.
[2]) P. II, n. V.

alias fornicationem solum, non adulterium committeret, qui ante consummatum matrimonium sui corporis alteri, quam conjugi faceret potestatem. Quod omnino falsum est.

d. Matrimonia porro senum generationis incapacium omnino sunt licita s. Augustino testante:[1]) „Conjugium mihi non videtur solum propter filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diverso sexu societatem; alioquin non jam diceretur conjugium in senibus.“ . . . . . „In bono licet annoso conjugio, etsi emarcuit ardor aetatis inter masculum et feminam, viget tamen ordo caritatis inter maritum et uxorem.“ Tunc enim matrimonium est in remedium concupiscentiae, qui est finis secundarius et minus principalis, ob quem etiam fuit institutum juxta illud Apostoli:[2]) „Melius est nubere, quam uri.“ Plenissime consentiunt recentiores authores. „Senibus, quorum semen non est amplius prolificum, scribit Gury,[3]) licet usus conjugii, dummodo copulam sufficienter perficere valeant vel ipsam perficiendi spem habeant non inanem.“ Si generatio nulla sequatur, id per accidens omnino fit.[4])

e. Attendamus etiam ad absurdum, quod ex Juliani et Wicleffii opinione sequitur. Sacramentum matrimonii eo momento gratiam sanctificantem confert conjugibus, quo contractus perficitur matrimonialis. Sed secundum supracitatos authores contractus ille ipso copulae carnalis actu perficitur, ergo etiam tunc demum matrimonium ad sacramenti dignitatem elevatur et gratia sanctificans confertur. Hoc vero perabsurdum esse, nemo, qui ignoret.

---

[1]) Lib. de bono conjugali cp. 3. [2]) 1 Cor. VII, 9. Cfr. Ferrari promp. bibl. sub. voc. Imp. mat. a. 2. n. 57. [3]) Compend. theol. mor. annot. Ballerianis locupl. Romae 1859 tom. II, pag. 44. [4]) Cfr. Sanchez l. c. lib. VII, disp. XCII, n. 26. Jure antiquo civili ex lege Julia et Papia fuit prohibitum viris post annum sexagesimum, feminis post annum quinquagesimum contrahere matrimonium. Contraria sententia ab ecclesia semper fuit recepta. Justinianus legem sustulit Julianam concessitque, in quavis aetate contrahere matrimonium.

Ne dicas, s. Paulum in epistola ad Ephesios[1]) per verba: „Erunt duo in carne una" satis innuisse, carnalem copulam ad matrimonii essentiam pertinere; nam Apostolus per verba allegata non actum seu usum matrimonii designat, sed mutuam solummodo translationem dominii in corpus utriusque conjugis; ad hoc dominium sufficit jus radicale et in actu primo.

Nec minus objici potest, quod s. Augustinus contra Faustum[2]) scribit: „Matrimonium ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debet femina nubere, nisi ut mater fiat." Sanctus enim doctor l. c. reprehendit Manichaeos asserentes, uxorem „non ad matrimonii fidem, sed ad concupiscentiae crimen habendam esse" et quibus odiosum erat, „feminam nubere, ut mater fiat."

Bellarminus[3]) copulam non quidem partem essentialem sacramenti matrimonii habuit, partem tamen integralem; qualis in sacramento poenitentiae est satisfactio. Etiam haec opinio caeteris theologis merito displicet. Parti enim integrali sacramenti aliquis effectus sacramentalis ex opere operato inesse debet, sicuti satisfactio causat remissionem poenae ex opere operato nec non juxta s. Thomam augmentum gratiae. Quisnam vero tales effectus copulae posset ascribere carnali?

Vidimus ergo, commixtionem carnalem neque ad essentiam neque ad integritatem matrimonii pertinere, sive consideretur matrimonium ut contractus sive ut sacramentum. Usus rei traditae in nullo prorsus contractu ad essentiam vel integritatem contractus pertinet, sed est quid consequens illam; nec necesse est, ut qui habet jus et dominium in rem, ea actu utatur. Nihilominus omnes theologi in eo conveniunt, quod aliquem consensum in copulam carnalem ad matrimonii valorem

---

[1]) V, 31. Textus graecus habet: „εἰς σάρκα μίαν" — in carnem unam. [2]) Lib. XIX, cp. 26. [3]) Lib. I, de matrimonio cp. 5 in solutione 6 argumenti.

et essentiam necessarium esse dicant. Ad valorem enim matrimonii necessario requiritur, ut contrahentes consentiant: a. In mutuam dominii proprii corporis traditionem ad usum conjugalem; in ea consistit contractus matrimonialis essentia. b. In matrimonii vinculum ex natura sua perpetuum, donec alter moriatur. c. In obligationem reddendi debitum, quum debite exigatur. Matrimonium natura sua ad prolis procreationem ordinatur; ad quod quum copula necessarium sit medium, etiam matrimonii substantia excluso omni consensu ad copulam consistere haud valet. Duplex a theologis hac in re consensus communiter distinguitur, explicitus nempe et implicitus; quorum hic in copulam non solum ex parte contractus, sed etiam ex parte contrahentium ferri potest. Unde quaestio exoritur sat difficilis, quisnam consensus ad essentiam matrimonii necessario requiratur ac sufficiat. Triplicem circa haec sententiam statuerunt theologi.

Prima asserit, consensum explicitum in carnalem commixtionem requiri ad verum constituendum matrimonium. Secunda ad essentiam matrimonii sufficere docet consensum implicitum in copulam et quidem ex parte contractus, sicuti ex parte contrahentium. Juxta tertiae sententiae patronos neque explicitus neque implicitus consensus in copulam ex parte contrahentium ad matrimonii essentiam requiritur, sed consensus implicitus ex parte contractus plane sufficit. Singulas has opiniones penitius exponere, pro nostro fine attingendo opportunum judicamus. Hinc

§. 2.

Consensus explicitus ad valorem matrimonii minime requiritur.

Wicleffius copulam carnalem habens partem matrimonii essentialem contendit quoque, sine expresso con-

trahentium consensu in copulam matrimonium confici non posse. Inter quadraginta quinque articulos a concilio Constantiensi,[1] enumeratos et damnatos error citatus quidem non continetur; inde vero non sequitur, eum non fuisse damnatum. Nam illis 45 erroribus damnatis repertum fuit, aliquos et plures fuisse esseque notorie haereticos et a sanctis patribus reprobatos; alios non catholicos, sed erroneos; alios scandalosos et blasphemos, quosdam piarum aurium offensivos.[2] Ideo post damnationem illorum articulorum patres praefati concilii haec verba subjungunt: „Propterea in nomine Domini nostri Jesu Christi haec sancta Synodus sententiam praedictorum Archiepiscoporum et Concilii Romani ratificans et approbans, praedictos articulos et eorum quemlibet, libros ejusdem dialogum et trialogum hoc perpetuo decreto reprobat et condemnat."

Consensum expressum in copulam non requiri ad matrimonii valorem, probatur

a. non solum ex eo, quod copula non sit de matrimonii essentia, quum matrimonium ante copulam plene subsistat, sed elucet quoque ex verbis contrahentium, quae non exprimant consensum in copulam, sed in vinculum conjugale et in conjugalem viri et mulieris associationem.

Quare Doctor Angelicus: „Sicut carnalis copula se habet ad matrimonium, inquit,[3] ita consensus, qui matrimonium causat, est in carnalem copulam: matrimonium autem non est essentialiter ipsa conjunctio carnalis, sed quaedam associatio viri et uxoris in ordine ad carnalem copulam et alia, quae ex consequenti ad virum et uxorem pertinent, secundum quod eis datur potestas in invicem respectu carnalis copulae, et haec associatio conjugalis copula dicitur. Ergo consensus in matrimonium nullatenus

---

[1]) Sess. VIII. [2]) Cfr. Summa Conciliorum per Bartholomaeum Carranza pag. 652. [3]) In Supplem. ad III, p. q. XLVIII, art. 1 concl.

importat expressum consensum in copulam, sicut consensus ad accipiendam potestatem non includit expressum consensum tali potestate utendi.

b. Ille porro, qui contrahit cum expresso animo religionem ingrediendi ante matrimonium consummatum, valide contrahit; sed hic expressum non potest habere in copulam consensum. Ergo talis consensus ad valorem matrimonii minime desideratur. Major probatur ex capite „Commissum.“ [1]) „Significavit nobis fraternitas tua, quod quidam cuidam mulieri de contrahendo matrimonio fidem dedit, et se cum ea intra biennium per verba de praesenti contracturum praestito juramento firmavit: nunc autem privata lege ductus ad frugem melioris vitae transire suspirat. Respondemus, quod tutius est ei (religione juramenti servata) prius contrahere et postea, si elegerit, ad religionem migrare, si tamen post desponsationem copula non dignoscitur intervenisse carnalis.“ Matrimonium ergo validum, licet contractum fuerit cum expresso animo ingrediendi religionem; nam Pontifex Alexander III. non potuit suadere, ut matrimonium invalidum faceret. Minor argumenti nostri evidens; animus enim expressus exercendi copulam non concordat cum animo castimoniam perpetuo servandi.

c. Gonet confirmat [2]) thesin, de qua hic sermo, sequenti exemplo: Sicut in fundo vg. duplex dominium distingui solet, alterum proprium et directum, alterum utile quoad usumfructum potestque dominium directum ab utili separari et unum tradi sine altero, ut contingit, quando dominus dat vasallo agrum in feudum vel emphyteusin; tunc enim dominium directum et supremum sibi retinet et ad vasallum seu usufructuarium transfert usumfructum et dominium utile. Ita in corpore utriusque conjugis quodammodo distingui potest dominium directum a dominio utili quoad usum copulae unumque

---

[1]) Cp. XVI, X, de sponsalibus. [2]) L. c. tom. V, p. 591 sq.

ab altero separari ex mutuo pacto inter conjuges concedendo videlicet dominium directum suorum corporum et denegando dominium utile quoad usum copulae sive ad tempus sive in perpetuum.

Objicies 1: Omnis contractus ad sui validitatem necessario requirit expressum consensum in objectum, circa quod primo versatur. Contractus vero matrimonialis primo et per se versatur circa copulam, quum per se primo et ex natura sua ordinetur ad prolis procreationem, ad quam copula medium necessarium est. Ergo matrimonium ad sui validitatem consensum expressum in copulam necessario requirit!

Negamus majorem; ad nullum enim contractum valide ineundum necessarius est expressus consensus in rem, circa quam contractus versatur, sed sufficit virtualis et implicitus; hic enim sufficit ad actum humanum, qualem requirunt negotia hominum, ut valide peragantur. Praeterea objectum, circa quod per se primo versatur contractus matrimonialis, non est ipsa copula carnalis, sed dominium in corpora conjugum in ordine ad illam; unde illa non explicite, sed implicite tantum continetur in objecto matrimonii, nempe sicut effectus in causa et usus rei in dominio seu potestate utendi, quae ab actuali usu separari potest.

Objicies 2: Omnia, quae sunt in matrimonio inter virum et uxorem praeter carnalem copulam, possunt esse licita inter fratrem et sororem; si ergo ad consensum matrimonialem non requiritur consensus in copulam, contractus matrimonialis poterit existere inter fratrem et sororem!

Respondet Angelus scholae[1]) ad hanc difficultatem sibi propositam negando antecedens; licet enim consensus expressus in copulam non requiratur, requiritur tamen traditio potestatis ad carnalem copulam; sed inter

---

[1]) Q. XLVIII, in Suppl. a. 1 ad 2.

fratrem et sororem non potest esse potestas in invicem ad carnalem copulam, sicut nec licite carnalis copula nec contractus matrimonialis.

Expressus consensus ad copulam licet ad matrimonii valorem minime desideretur, omnes tamen fere theologi, matrimonii vinculum ex sua ratione absque ullo ad copulam ordine esse non posse contendunt.

An poterit forsitan vinculum illud consistere in sola animarum conjunctione per dilectionem et habitationem facta? „Si cohabitationis consensus matrimonium facit, inquit Doctor Seraphicus,[1]) tunc frater cum sorore, tunc pater cum filia contrahere potest.“ Inter omnes istas personas consensus vere conjugalis verumque matrimonium consistere posset, si vinculum et obligatio conjugalis non respiceret essentialiter actus conjugales, sed individuam solummodo vitae societatem; nulla enim apparet ratio, cur illi vinculum et obligationem ad individuam vitae societatem subire non valeant, quum rationes, ob quas matrimonium inter eos existere nequit, vinculum et obligationem ad actus conjugales excludant, non vero ad individuam vitae societatem.[2])

Matrimonialem consensum in vinculum et in obligationem conjugalem ferri debere, vinculum autem hoc et obligationem essentialiter non ad indissolubilem vitae societatem tantum et cohabitationem respicere, sed etiam ad exhibendos actus conjugales, si exigantur, ex ipsa matrimonii in paradiso institutione nec non ex Domini verbis luce clarius patet: „Quam ob rem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una.“[3]) Docuit ergo Dominus, hanc societatem maritalem inter matrem et filium, inter patrem et filiam inordinatam ideoque non castam, quum in con-

---

[1]) Opera omnia, editio recognita a Peltier tom. VI, p. 237.
[2]) Cfr. s. Thom. in IV, dist. XXVIII, q. unica a. 4; Soto dist. XXVIII, q. 2 a. 2; Vasquez in III, p. disp. CXXV, cp. 7 n. 79.
[3]) Gen. II, 24.

jugio sanciendo matrem non petendam, sed potius relinquendam asseruerit.

Apostolus porro finem conjugii et obligationem ex ejus contractu ortam ita exponens: „Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro“[1]) rationem subjicit: „Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.“ Nonne clarissime hisce verbis innuitur, ad matrimonium requiri essentialiter, ut sit mutua viri et feminae conjunctio in ordine ad procreandam prolem indeque ad copulam carnalem?

Audiamus aliam rationem a Martino Perez[2]) prolatam: „In matrimonio, sicut in quovis alio contractu, in quo res datur et accipitur, duo sunt: alterum est translatio dominii, quae est potestas radicalis, et facultas utendi re illa; alterum est usus ipsius rei. Prius est radix posterioris et ita ad illud suapte natura refertur. Igitur in matrimonio, in quo ratione contractus matrimonialis datur et accipitur corpus, duo haec inveniuntur, nempe translatio dominii corporum unius in alterum, quae suapte natura refertur ad usum et consuetudinem conjugalem secundum carnem, et est usus ipse conjugalis sive copula. Illa ergo radicalis facultas in matrimonio ad utendum, ita ut si utatur non accedat ad alienum corpus nec fornicatio sit nec injustitia, est, in quo consistit matrimonii natura et essentia.“

Licet vero matrimonii vinculum absque ordine ad copulam nequeat intelligi, intelligere tamen possumus, eam connotare perpetuo impeditam, non per se, sed ex aliquo accidente. „Quod ut recte intelligatur, inquit Perez l. c., notandum est, duobus modis posse impediri perpetuo usum alicujus rei: vel ex rigorosa justitia, ita

---

[1]) 1 Cor. VII, 3. [2]) De sancto matrimonii sacramento. Disp. XIII, sect. IV, p. 117 sq.

ut, si quis ea utatur, faciat contra justitiam stricte sumptam, vel etiam potest impediri perpetuo ex alia virtute vel ex virtute religionis, vel fide promissionis, vel ex devotione, vel ex accidente aliquo. Dico igitur, prius impedimentum non posse intelligi cum matrimonii vinculo, bene tamen posterius. Nam intelligi nequit vinculum matrimonii sine translatione dominii corporum, ut constat; at nequit stare, neque intelligi impedimentum perpetuum usus ipsorum, ita ut si quis illis utatur, faciat contra rigorosam justitiam cum translatione dominii. Patet, quia non posset in eo usu esse peccatum contra justitiam rigorosam, nisi esset usus rei alienae; implicat autem dominium corporum esse translatum et rem esse alienam; atque ideo matrimonium nequaquam iniri potest sub ea conditione, ut debitum non exigatur, si ita intelligatur, ut talis usus esset peccatum fornicationis aut adulterii. Quod autem intelligi posset a principio transferri dominium corporum, impedito perpetuo usu ex alia virtute, vel ex sola fidelitate erga conjugem promittens se nunquam debitum ab ea petiturum, vel ex fidelitate erga Deum ratione voti castitatis, patet manifeste: quia si aliqui conjugati jam consummato matrimonio, quo vel emitterent votum castitatis, vel ad religionem transierint, et professionem facerent, perpetuo essent impediti ab usu matrimonii per accidens ratione voti castitatis vel professionis emissae, et tamen essent vere conjugati. Ergo recte intelligitur idem a principio, quum vinculum matrimonii iuitur, quum sit eadem ratio.“

Redeamus nunc ad considerandas ac judicandas duas alias opiniones de consensu ad copulam necessario prolatas. Consensus expressus ad valorem matrimonii nullatenus desideratur, uti probavimus.

Sufficit ergo consensus implicitus. Quare etiam s. Thomas[1]) disertis verbis docet: „Bene dixerunt illi,

---

[1]) Q. XLVIII, art. 1 concl. Suppl.

qui dixerunt, quod consentire in matrimonium, est consentire in carnalem copulam implicite, non explicite: non enim debet intelligi, nisi sicut implicite continetur effectus in sua causa, quia potestas carnalis copulae, in quam consentitur, est causa carnalis copulae: sicut potestas utendi re sua, est causa usus."

Sed hinc exoritur quaestio inter theologos jam diu agitata,

utrum consensus ille implicitus ex parte contrahentium sicuti ex parte contractus, an solummodo ex parte contractus ad copulam carnalem ferri debeat.

Consensum ex parte contractus tantum habent necessarium inter alios Sanchez et Pontius. Audiamus Sanchez[1]) hac de re ita disserentem: „Pro hujus majori intelligentia observandum est, dupliciter intelligi posse, ut consensus implicitus in copulam desideretur ad verum matrimonium. Primo modo, loquendo de consensu implicito, quantum est ex parte contractus et hoc verissimum est, eum desiderari; quum enim contractus matrimonii intrinsece ordinetur ad copulam, qui explicite consentit in illum, consequenter in hanc implicite consentit ex vi talis contractus. Secundo modo potest intelligi ex parte contrahentis et hoc pacto non est necessarius consensus implicitus in copulam, imo licet contrahens habeat intentionem non consentiendi in copulam, est verum matrimonium."

Quam sententiam studiosissime defendit Pontius[2]) citando

1. aliquot testimonia s. Augustini dicentis, ad verum matrimonium sufficere amicabilem animarum conjunctionem sine copula carnali. Unum alterumve horum testimoniorum hic allegasse sufficiet: „Consequens ergo est connexio societatis in filiis, qui unus honestus fructus

---

[1]) Lib. II, de matrimonio disp. XXVIII, n. 4. [2]) Basilii Pontii de Sacramento matrimonii tractatus lib. I, cp. XVIII.

est, non conjunctionis maris et feminae, sed concubitus: poterat enim esse in utroque sexu etiam sine tali commixtione, alterius obsequentis amicabilis quaedam et germana conjunctio." [1]) Aliud testimonium occurrit Pontio in eodem libro, [2]) ubi s. Augustinus, quum examinaret, cur conjugium esset bonum, subjungit: „Quod mihi non videtur propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diverso sexu societatem: alioquin jam non diceretur conjugium in senibus, praesertim si vel amisissent filios, vel minime genuissent. Nunc vero in bono licet annoso conjugio, et si emarcuit ardor aetatis inter masculum et feminam, viget tamen ordo charitatis inter maritum et uxorem; quia quanto meliores sunt, tanto maturius a commixtione carnis sive pari consensu se continere coeperunt, non ut necessitatis esset, postea non posse, quod vellent, sed ut laudis esset, primum noluisse, quod possent. Si ergo observatur fides honoris et obsequiorum invicem debitorum ab alterutro sexu, etiamsi languescentibus, et prope cadaverinis utriusque membris, animorum tamen rite conjugatorum tanto sincerior, quanto probatior et tanto securior, quanto placidior castitas perseverat."

2. Id ipsum Pontius demonstrare conatur ex eo, „quod in matrimonio impotentis cum impotenti cognita impotentia decernit Ecclesia, verum esse posse matrimonium ad caste vivendum. Sed qui contrahit cum impotenti cognita impotentia, nullatenus potest in copulam consentire, quum impossibilis sit intra vas et naturali modo, quare debet esse sub conditione caste vivendi.

3. Quia matrimonium contractum sub expressa conditione caste vivendi, validum est atque legitimum et licitum. Ergo verum matrimonium esse potest absque consensu in copulam.

Omnia illa Pontii argumenta, etiamsi prima fronte

---

[1]) Lib. de bono conjugali cp. 1. [2]) Cp. 3.

veritatis speciem prae se ferant, penitius tamen inspecta ac ponderata ea vi pollere non videntur, ut in paragrapho sequenti demonstrabimus. Quare persuadere non possunt, a communi sententia consensum implicitum ad copulam non solum ex parte contractus, sed etiam ex parte contrahentium postulante, recedere. Statuimus ergo thesin:

§. 3.

Consensus implicitus ad commixtionem carnalem tum ex parte contrahentium, quum ex parte contractus pertinet ad valorem matrimonii.

„Qui consentit in id, quod essentialiter ordinatur ad copulam carnalem, inquit Billuart,[1]) consentit implicite in illam; atqui consentiens in matrimonium consentit in id, quod essentialiter ordinatur ad copulam. Probatur minor: Qui consentit in matrimonium, formaliter et explicite consentit in jus et potestatem ad copulam et in causam illius: sed jus essentialiter ordinatur ad usum, potentia ad actum, causa ad effectum."

Haec potestas seu obligatio ad copulam duplex distinguitur: nempe radicalis seu remota et actualis seu proxima. Illa ab ipso matrimonii vinculo separari nequit et ab eo ratione solummodo differt; si enim dominium corporis alterius alicui traditur, huic alteri necessario et inseparabiliter inest radicalis obligatio respectu illius, cui dominium traditum est. Actualis e contra obligatio est separabilis. Colligitur haec veritas

1. ex eo, quodsi conjuges post matrimonium consummatum pari consensu professionem faciant, neuter actualiter ad reddendum debitum obligatus est, quamquam vinculum matrimonii insolubile inter eos maneat, uti ex canone „Si quis conjugatus" Synodi octavae elucet:[2])

---

[1]) De objecto consensus matrimonii art. V. (tom. XIX.) [2]) C. 22 C. XXVII, q. 2.

„Si quis conjugatus vult converti ad monasterium, non est recipiendus, nisi prius a conjuge castimoniam profitente fuerit absolutus. Nam, si illo vivente, illa per incontinentiam alteri nupserit, procul dubio **adultera** erit. Nec recipitur apud Deum, ejus viri conversio, cujus sequitur conjugalis foederis prostitutio. Tales igitur tunc sine culpa sequuntur Christum relicto saeculo, si habeant ex pari voluntate castitatis consensum.“ Adultera illa nominatur, vinculum ergo matrimonii non erat solutum.

2. Si conjuges pari consensu simplex castitatis votum emittunt, a redditione debiti liberantur.

3. Contrahentes non actualiter obligantur ad reddendum debitum, si alter religionem ingredi velit, nisi post certum tempus ab Ecclesia praescriptum.

4. Si unus conjugum adulterium commiserit, ipso jure alter a redditione debiti deliberatur. Conjux enim contrahendo non sese obligat ad reddendum debitum, nisi sub conditione fidei conjugalis servandae. Ubi ergo frangitur fides illa, frangitur et praefata obligatio.

Quibus praenotatis thesin nostram sequentibus demonstramus argumentis:

a. Si duo sunt inseparabilia et necessario connexa, tunc consensus, qui ad unum fertur explicite, ad aliud ferri debet saltem implicite. Jam vero conjugum consensus necessario debet ferri explicite in vinculum conjugale; ergo necessario debet ferri eo ipso saltem implicite ad obligationem radicalem reddendi debitum; nam illa a vinculo separari nequit, uti supra dictum est. Vidimus enim, in mutuo corporum dominio sub vinculo conjugali insolubili remanere radicalem obligationem ad reddendum debitum, etsi obligatio actualis non existat. Essentialis est contractui matrimonii intentio implicita in copulam, quum natura sua ordinetur matrimonium ad procreationem prolis. Quare etiam s. Augustinus: „Nuptiae, inquit, ut ipsae nuptiales tabulae clamant liberorum pro-

creandorum causa marem feminamque conjungunt." Quomodo ergo erit possibile, contractum essentialiter ad copulam ordinatum intendere copulamque implicite non intendere? Ligari potest quidem jus tale, vi tamen actus, quo jus implicite, licet inefficaciter intendit, usum quoque intendat necesse est. Ad matrimonium necessario requiritur consensus in mutuam dominii corporum translationem; sed haec translatio refertur ad copulam, ergo etiam ille consensus saltem implicite ad copulam feratur oportet.

b. Non requiritur ad valorem matrimonii neque ex parte contrahentium, neque ex parte contractus, ut consensus etiam implicite in actualem obligationem ad copulam feratur. Si enim duo in re ipsa sunt separabilia et nullatenus ad invicem conjuncta, unum amare possum, quin amem vel implicite vel explicite aliud. Sed obligatio reddendi debitum actualis potest in re a vinculo matrimonii, sicuti ab obligatione radicali separari; consentiendo ergo in prius non consentio eo ipso in posterius. Hoc jam ex eo patet, quod, uti in sequenti videbimus thesi, cum obligatione radicali optime concordare possit expressus consensus mutuus nec petendi nec reddendi debitum. Ex dictis clare elucet, distinctionem a Pontio et Sanchez prolatam quovis prorsus carere fundamento.[1]

Respondeamus ad Pontii argumenta:

Quod d. Augustini testimonia attinet, s. Doctor non vult nisi innuere, matrimonio non solum jam contracto conjuges ab ejus usu abstinere posse, sed etiam in ipso ejus contractu consensum ad ejus usum et ad ipsam copulam carnalem non esse necessarium. Sed hoc non adversatur communi sententiae, quae non expressum et formalem, sed implicitum solummodo ac virtualem con-

---

[1] Cfr. Gonet. Clypeus theologiae thomistic. tom V, disp. IV. Perez tract. de matrimonio disp. XIII; Vasquez Commentat. disp. in III, p. tom. II, disp. CXXV.

sensum in obligationem ad conjugales actus conjugi exigenti exhibendos requirit. Vel s. Antistes docet, non solum post contractum matrimonium ab usu abstineri posse manente conjugio, sed etiam ante matrimonium contrahendum omnem consensum ad usum proximum posse amoveri.

Ad 2: Matrimonia cum eunuchis et spadonibus tam ignoranter quam scienter contracta esse irrita, apparet ex motu proprio Sixti V: „Mandamus, ut conjugia per quoscunque eunuchos et spadones, utroque teste carentes, cum quibuslibet defectum illum sive ignorantibus sive scientibus contrahi prohibeas eosque ad matrimonia contrahenda inhabiles authoritate nostra declares . . . . et matrimonia ipsa sic de facto contracta nulla, irrita et invalida esse declares." Patet etiam ex ratione; matrimonium enim ex natura et institutione sua ad humani generis propagationem refertur, uti s. Scriptura [1]) clare indicat et Alexander III. docet. [2]) Conjuges ergo contrahunt obligationem reddendi sibi mutuo debitum conjugale; quod quum impotentibus sit impossibile, impossibilis cum ipsis erit etiam contractus matrimonialis.

Ad 3: Concedimus, matrimonium sub conditione caste vivendi contractum verum ac legitimum esse matrimonium, si contrahentes explicite in vinculum et implicite in obligationem radicalem seu remotam reddendi debitum consenserint, uti nunc demonstrare conabimur.

§. 4.

Validum est matrimonium sub conditione semper vitandi prolem contractum.

Consensus conditionatus est ille, qui per particulas „si" — vel „dummodo" determinatur. Quare conditio

---

[1]) Gen. II. 24. [2]) C. Illud quoque 11 de Praesumpt; can. Deus C. 31 q. 1: Deus masculum et feminam propagandi generis causa nuptiali castitate conjunxit.

consensui apposita suspendit dispositionem, ita ut vim non recipiat nisi ex eventu futuro et definitur: Oratio, qua id omne, quod agitur, in futurum suspenditur eventum.

Conditiones diversimode distinguuntur et quidem a. respectu temporis in conditiones de praeterito, de praesenti et de futuro (necessario vel contingenter); b. respectu materiae in conditiones turpes et honestas. Conditionum turpium aliae repugnant substantiae matrimonii, de aliis hoc dici nequit. Quaenam conditiones matrimonii substantiae repugnant?

Ut ad hanc respondeamus quaestionem, animadvertimus, tria esse matrimonii bona: fides scilicet, proles et Sacramentum. Quod triplex bonum teste d. Augustino[1]) consensu a contrahentibus praestito continetur. Bonum fidei consistit in mutua fidelitate, quam conjugum uterque alteri servare tenetur non solum debitum conjugale, si exigatur, reddendo, sed etiam alteri se non commiscendo. Sacramenti bonum individuam exposcit vitae societatem. Quam licet matrimonium ex sua jam institutione inducat, majorem tamen individuitatem consecutum est eo, quod Dominus noster matrimonium ad Sacramenti elevaverit dignitatem ideoque illud, saltem si consummatum fuerit, secundum vinculum dirimi nequit, nisi alterius conjugis morte. Bonum denique prolis spectat liberorum procreationem et educationem. Quamvis enim proles ipseque ejus generationis actus non sit de substantia matrimonii, exoritur tamen ex consensu matrimoniali obligatio ad praestandos, si postulentur, actus ex se ad generationem prolis aptos et ad evitanda omnia, quae procreationem impedire valeant.

Quicumque contrahere intendit cum conditione uni ex tribus illis bonis repugnante, contrahit cum conditione matrimonii substantiae repugnante. Ille manifeste non

---

[1]) Can. Omne, 10 q. 2.

vult contractum matrimonialem; sine substantialibus enim suis nil potest subsistere.

Quoad conditiones conjugii substantiae triplicique ejus bono contrarias nuptialique contractui a contrahentibus adjectas Gregorii IX.[1]) decisio percelebris est: „Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta, si alter alteri dicat, contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem: aut si pro quaestu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu." Hic tres conditiones assignantur irritantes matrimonium, quia sunt contra tria bona illius. Prima conditio „si generationem evites" contra bonum prolis. Secunda „donec inveniam aliam ditiorem" contra bonum Sacramenti, quod facit matrimonium indissolubile et perpetuum. Tertia „si pro quaestu adulterandam te tradas" est contra bonum fidei. Ergo conditiones contra substantiam matrimonii illiusque bona matrimonium prorsus annullant. Hac decisione Gregorius neutiquam jus novum statuit, sed declaravit solummodo, quod ex naturae jure erat.[2])

---

[1]) In cap. fin. de condit. appos. [2]) Doctor Seraphicus (opera omnia recognita cura Peltier tom. VI, sent. IV, dist. XXXI, a. 1 q. II,) horum trium bonorum sufficientiam triplici modo optime declarat: „Dicendum est, quod numerus et sufficientia bonorum matrimonii potest accipi a parte causae instituentis sive efficientis: et sic a triplici principio: a dictamine scilicet naturae, ut vir cubet cum muliere ad conservationem ipsius naturae, et sic est bonum prolis; a dictamine rationis rectae, ut vir cum sua, et non cum alia cubet muliere, et sic est bonum fidei; a dictamine gratiae, ut significetur unio divinae naturae et humanae, et sic est bonum Sacramenti. Potest etiam accipi a parte principalis constituentis, et hoc tripliciter, quia ad hoc, quod matrimonium habeat esse completum, tria sunt necessaria, scilicet institutio, usus et fructus. Ratione institutionis, est bonum Sacramenti; ratione debiti usus, est bonum fidei; ratione fructus conferentis usum, est bonum prolis: et sic patet, quod est triplex bonum. Potest denique accipi

Quod conditiones honestas matrimonio adjectas attinet, non mediocris exorta est inter theologos difficultas. Controvertitur enim,

utrum matrimonium sub conditione vg „si mecum vivas in perpetua castitate“ vel „si perpetuam castitatem voveas“ vel „si prolem in perpetuum evites“ contractum contra matrimonii substantiam ideoque irritum et invalidum sit, annon?

Conditionibus hisce similibusque matrimonium vitiari negant inter alios: Tostatus Abulensis,[1] Paludanus,[2] Pontius Basilius,[3] Perez,[4] Vasquez,[5] Holzmann,[6] Billuart[7] etc. Contrarium asserunt praecipue Sanchez,[8] Barbosa,[9] Salmanticenses.[10] Sanchez allegat pro tuenda

---

a parte finis moventis, sive terminantis; et hoc vel quia ad bonum, vel quia contra malum: quia ad bonum, quum triplex sit eligendum bonum, scilicet honestum, conferens et delectabile: ratione boni honesti est fides; ratione conferentis, proles; ratione delectabilis est sacramentum, secundum quod est superius monstratum. Vel aliter, quia contra malum concupiscentiae, quae habet in se triplex malum, scilicet fluxum, inordinationem et fastidium: contra fluxum est in matrimonio unio singularis, contra inordinationem, unio utilis; contra fastidium, unio inseparabilis. Ratione singularitatis in unione est fides; ratione utilitatis, proles; ratione inseparabilitatis, sacramentum. Et haec tria signant triplicem proprietatem unionis Christi cum Ecclesia, quia scilicet unitur uni, et quia ex ea filios generat, et quia nunquam separatur. Ex his patent objecta, quia connumerantur non quaecumque bona, sed quae communia sunt statui naturae corruptae: ideo nec pax, nec obsequium, nec bonum, quod accipitur in quantum est remedium, inter haec bona connumerantur, sed haec tria bona solum.“ Hactenus s. Bonaventura.

[1]) In Lib Numer. cp. XXX, q. 32. [2]) In IV, dist. 30 q. 2. a. 1. concl. 2. [3]) Lib. III, cp. 11, n. 5. [4]) Tract. de matrimonio disp. XIII, sect. VI. [5]) In III, tom. II, disp. CXXV, q. XXIX, a. 2. [6]) Theologia moralis tom. II, tract. II, §. III. [7]) Summae sti Thomae III, p. tom. XIX, diss. III, a. 5. [8]) Lib. V, de matrio disp. 10 n. 2. [9]) Lib. de matrio in c. fin. n. 3. [10]) Cursus theol. moralis tom. II, p. 172.

sua opinione etiam s. Doctorem Angelicum.[1]) Quonam jure hoc fecerit, postea videbimus.

Audiamus prius argumenta eorum, qui matrimonium talibus conditionibus nullatenus irritari contendunt:

1. Per contractum matrimonialem jus tantum remotum tradi et obligatio solummodo remota ad corporis usum contrahi potest sine jure proximo et obligatione proxima. Ergo valor et substantia matrimonii consistere potest cum conditione servandi castitatem perpetuam vel nunquam petendi debitum. Majoris veritas jam antea demonstrata est. Sicuti in nullo contractu usus rei de essentia contractus est, sic nec in contractu matrimoniali. Tota porro matrimonii essentia in mutuo dominio ac in subjectione corporum ad usum matrimonii consistit, sed talis obligatio sive conditio apposita non repugnat illi dominio aut ejus traditioni, sed tantum impedit usum ejus. Perez[2]) veritatem hanc exemplo ex dominio respectu mancipii sumpto optime illustrat. Potest enim dominus omnem operam mancipii sui locare alteri retinendo dominium mancipii seu jus radicale in ordine ad operas illius et in ipso mancipio potest perseverare obligatio radicalis respectu domini sui. In quo casu maneret in domino dominium mancipii impeditum tamen, quia non maneret jus proximum, quod certe esset in conductore absque dominio; similiter non esset in mancipio actualis et proxima obligatio obediendi domino in ordine ad suas operas, sed conductori, quamvis in eo esset obligatio remota seu radicalis correspondens dominio domini sui. Unde in domino posset manere obligatio positiva non occupandi mancipium et in mancipio non obediendi illi, si de eo convenirent dominus et conductor, aut mancipium et dominus. Cujus rei ratio est,

---

[1]) In IV, dist. XXVIII, q. unica art. 4 ad 3 et in addit q. XLVIII, a. 1 ad 3. Cfr. Schmalzgrueber lib. 4 tit. 5 n. 119; Benedictus XIV, de Syn. Dioec. lib. 13 cp. 22 n. 11. [2]) L. c. sect. VI, pag. 123 sq.

quia ubi dominium distinguitur ab usu, tam dominium, quam usus seorsim sumpta, potest unumquodque separatim esse integra materia contractus. Unde duplex dominium ibi, sicut in fundo distingui et dividi potest: unum directum proprietatis et alterum utile, quod pertinet ad usum fructuum seu operarum mancipii et utrumque procedere potest ex conventione et pacto inito ex justitia. Similiter ergo in praesenti, nihil pugnat esse matrimonium et vinculum indissolubile, in quo sit mutua conjugum traditio et dominium corporum directum ac proprium et simul impediri omnino usum actus conjugalis in perpetuum ex pacto et speciali conventione justitiae. Quid enim repugnare vel obesse potest, quominus in corpore utriusque conjugis distingui possit dominium directum a dominio utili quoad usum copulae, quorum unum ab alio separari similiter possit ex mutuo pacto inter conjuges, concedendo dominium directum suorum corporum cum radicali obligatione, per quod unus reddatur proprius conjux alterius, denegato tamen utili dominio quoad usum copulae, etiam in perpetuum.

Conjuges, qui sub talibus conditionibus inierunt matrimonium, retinent ergo dominium in mutua corpora, licet hoc impeditum sit ideoque copula inter eos habita non esset fornicatio; fornicatio enim significat accessum ad non suam, sed esset sacrilegium commissum contra jus, quod Deus voto acquisivit.

At hic alia exoritur quaestio. Quidnam statuendum de matrimonio, quod contrahentes inierunt „sub conditione nunquam petendi nec reddendi debitum et videndi in accessu actum fornicatorium?“ Vitiaturne matrimonium tali conditione?

Hoc matrimonium esse irritum, omnes docent authores et quidem jure ac merito. Nam ratione sic intellecta nullum prorsus transfertur dominium corporum. Deficiente vero tali dominio deficit quoque matrimonii substantia. Nullatenus concordat voluntas transferendi dominium cum

voluntate videndi in accessu fornicationem. Hoc intendendo illud intendi nequit. Aliter vero res se habet, si conditio illa matrimonio jam dudum contracto apponeretur; superveniente tali conditione matrimonii vinculum a principio firmum dissolvi non posse, in promptu est.

2. Si conditiones „dummodo castitatem voveas" vel „dummodo nec petas nec reddas debitum" contra substantiam matrimonii essent, tunc nunquam cum matrimonio consistere possent; nihil enim potest consistere cum eo, quod essentiae suae contrariatur. Atqui tales conditiones cum matrimonio consistere possunt, si vg.- conjuges ex mutuo consensu manente matrimonii vinculo omnimodam vovent castitatem. Ergo illae matrimonio non repugnant nec ipsum irritant; nam nulla conditio matrimonii essentiae non repugnans matrimonium irritat.

Conditiones praefatae non repugnant quidem matrimonio jam contracto, objicietur, verissime autem matrimonio contrahendo, quia matrimonium contractum praesertim consummatum nullo modo dissolvi possit, contrahendum vero ex multis rationibus irritari valeat. Impedimenta dirimentia, inquiunt, si matrimonio praecedant, ipsum irritant, sed hoc non fiet impedimentis, quae superveniant matrimoniis jam contractis. Et quamvis votum continentiae subsequens contractum non impediat, qui jam ante praecessit nec vitietur ex post facto contractus, tamen ubi votum continentiae est simul tempore cum ipso contractu et per modum conditionis, tunc vere impedit nuptias, quemadmodum nec simonia est nec resignatio invalida, si post adeptam possessionem detur pecunia, quae antea non promissa fuerat; at vero pactum pecuniae tempore beneficii resignati facit simoniam. Aliud est loqui de obligatione et contractu in fieri, aliud in facto esse: votum continentiae stare potest cum contractu in facto esse, sed non cum contractu in fieri!

Respondemus: Si quis defectus in causa efficiente est, haec quidem potest effectum secuturum impedire, non vero jam factum destruere; nam effectus a causa pendet, dum fit, non tamen, dum factus est. Ideo impedimentum dirimens, quo personae ad contrahendum redduntur inhabiles, irritat matrimonium contrahendum, non tamen contractum. Secus tamen est in conditionibus essentiae ipsius contractus repugnantibus. Tales conditiones non solum matrimonio contrahendo, sed etiam contracto repugnant; eadem enim est essentia rei in fieri et in facto esse. Quare conditiones illae aut matrimonii vinculum omnino elidunt aut, id facere non valentes, ab eo eliduntur. Votum mutuum ergo castitatem semper servandi matrimonium jam contractum non irritat nec repugnat matrimonio contrahendo.

„Nam aliquae conditiones, inquit Perez l. c., quae dicuntur esse positive contra finem matrimonii, sicut etiam contra ejus substantiam, qualis est ista conditio de impedienda positive generatione et prole, seminando extra vas vg., quae opponuntur fini matrimonii contrarie et positive et ideo illud irritant, si in ipso contractu apponantur, quia destruunt verum consensum ad matrimonium requisitum; quae conditiones etiam post contractum ipsum matrimonium et perfectum apponi non possunt sine peccato, ac proinde initio appositae mirum non est, si matrimonium irritent, quamvis non postea; quia jam non possint auferre consensum, qui initio pro contractu praestitus fuit, sine peccato non apponuntur, matrimonium vero initum semel dissolvere nequeunt. At conditiones aliae, quae solum negative apponuntur fini matrimonii, ut est conditio caste vivendi vel abstinendi ab omnimodo usu conjugii, tametsi videantur matrimonii fini adversari, tamen non ita opponuntur fini matrimonii, ut contra substantiam ipsius vere sint; solum enim opponuntur fini, ut ajunt, negative, quum sit sola cessatio et negatio actus conjugalis, quae ex mutuo

consensu sancta et licita est, non tamen contrarie, videlicet, referendo matrimonium ad finem illi positive contrarium, qualis est impedire prolem; quumque hae conditiones licite postea apponantur post consummatum matrimonium, mirum non est, si initio appositae, quando matrimonium contrahitur, non tollant necessarium consensum et consequenter nec matrimonium ipsum irritent."

3. Inter baptizatos omne matrimonium cum conditione tacita contrahitur, ut neuter ad reddendum debitum teneatur, si ante consummationem matrimonii religionem ingredi velit. Ergo obligatio reddendi debiti non est de essentia matrimonii contrahendi et obligatio contraria illi non repugnat. Unde sequitur, talem obligationem seu conditionem nunquam petendi debitum contractui valide apponi posse, etiamsi conjuges religionem ingredi non intenderint. Intentio enim religionem ingrediendi non efficit, ut conditio illa matrimonii essentiae minus vel magis repugnet, sed solum efficit, ut, quando ea conditio non est apposita, debitum ante consummationem sine injustitia possit negari.

Diversam hic esse rationem, respondebit fortasse quispiam, conditionem enim illam non reddendi debitum, quam conjuges religionem ingredi intendentes matrimonio contrahendo apponere possint, de jure contractui inesse matrimoniali, secus vero esse de conditione, quam nolentes ingredi consensu mutuo apponant.

Hoc nullatenus placet, quia quod conditio aliqua ex lege positiva alicui contractui insit, non efficit, ut illius essentiae magis minusve repugnet, sed solum, ut a mutuo contrahentium consensu magis minusve pendeat.[1]) Et haec quidem de priori sententia sufficiant.

Inquiramus nunc argumenta ab altera parte prolata, quibus matrimonia sub conditione „si debitum nec petas

---

[1]) Cfr. Coninch. disp. 24 dub. 2. Gobat tract. 10 n. 466. Castr. Palao disp. 2 p. 11 §. 4 cet.

nec reddas," vel „si votum continentiae emittas" contracta invalida ac irrita esse, demonstrare conantur. Recurrunt adversarii

1. ad decisionem Gregorianam jam supra[1]) allegatam, qua matrimonium vitiari asseritur conditione bono prolis contraria. Conditio „si generationem prolis evites" est contraria substantiae matrimonii. Ergo etiam conditio servandi perpetuam castitatem vel pactum nunquam petendi et reddendi debitum, quo generatio prolis evitetur.

Respondendum, duplici modo a contrahentibus prolis generationem evitari posse et quidem a. positive — vg. per poculum sterilitatis, per copulam in vase innaturali etc. b. negative, vitando nempe copulam, per meram abstinentiam a copula. Matrimonium cum expressa conditione positive vitandi prolem secundum omnes authores invalidum est. Licet enim ex matrimonii contractu non semper obligatio actualis et proxima copulandi sequatur, fluit tamen semper ex illo obligatio nihil illicite agendi contra prolis generationem. Ad generationem enim prolis matrimonium positive et natura sua ordinatur; illa est proprietas inseperabilis a matrimonio. Sicut in naturalibus natura rei cum suis proprietatibus tam intime et necessario connexa est, ut sine illis existere nequeat, ita etiam matrimonium suis proprietatibus destitutum esse non potest. Sed destituitur una suarum proprietatum matrimonium, si contrahitur sub conditione „dummodo evites positive generationem prolis." Pontifex non loquitur nisi de hac illicita et positiva evitatione.

Dices a: In decisione illa citata non distinguitur inter evitationem positivam et negativam: ergo nec nos distinguere debemus! R. Non distinguitur quidem explicite, sed certo implicite, quia proponuntur tantummodo conditiones illicitae substantiaeque matrimonii contra-

---

[1]) Cfr. pag. 228.

riae et intelligitur solum evitatio prolis proprie dicta, nempe positiva, quae est illicita, dum evitationem negativam nominare non possumus illicitam; alias etiam illicitum esset, servare continentiam.

Dices b: Talis conditio repugnat fidei matrimonii et bono prolis — ergo irritat matrimonium, cui apponitur.

Negamus antecedens; fides enim matrimonii non exigit, ut conjugi quacunque ratione petenti debitum reddatur, sed ut reddatur debite exigenti. Posito autem tali pacto ante vel post contractum matrimonium conjux indebite copulam exigit, quare alter ei obsequi non tenetur. Talis non peteret debitum, sed indebitum, quare alter nihil ei reddere obligatus est. Similiter respondetur ad objectionem sequentem: „Si matrimonium sub praefata conditione contractum validum esset, sequeretur, quod uxor ex justitia teneretur, marito petenti debitum reddere et non teneretur ex justitia marito petenti debitum reddere, quia vi pacti jus acquisivit ei debitum petitum negandi. Sed haec sibi invicem opposita simul stare nequeunt.“ Nec bono prolis repugnat talis conditio positive, sed solummodo negative i. e. nihil ad bonum prolis confert. Bonum prolis non obligat conjuges, ut dent operam generationi aut ut non obligent se ad non dandam ei operam. Nondum existentes non possunt habere jus erga illum, qui dare potest existentiam, vel, si dicatur, eos habere aliquod jus, illud non esse potest, nisi conditionatum, ut nimirum, si fiat carnalis concubitus, generatio non impediatur et ut, si proles nascatur, christiane educetur. Si adversariorum argumentum urgere vellemus, neque licitum esset, mutuo consensu abstinere a copula etiam sine peccato, quod est contra Apostolum.

2. Jus, quod conjuges sub tali conditione contrahentes sibi invicem communicant, nullum usum habebit eritque omnino inutile, ergo nullum.

Negamus a. consequens; si enim dominium ab usu

distinguitur, nihil repugnat, aliquem habere dominium inutile, ut patet in pupillis, in quibus stat jus remotum et ligatum disponendi de rebus suis, quod dicitur dominium directum et proprietatis, cum obligatione tamen non disponendi. b. Tale jus et dominium efficit, ut conjuges maneant inhabiles ad contrahendum cum alia persona; si alteruter corporis sui copiam fecerit extraneo, fidem matrimonialem violabit et adulter habebitur; si postmodum mutato proposito se mutuo cognoscant, non erit fornicatio. Efficit porro bonorum communionem et vinculum charitatis, qua se mutuo juvant et solantur in administratione familiae et casibus adversis et denique individuam vitae societatem. [1])

3. Impotentes ad usum matrimonii invalide contrahunt; sed qui contrahunt cum mutua obligatione servandi perpetuo castitatem, sunt impotentes ad usum matrimonii; ergo invalide hoc contrahunt.

Major tantum vera est de iis, qui physice impotentes sunt ad usum matrimonii, non autem de iis, qui moraliter ad eum dicuntur impotentes.

Salmanticenses,[2]) qui matrimonium sub conditionibus praecitatis initum declarant invalidum, appellant etiam

---

[1]) „Dum quis in conditionem castitatis contrahendo consentit, interrogat apprime Ant. Ballerinus (Compendium theol. moralis P. Joa. Gury s. J — ed alt. Romae 1869 tom. II, pag. 509), nonne matrimoniali jure vel maxime utitur? Sicut nimirum qui domum emat, jus suum in eam non minus exercet, si illa ipse inhabitando utatur, quam si ipsa uti nolens usum ejusdem vel ad tempus vel in perpetuum alteri concedat; ita sane quum quis usui juris sui in alterius corpus sponte cedit, hoc ipso jus, potestatemque sibi esse, illamque exercere putandus est. Nemo quippe cedit legitime nisi illud, quod in potestate habet, et ejusdem usui cedens, ipsum evidenter exercet. Falsum est igitur, per conditionem matrimonio appositam et acceptatam servandi castitatem, contractum iniri, cujus nulla vis, nullusque sit effectus, atque adeo qui naturam contractus exuat.“ Cfr. Billuart l. c. a. V. [2]) Cursus theologiae moralis tom. II, pag. 172.

Doctoris Angelici[1]) auctoritatem. Quum s. Thomas sibi proposuisset argumentum: „Si mulier dicat viro: consentio in te, dum tamen non cognoscas me, non est consensus matrimonialis, quia aliquid est ibi contra substantiam praedicti consensus; sed non esset, nisi dictus consensus esset in carnalem copulam" — ergo — respondet: „ad tertium dicendum, quod illa conditio explicita non solum actui, sed etiam potestati contrariatur copulae carnalis et ideo est contraria matrimonio."

Ad textum hunc exponendum animadvertimus: Conditio „dum tamen me non cognoscas" in sensu duplici apponi potest matrimonio: nempe ut impeditiva juris concedendi et ut impeditiva usus hujus juris. Aut enim contrahens contrahenti non vult concedere jus in proprium corpus explicans illam conditionem: Contraho tecum non tradendo nec potestatem nec dominium corporis mei — aut contrahens jus alteri concessum ligare intendit usumque denegare. In sensu illo conditio sine ulla dubitatione contra matrimonii esset substantiam in tradendo corporis dominio consistentem. Unde d. Thomas l. c. et Gregorius IX. conditionem hanc substantiae matrimonii asserunt repugnare. In sensu e contra posteriori conditio illa nullatenus repugnat. Si dominium ab usu distinguitur, non est, cur non possit conferri illud sub conditione tali re nunquam utendi. Matrimonium consistit essentialiter in jure ad usum, non vero in ipso usu; alias senes non validum possent contrahere matrimonium. [2])

---

[1]) In IV dist. XXVIII, q. unica art. 4 ad 3 et in addit q. XLIII, a. 1 ad 3. [2]) Schmalzgrueber, qui nostram sententiam habet probabilem, opponit contra l. c. lib. 4 tit. 5 n. 119 quod contrahentes „jus alterius corpus et implicitum consensum ad actus conjugales reddendos appositione talis conditionis excludant," quum vi illius ad copulam non exigendam et non reddendam obligentur. „Cujus argumenti vis tota, uti patet, sita est in fallacia, qua jus cum juris exercitio, atque adeo renuntiatio usus cum juris non existentia

Comparantibus nobis argumenta ab utraque parte proposita, sententia prior praeferenda esse videtur et quidem si de aliis silere velimus rationibus, jam eo, quod inde sequatur, matrimonium etiam a personis simplici castitatis voto obstrictis posse contrahi, dummodo in illo contrahendo jus dumtaxat remotum et non proximum ad copulam sibi tradant. Non obstat, quod votum simplex castitatis impediat, quominus matrimonium licite contrahatur, quum tale votum inter impedimenta matrimonii impedientia numeretur. Illicite matrimonium contraheretur, si in illo contrahendo non tantum jus remotum ad copulam traderetur, sed etiam proximum. Non vero tradito nisi jure remoto etiam licite per se loquendo matrimonium iniretur. Nihilominus rarissimo tantum personis, quae hoc votum emiserunt, matrimonium contrahere permittitur, quia votum per accidens periculo exponitur violationis. Simplex castitatis votum ergo cum matrimonio optime stare potest, sicuti etiam patet in beatissimae Virginis et s. Joseph matrimonio, ad quod considerandum jam nunc transibimus.

---

confunditur, scribit Ballerinus l. c. pag. 5 10. Nunquid non aeque obligantur conjuges ad debitum nec exigendum nec reddendum, si ambo solemni voto se religioso ordini mancipent? Et si obligatio haec jus in corpus alterius excluderet, curnam est adulter et contra justitiam peccat eorum alteruter, qui extraneae personae commisceatur? Rursus si obligatio non exigendi aut reddendi copulam excludit jus in alterius corpus, quomodo validum erit matrimonium, quando contrahant duo simplici voto castitatis adstricti? Concludamus: pacisci quidem non potest contrahens de iis, quae ex naturae ordine abesse a contractu nequeunt, et ex vi contractus sunt inalienabilia, cujusmodi est jus in corpus alterius; at in quibus usus est quidem licitus, sed non imperatus aut inalienabilis, falsum est, contrahentes non posse abdicationem pacisci."

Cap. II.

DE BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ ET S. JOSEPH MATRIMONIO IN SPECIE.

Non defuere, qui praetextu conservandae ac defendendae virginitatis b. Mariae illam tantummodo desponsatam, non vero nuptam admiserint. Falso nititur fundamento haec sententia, cui inter catholicos favebant etiam Gratianus et Michael de Medina censentes, b. Virginem vinculo conjugali non fuisse sociatam cum s. Joseph, quia concubitus carnalis, quem partem essentialem habuerint matrimonii, inter eos non intercessisset. Unde matrimonium verum negantes non admiserunt nisi matrimonium existimatum: quemadmodum s. Joseph putabatur Christi pater, quum tamen revera non esset, ita etiam Virginis sponsus habebatur et maritus, licet non esset.

Jam antea matrimonium inter beatissimam Virginem et s. Joseph negaverat s. Gregorius Nyssenus dicens:[1]) „Conjunctio non ultra sponsalia progrediebatur." Quam opinionem prorsus ineptam esse, ut alia reticeam, ex eo elucet, quod, quum sponsalia nihil aliud sint, quam futurarum nuptiarum mutua promissio, b. Virgo et s. Joseph, si post contracta sponsalia nuptias nunquam iniissent, fidem in sponsalibus de contrahendis nuptiis datam violassent, imo simulate sponsalia contraxissent. Quid enim aliud est, contrahere sine intentione implendi id, quod promittitur, quam ludere illum, cui promittitur? Num forsitan possemus cogitare, sanctissimas illas personas tali modo sese invicem habuisse ludibrio? Procul absit! Suscipiamus ergo thesin sequentem probandam:

---

[1]) In orat. de Natali Domini.

§. 1.

Inter beatissimam Virginem Mariam et s. Joseph **verum** intercessit matrimonium.

Scriptura sacra non solum, sed etiam omnes fere Patres praeeunte doctissimo Hipponensi antistite in hanc conspirant sententiam. Et

1. quidem, quod attinet argumentum ex s. Scriptura petitum, prostant

a. in Evangeliis textus apertissimi, in quibus b. Virgini nec non s. Joseph nomina ascribuntur matrimoniali solummodo statui propria, nomina, quae in sensu proprio accepta, in quo verba Scripturae testibus d. Augustino [1]) et d. Basilio [2]) per se sunt sumenda, matrimonium proprie sumptum significant. B. Virgo nominatur uxor s. Josephi, s. Joseph vir b. Virginis. „Jacob autem genuit Joseph, **virum** Mariae;“ [3]) „Joseph autem **vir** ejus, quum esset justus;“ [4]) „Joseph, fili David, noli timere, accipere Mariam **conjugem** tuam; [5]) „Exurgens autem Joseph, accepit **conjugem** suam;“ [6]) „Ascendit autem et Joseph, ut profiteretur cum Maria, desponsata sibi **uxore** praegnante.“ [7]) Jam vero, quum Maria conjux — γυνή — et s. Joseph vir ejus — ἀνὴρ αὐτῆς — nominentur, inter eos etiam ista extiterit necesse fuit relatio, qua illi revera efficiebantur conjuges. Uxor et conjux plus, quam sponsam, quae de futuro promittitur, significat. Uxor est viri uxor, sicut vir uxoris vir.

b. S. Joseph b. Virginis virum et maritum re vera fuisse, ex s. Matthaei Evangelio, ubi describitur generatio Christi per progenitores s. Joseph, clare elucet. Si enim vir proprie dictus non fuisset, non po-

---

1) De Gen. ad literam cpp. I, et VII. 2) In Hexaemeron hom. 9. 3) Matth. I, 16. 4) I, 19. 5) I, 20, 6) I, 24. 7) Luc. II, 4.

tuisset duci ex eo Christi progenies, quia nec carne, nec jure conjugii Christi pater foret. Ne ergo appelles s. Josephum conjugem solummodo putatitium b. Virginis; sic enim dici posset respectu matrimonii consummati tantum, non vero rati, quia spectando matrimonium ratum s. Joseph verus nominandus est conjux.

c. Confirmatur hujus matrimonii veritas verbis: „antequam convenirent, inventa est,"[1]) quibus innuitur, eos honeste potuisse convenire; confirmatur porro magna illa s. Josephi sollicitudine propter conceptionem b. Virginis, quam dimittere voluit. Non vero proprie dimitti dicitur, nisi uxor vera; non ea persona, quacum nondum perfectum erat matrimonium prima sua perfectione, quae est per verba de praesenti.

Quare etiam Benedictus XIV.[2]) ad verba „voluit occulte dimittere eam"[3]) animadvertit: „Acceperat ergo in uxorem, quum nemo dimittere dicatur, quod non habet: et quamvis Angelus Josephi suspicionem ex deprehensa graviditate sedaturus dixerit: „Noli timere accipere Mariam conjugem tuam,"[4]) haec tamen est phrasis Hebraica actum continuatum significans, non inchoatum; quocirca perinde est, acsi dixisset: „Acceptam conjugem serva; noli dimittere."

Concluditur fortasse ex hac dimittendi intentione b. Mariam a s. Joseph non existimatam esse uxorem. Uxorem enim juxta legem Deuteronomii[5]) „si acceperit homo uxorem et habuerit eam et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam foeditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius et dimittet eam de domo sua" dimittere vir non poterat, nisi dato libello repudii.

Respondemus, libellum repudii secundum legem non

---

[1]) Matth. I, 18. [2]) De Servorum Dei beatificatione et beatorum canonisatione lib. III, cp. XXIV, §. 4. n. 57. [3]) Matth. I, 19. [4]) Matth. I, 20. [5]) Deuter. XXIV, 1.

esse datum, nisi quum vir sic dimitteret uxorem, ut illi faceret potestatem alteri nubendi: s. Joseph autem non volebat dimittere uxorem, ut ipse aliam duceret illique permitteret, alium ducere; volebat eam potius occulte dimittere quoad habitationem tantummodo, ne forte eam retinendo aliquam incurreret infamiam.

d. S. Joseph in Evangelio vocatur „pater Christi,“ quia s. Virginem Mariam duxerat uxorem. Quare etiam Jesus Christus a Judaeis non habebatur filius illegitimus ac spurius s. Josephi. Ad evitandam vel levissimam talis suspicionis umbram hoc matrimonium juxta ss. Patres praecipue institutum est. Intentio enim s. Spiritus erat in eo praesertim, ut omnes s. Josephum verum Mariae virum verumque Christi haberent patrem. Ideo actus conjugalis, quo sponsalia de futuro in perfecti matrimonii transierint rationem, praecesserit necesse erat.

S. Josepho competit jure conjugii nomen „patris Christi.“ Ita eum honorant ac venerantur patres antiqui sacrique Ecclesiae doctores. Maria ipsa ei hunc attribuit titulum et quidem in templo, ubi multi sacerdotum atque scribarum, quibuscum puer duodennis disputaverat, erant praesentes. Et in signum, hoc nomen ei deberi, ab Angelo potestatem accepit nomen imponendi infantulo. Jam vero filiis nomen imponere, est actus auctoritatem et potestatem paternam significans. Quare s. Bernardus: „Christus se habebat, inquit, reverenter et obedienter, sicut ad Patrem suum. Et ipse non solum publice reputatus est et vocatus Pater ejus; sed etiam teneri oportet, quod sanctus vir publice se habebat ad eum verbo, actu, gestu atque cura et imperio, sicut verus Pater ad Filium suum. Alias notuisset aperte vicinis et mundo, quod non esset Filius suus.“ „Proprium jus parentum est, filiis nomen imponere, inquit Paulus de Palatio, et ad nullum alium haec jurisdictio spectat. Quum ergo Josepho hoc jus tribuitur a Deo, mihi videtur

Josepho collata in Jesum haec auctoritas et jurisdictio, quam pater in filios habet: quod Christus manifestavit, quando erat subditus non solum Mariae, sed ipsi Josepho.“ Quo de conjugio disserens Gerson optimo jure dici posse putavit, Christum natum esse ex corpore et carne s. Josephi, quia duorum conjugum unum corpus et una caro est. Nam quia maritus est dominus corporis uxoris suae, ideo etiam dominus fructus, quicunque ex illo corpore procreatur. Sicut dominus agri etiam dominus metallorum est, quae in agro nascuntur. „Nam si ea vis est legis, inquit Hugo Grotius, ut partus viduae ex agnato viri defuncti conceptus in omne jus defuncti succedat, non aliter, quam si ex ejus genitura ortum traxisset, quid ni id, quod sine humana opera ex legitima ejus conjuge natum est, quasi ipsius solo divinitus insitum, ipsius proprium censeatur?“ ...... Quodsi ubique gentium adoptivi liberi ex ejus gentis, cui velut insiti sunt, nobilitate censentur, quanto justius omnia jura gentilitia Josephi ac promissiones divinae ipsius majoribus factae, ad Dominum Jesum pertinebant.“ Haec ille.

Sententiae asserenti, s. Joseph nominatum esse patrem Christi jure conjugii cum b. Virgine initi, adversari videtur d. Hieronymus, juxta quem s. Joseph communi opinione tantum pater Christi credebatur. „Excepto, inquit,[1]) Joseph et Elisabeth et ipsa Maria, paucisque admodum, si quos ab his audisse possumus existimare, omnes Jesum filium existimabant Joseph: in tantum ut etiam Evangelistae opinionem vulgi exprimentes, quae vera historiae lex est, patrem eum dixerint Salvatoris.“ Similiter in Jeremiam:[2]) „Multa in Scripturis sanctis dicuntur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non juxta quod rei veritas continebat. Joseph in Evangelio pater Domini vocatur,

---

[1]) Adv. Helvid. cp. II. [2]) In Jeremiam cp. XXVIII.

et ipsa Maria, quae sciebat se de Spiritu sancto concepisse, et responderat Angelo: „Quomodo erit istud, quoniam virum non cognosco?“ loquitur ad filium: „Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce ego et pater tuus dolentes quaerebamus te.“ S. Hieronymo respondet d. Augustinus:[1]) „Quum Lucas narret, non ex concubitu Joseph, sed ex Maria Virgine natum Christum, unde eum patrem ejus appellat, nisi quia et virum Mariae recte intelligimus sine commixtione carnis, ipsa copulatione conjugii; et ob hoc etiam Christi patrem multo conjunctius, qui ex ejus conjuge natus sit, quam si esset aliunde adoptatus? Unde manifestum est illud, quod ait „Ut putabatur filius Joseph“ propter illos dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrabantur.“ Similia habentur in libro 5. contra Julianum.

Juxta Originem s. Joseph dictus est pater Christi, quia Christi nutritius fuit. „Quamobrem, inquit,[2]) mirabatur et pater: sic enim appellatus est Joseph, quia nutritius fuit.“ At haec ratio testante Estio[3]) nullatenus sufficit, quia a. scriptura nutritium nominare non solet patrem vel nutricem matrem. b. Quia b. Virgo s. Josephum etiam in patris vocabulo sibi praeponit dicens: „Pater tuus et ego.“ Idem facit Evangelista dicens: „Erant pater ejus et mater mirantes,“ ne forte putetur, b. Virginem id humilitatis causa tantummodo fecisse. c. S. Lucas vocat ambos parentes, graece γονεῖς quasi genitores, quia filii generatio jure conjugii etiam ad s. Joseph pertinuit. d. Evangelistae Lucas et Matthaeus Christi genealogiam per Joseph ducunt; hoc vero absurde fieret per eum, si non alia ratione pater esset, quam quia nutritius.

Non igitur s. Joseph putativus tantum Christi

---

[1]) Lib. II, de Cons. Evang. cp. I, n. 3. [2]) In Luc. hom. XVI.
[3]) In lib. IV, Sent. com. dist. XXX, §. 10.

pater, quamquam juxta opinionem vulgi carnali generatione eum patrem putantis ita semel ab Evangelista[1]) vocatus sit, neque etiam nutritius tantum, neque, ut vitricus privigni uxoris suae filii Pater vocatur, quia Christi nativitas eorum conjugium non praecessit, sed multo pleniore ac meliore ratione hoc nomen honoratissimum ei attribuitur, quia nempe Christus Dominus noster, etsi non ex s. Joseph, tamen in ejus virginali conjugio natus fuerit. Pater Christi putativus fuit generatione carnali, verus e contra ejus pater jure conjugii.

2. Inter ss. patres d. Augustinus fuit primus, qui doctrinam de veritate matrimonii inter b. Virginem et s. Joseph initi expresse docuit maximoque cum fervore contra Faustum Manichaeum[2]) et Julianum Pelagianum[3]) defendit. Sed ex aliorum quoque patrum ante s. Augustinum florentium scriptis facillime colligitur, eos hac in re cum celeberrimo Doctore ejusdem fuisse opinionis. Quotquot enim asseruerunt, Christum ex Virgine desponsata natum esse voluisse, ne ipse spurius videretur ideoque tamquam verus Messias a Judaeis rejiceretur; ne Maria, si innupta peperisset, stupri rea haberetur etc., eo ipso non obscure innuerunt, verum et ratum intercessisse matrimonium b. Virginem inter et s. Joseph. Unum alterumve audiamus testimonium:

Citatis Angeli ad s. Joseph verbis: „Noli timere accipere Mariam conjugem tuam“ d. Augustinus[4]) animadvertit: „Conjux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat nec fuerat cogniturus; nec perierat nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat nec futura erat ulla carnis commixtio. Erat quippe illa virgo ideo et sanctius et

---

[1]) Luc. III, 23. [2]) Contra Faustum cp. 8; lib. I, de nuptiis et concupiscentia cp. 11. [3]) Contra Julianum lib. 5 cp. 9. [4]) Lib. I, de nuptiis et concup. cp. 11 n. 12.

mirabilius jucunda suo viro, quia etiam fecunda sine viro, prole dispar, fide compar." Hoc porro s. Antistes eo confirmat, quod vi hujus conjugii s. Joseph appellatus sit pater Christi, subjiciens: „Propter quod fidele conjugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, et non solum illa mater, verum etiam ille pater ejus, sicut conjux matris ejus, utrumque mente, non carne. Sive tamen ille pater sola mente, sive illa mater et carne, parentes tamen ambo humilitatis ejus, non sublimitatis; infirmitatis, non divinitatis. Neque enim mentitur Evangelium, ubi legitur: „Et erant **pater ejus et mater** mirantes super his, quae dicebantur de illo;" — „et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem;" — „et dixit **mater ejus** ad illum": „Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce **pater tuus et ego** dolentes quaerebamus te."

Demonstrat d. Augustinus hujus conjugii veritatem ex serie genealogica parentum Christi, quam usque ad s. Joseph ideo perductam esse asserit, ut s. Deiparae origo innotesceret et conjugis debita haberetur ratio. Julianus quum s. Mariam in hominum opinione tantummodo s. Josephi conjugem fuisse dixerit, s. Augustinus eum hisce devicit verbis:[1]) „Numquid et angelus loquens unus ad unum, contra conscientiam et suam et ipsius cui loquebatur, secundum opinionem potius, quam secundum veritatem fuerat locuturus, qui ei dixit: „Noli timere accipere Mariam conjugem?" Deinde quid opus erat, ut usque ad Josephum generationes perducerentur, si non ea veritate factum est, qua in conjugio sexus virilis excellit? Quod ego in libro, cui respondes, quum posuissem, tu prorsus attingere timuisti. Dicit autem Lucas Evangelista de Domino, quod „putabatur filius Joseph," quia ita putabatur, ut per ejus concubitum genitus crederetur. Hanc falsam voluit removere opini-

---

[1]) Lib. V, cp. 12 n. 47.

onem, non Mariam illius viri negare conjugem contra angelum testem." Hugo a Sto Victore, qui suo saeculo alter nominari meruit Augustinus, hanc eandem ex professo lucidissime exponit veritatem.[1]) At brevitati consulendo et ad pagellarum angustias attendentes ejusdem argumentis explicandis immorari non possumus.

Iis, quae de sanctissimae Virginis cum s. Joseph matrimonio diximus, obstare videntur nonnullorum testimonia Patrum, qui prima fronte hoc matrimonium negantes pactum solummodo ad mutuam cohabitationem ordinatum concedunt. Quidam enim illorum asserunt, b. Mariam non proprie esse uxorem, sed tantum sponsam; uxorem non de praesenti, sed solum de futuro; s. Joseph non proprie virum dici, eum sola opinione, non re ipsa maritum, maritum tantum nomine fuisse, non conscientia.

Mentionem facimus praesertim Origenis ita de s. Joseph loquentis:[2]) „Qui pene licentia maritali, licet eam non contingeret, futurae tamen, ut putabatur, uxoris omnia noverat." Juxta eum Maria non fuit revera uxor futura s. Josephi, sed futura hominum opinione tantum. Ideo etiam Origenes non memorat „maritalem," sed „pene maritalem" licentiam.

Origeni plenissime consentit Tertullianus Mariam „desponsatam, quodammodo nuptam" nominans.[3])

Neque alio tendit s. Hilarius inquiens:[4]) „Mater potius Christi, quia id erat; non uxor Josephi est nuncupata, quia non erat."

Quibus addantur s. Epiphanius et s. Hieronymus, quorum ille, quum dixisset, Joseph post annos viduitatis accepisse Mariam, subjungit: „Quum esset desponsata Maria: non dicit, quum nupsisset."[5]) Ergo matri-

---

[1]) De B. Mariae Virginitate libellus epistolaris. [2]) Hom. I, in diversos et ad verba: Inventa est. [3]) Lib. de veland. virg. cp. VI. [4]) In Matth. cp. I. [5]) Haeres. LXXVIII, n. 8.

monium a b. Maria cum s. Joseph contractum negatur. D. Hieronymus in eundem sensum haec habet: „Quum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, et sponsae uxores vocentur.“ [1])

Neque aliter loquitur s. Chrysostomus: [2]) „His igitur, inquit, omnibus declaratur, a Deo venisse Angelum, qui omnia, quae cogitavit et animo passus est Joseph, in medium attulit et exposuit. Virginis autem pronunciato nomine non hic stetit, sed addidit „conjugem tuam,“ quam non ita vocasset, si vitiata fuisset. „Conjugem“ vero hic „sponsam“ vocat, quemadmodum et generos vocare solet Scriptura „sponsos“ ante nuptias.“

Huc quoque spectat testimonium s. Chrysologi expresse negantis, Mariam revera conjugem s. Josephi fuisse. „Joseph ille, inquit, maritus solo nomine, conscientia sponsus praegnantem fluctuans et anxius intuetur.“ [3])

Consentire videntur s. Augustinus et s. Bernardus. „Matrimonium, inquit s. Antistes, [4]) ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat femina nubere, quam ut mater fiat.“ Maria vero votum perpetuae castitatis emiserat castitatemque in matrimonio cum s. Joseph inito servare voluit, ergo hoc matrimonium juxta s. Augustinum erat nullum.

Doctor Mellifluus vero s. Josephum „virum nominat, non quia maritus, sed quod homo virtutis erat, vel potius, quia juxta alium Evangelistam non vir simpliciter, sed vir ejus dictus est: merito appellatur, quod necessarie putatur.“ [5])

Antequam ad singulos respondemus textus, nonnulla notatu digna, quibus illi magis illustrentur, praemittenda videntur.

a. Non potest negari, quin verba „μνηστεύεσθαι et

---

[1]) In Matth. cp. I. [2]) In Matth. hom. IV. [3]) Serm. 175.
[4]) Contra Faustum lib. XIX, cp. 26. [5]) Super Missus hom. 2.

γαμεῖν," „desponderi et nubere" saepe saepius a patribus unum pro alio usurpata fuerint.

b. Matrimonium distinguitur duplex: ratum et consummatum; ideo etiam nomina uxoris et mariti dupliciter accipiuntur. In matrimonio rato uxor et maritus nuncupantur ex copula conjugali, quae est pura desponsatio per verba de praesenti, quo sensu intelligenda sunt verba:[1] „Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante." In matrimonio consummato e contra uxor et maritus appellantur ex copula carnali, seu ex consummatione matrimonii. Hunc praecipue sensum ss. patres cum terminis „uxor, maritus, vir, conjux, nuptiae" jungebant. „Quum luce clarius constet, inquit s. Damianus,[2] quia beata Dei Genitrix virgo non nupsit et tamen juxta Scripturae sententiam absque dubio nuptias celebravit; quomodo dicitur, ubi concubitus defuit, nuptias dici non posse? Nos autem e diverso libere profitemur, et concubitum posse sine nuptiis fieri et sine concubitu recte nuptias appellari."

c. Praedicti patres contra haereticos perpetuam s. Deiparae virginitatem impugnantes disputabant et a sanctissimo b. Virginis et s. Joseph matrimonio consummationis carnalis excludere volebant suspicionem.

d. Conjugium Marianum potest considerari ut perfectum et ut imperfectum. Erat perfectum, quia optima prole cohonestatum et triplici bono nuptiarum juxta d. Augustinum ditatum. Imperfectum, quoniam s. Joseph et b. Virgo nunquam fuerunt duo in carne una. „Commixtione corporali vero conjugium perficitur, docet s. Bonaventura,[3] non quantum ad veritatem vel sanctitatem conjugii, sed quantum ad significationem; quia perfectius unionem Christi et Ecclesiae tunc figurat."

---

[1]) Luc. II, 5. [2]) Opusc. XLI, cp. II. [3]) In Sent. lib. IV, dist. XXX.

Quibus praenotatis textus exponere allegatos haud difficile erit.

Quod Origenem attinet, eum numero illorum ascribere possumus, qui b. Virginem nondum matrimonio junctam putant, vel terminus „uxor“ innuit apud eum matrimonium consummatum. Eandem significationem prae se ferunt verba Tertulliani, qui perpetuam s. Deiparae virginitatem demonstrare sibi proposuit. Idem dicendum de testimonio s. Hilarii designantis termino „uxoris“ non tantummodo nuptam per verba de praesenti in matrimonio rato, sed etiam in matrimonio jam consummato; ideo b. Virginem „uxorem“ esse merito negavit.

S. Epiphanius apertissime a Virgine „nuptias“ rejecit, in quantum hac voce usus conjugii connotatur; eadem ex causa d. Hieronymus nuptias a b. Virgine amovendas esse censet. Testante s. Chrysostomo Evangelista conjugem nominavit sponsam, quo significarit, non intelligendam esse corruptam in matrimonio. Juxta d. Chrysologum vox „maritus“ denotat conjugem post matrimonium jam consummatum, vox „sponsus“ vero conjugem ante matrimonii consummationem. S. Augustinus reprehendit l. c. Manichaeos, qui asseruerint, uxorem non ad matrimonii fidem, sed ad concupiscentiae crimen habendam esse; odiosum illis erat, „feminam nubere, ut mater fiat.“ Attendit s. Doctor ad id, quod in matrimonio communiter intenditur tamquam effectus; non tamen per hoc voluit, quod animus utendi conjugio ad suscipiendos liberos sit de substantia vel de ratione essentiali matrimonii. S. Bernardus veterum patrum sese accommodavit consuetudini, omnia nempe obscurioribus obtegere vocabulis, quae in auditoribus suis voluptatis igniculos excitare potuissent. Probatur Mariani matrimonii veritas

3. ex ratione. Ad matrimonii valorem quum explicitus in commercium carnale consensus minime requiratur, votum continentiae a s. Deipara nuncupatum nullatenus repugnavit matrimonio, nec illa in hoc in-

eundo peccavit. Quo si peccasset, peccasset quoque sponsalia contrahendo. Si votum illud violatum fuisset matrimonio, idem etiam dicendum foret de sponsalibus.

Matrimonium enim continet promissionem fidei conjugalis actualem, sponsalia vero sunt promissio hujus promissionis. Matrimonium et sponsalia non distinguuntur, nisi eo, quod illud per verba de praesenti, haec per verba enuntientur de futuro. Temporis vero differentia nihil impedit, quominus utraque forma, utpote continens consensum illum, qui voto asseritur contrarius, voto continentiae pariter repugnet.

Matrimonium continentiae contrarium esse putatur propter jus in re ad mutua corpora, quod conjuges sibi invicem tradunt. Ergo idem etiam valet de sponsalibus, quia illa tale jus concedere promittunt. Haec promissio suo modo non minus obligat, quam donatio ipsa.

Consensum porro per verba de praesenti expressum quare continentiae contrarium autumant, nisi propter id, quod est de futuro i. e., in quantum nempe consideratur consummatio nondum secuta? Quare ergo consensus per verba de futuro non erit aeque contrarius? Consensum in sponsalibus contrahendis ad matrimonium futurum concessum non semper postulare necessario matrimonium ejusque consummationem idque in contractu sponsalitio s. Joseph et beatissimae Virginis factum esse respondent. Admittuntur ergo sponsalia, quae non sequebatur matrimonium!

At haec ratio, ut minimum dicamus, fatua videtur ac prorsus inanis. S. Joseph in facie synagogae coram sacerdotibus solemniter promisit, s. Virginem accipere legitimam suam uxorem: s. Virgo idem praestitit quoad s. Josephum. Haec promissio estne executa annon? Si affirmas, ergo revera sunt mariti; si negas, ergo promissionem sibi invicem datam violaverunt, imo nonnisi ficte et simulate sponsalia contraxerunt utendo mendaciis. Mendacium vero tale talemque infidelitatem apud sanc-

tissimas illas supponere personas, nonne nefas erit? Quantopere aberrant illi, qui inviolatam s. Deiparae et s. Joseph puritatem non aliter servare posse credant, quam recurrendo ad illorum inconstantiam et mendacium!

At fortasse castissimae illae personae sese invicem deobligaverunt; tunc sponsalium dissolutio iis non posset imputari peccatum! Hoc vero absurdum esse, nemo qui nesciat. Si b. Virgo et s. Joseph mutuam sibi remisissent promissionem, nec fuissent amplius desponsati, quamvis Ecclesia s. Josephum semper nominet b. Virginis sponsum. Quomodo porro tot per annos contegere se potuissent velo matrimonii dissolutis jamdudum sponsalibus? Ex dictis patet, verum intercessisse matrimonium inter b. Virginem et s. Joseph. Ecclesia hanc veritatem eo agnovit, quod jam trecentis abhinc annis [1]) festum desponsationis seu matrimonii b. Virginis cum s. Joseph communi fidelium pietate celebrandum instituit.

Quamvis haec veritas non sit de fide, (Suarez [2]) quidem haereticum illum censet, qui inter b. Virginem et s. Joseph verum fuisse matrimonium negaret,) tamen non liberum est, hac in controversia utram defendere partem, sicuti nonnulli recentiores autumarunt authores, inter quos ven. Canisius [3]) hanc quaestionem enumerans inter controversias arbitrarias, in quibus liberum sit, hoc illudve sentire. Profitemur potius cum Vasquez [4]) et cum Benedicto XIV, [5]) sententiam de realitate matrimonii Mariani tam veram esse, ut opposita nota saltem temeritatis digna sit habenda. „Ut minimum tamen temeraria censenda videretur, scribit hac de propositione Capituchius Cardinalis, [6]) quum constet, totam scholam cum Magistro et Angelico Doctore in affirmantem

[1]) Cfr. p. III, sect. ,II cp. IV. [2]) Commentariarum ac Disputationum in III, p. d. Thomae tom. II, q. XXIX. [3]) De Maria Deipara lib. I cp. 5. [4]) Comment. ac Disput. in III, p. d. Thomae tom. II, q. XXIX. [5]) De festis Beatae Mariae Virginis lib. II, cp. I. [6]) Controv. 14 §. 9.

sententiam conspirare, et omnes sanctos Patres bene perpensos idem dicere."

§. 2.

Matrimonium beatissimae Virginis et s. Joseph fuit licitum.

Beatissimam Virginem statim a tenerrima aetate virginitatis votum emisisse, jam fusius exposuimus; s. Joseph eodem sese astrinxisse voto, infra demonstrabitur. In tali voto nuncupando sacrificium corporis Deo offertur; in matrimonio contrahendo duae personae sibi invicem corporum tradunt potestatem.

Si ergo s. Deipara corpus suum ab infantia Deo consecravit voto virginitatis, quomodo idem corpus s. Josepho tradere potuit? Si illa Deo in sacrificium sese obtulit, numquid de hac eadem victima in hominis cujusdam favorem disponere valuit? Nonne promissionem Deo factam pedibus quasi conterendo violavit, quum matrimonium personis Deo dicatis prohibitum inierit?

Audiamus illud d. Hieronymi hac de re uti Ecclesiae considerandum oraculum: „Voventibus castitatem, inquit,[1] non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est." Femina ergo, quae viro fidem juravit, nequit sese alteri dare, quin fiat adultera. Nonne filia illa, quae voto virginitatis Deo consecrata cum homine se conjungere audet, spiritualis rea erit adulterii?

Num sanctissima Virgo, quae semper vitam ab omni prorsus labe immunem duxit, tale crimen committere non erubuisset? Absit, procul absit, tam injuriose de purissima Salvatoris matre, non inquam, loqui, sed jam cogitare! Axiomatis meminimus a s. Augustino[2]) in favorem s. Deiparae propositi: „Excepta Virgine Maria, de qua, si de peccato agitur, propter honorem Domini, nullam prorsus

---

[1]) In Comment. super 1 Tim. cp. V. [2]) Lib. de natura et gratia.

habere volo quaestionem.“ Utraque ergo propositio veritate fundatur:

Beatissima Virgo sincerum virginitatis votum emisit et hoc non obstante non solum valide, sed etiam **licite** cum s. Joseph matrimonium iniit.

Ex eo, quod veritas veritati contradicere nequeat, concludere jam licet, veritates illas, quantopere incompossibiles et repugnantes videantur, optime in harmoniam posse redigi, quamquam ignotus sit nobis eas conciliandi modus; ignorantia enim modi non tollit certitudinem facti.

1. Inquiramus ad difficultatem, quam earum veritatum repugnantia prae se ferre videtur, quantum in nobis erit, enudandam,

in quodnam objectum beatissimae Virginis et s. Joseph consensus ferri potuerit et debuerit. Respondemus [1])

a. Consensus formalis matrimonii necessario ferri debet in essentiale matrimonii objectum. Quod quum in vinculo indissolubili seu in mutuo dominio directo consistat corporum, etiam b. Virgo cum s. Sponso in vinculum indissolubile seu in hoc mutuum corporum dominium consenserit necesse fuit. Si duo s. nupturientes dominium corporum directum sibi invicem tradere recusassent, verum matrimonium inire non valuissent.

b. Consenserunt in obligationem radicalem ad copulam carnalem; nam haec obligatio radicalis a vinculo matrimonii separari nequit ab eaque non differt nisi ratione. Tantum abest, ut obligatio illa voto castitatis absoluto praejudicet, ut cum contraria obligatione actuali ad non reddendum debitum, quantumcumque petatur, stare possit.

---

[1]) Recolas dicta p. I, sect. III, cap. I, §. 3. Cfr. Perez de sancto matrimonii sacramento disp. XIII, sect. VIII.

Contendunt quidem nonnulli recentiores auctores in castissimi matrimonii b. Virginis et s. Joseph favorem, eorum consensum non debuisse ferri implicite et confuse in obligationem radicalem seu remotam copulae, quum hoc matrimonium fuerit purissimum nec quidquam purius deobligatione ista quoque radicali copulae intra matrimonii essentiam excogitari possit.

Matrimonium illud purissimum fuisse concedentes, talem deobligationem stante matrimonio fieri posse negamus. Idem enim est cum matrimonii vinculo. Ex obligatione illa vero nihil absurdi sequitur nullaque indecentia. Plenissime consentit d. Augustinus:[1] „Committens, inquit, beata Maria virginitatem suam divinae dispositioni consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinae inspirationi in utroque obediendo.“ Neque alio tendit Doctor Angelicus inquiens,[2] „Copulam carnalem cecidisse implicite sub consensu beatissimae Virginis.“

Si pro matrimonio Mariano consensus requiritur in obligationem radicalem ad copulam, eo nullatenus intelligitur virtuale copulae carnalis propositum, sed consensus implicitus eodem modo, quo effectus continetur in causa. Ita inter alios Suarez[3]) et Vasquez,[4]) quorum ille, postquam asseruit, beatissimam Virginem in radice et in causa habuisse consensum in copulam consentiendo in matrimonium, quod de se ad talem copulam ordinatur, haec subjungit: „Velle hoc modo in radice, non est proprie velle, et maxime quando per contrariam voluntatem directe quis proponit vitare actum; et hoc modo consensus in conjugale vinculum nihil omnino derogat virginitati et propositum virginitatis non pugnat cum consensu contrahendi vinculum

---

[1]) Cfr. Caus. XXIII, q. 2. cp. 7. [2]) In IV, dist. XXX, q. 2 a 1 q. 3 ad 3. [3]) Tom. I, in 3 p. disp. VII, sect. 1. [4]) Tom. II, in 3 p. disp. CXXV, cp. 7 n. 79 sqq.

conjugale, sicut non repugnat voluntas tradendi vel accipiendi dominium et non utendi.“ Consensus in potestatem stare potest cum voluntate non perveniendi ad effectum. Sic valide vovent, qui habent voluntatem voto nunquam satisfaciendi.

Ne dicas: Si sponsus et sponsa mutue vovent castitatem posteaque matrimonium contrahunt, tunc sibi invicem corporis sui dominium ad copulam non tradunt, sed excludunt potius obligationem reddendi debitum; quare nullus prorsus adest consensus in copulam.

Etiam in tali casu implicitus datur in copulam consensus. Sponsum enim vi hujus contractus acquirere jus proximum in corpus sponsae, ex eo constat, quod sponsus sine novo in copulam consensu etiam licite debitum petere possit, si a Pontifice super voto dispensante impedimentum ex parte sponsi aufertur. Pontifex enim dispensans non concedit jus exigendi debitum, sed aufert solummodo juris praeexistentis ligamen nec imponit sponsae obligationem, quam non habebat vi matrimonii. Sponsa ergo non debet denuo consentire in copulam, ut sponsus licite utatur sponsa, quare illa obligationem reddendi debitum vi prioris consensus matrimonialis contraxit.

Beatissima virgo ergo nullatenus consensit in commixtionem carnalem. Non defuerunt, qui hoc negare ausi sint, inter quos Petrus Martyr et Centuriatores asserentes, Mariam juxta morem aliarum gentis ejusdem virginum nupsisse et in congressum viri consensisse. „Evangelistae certo affirmant, inquiunt Centuriatores, Mariam Josepho in conjugem fuisse desponsatam; unde liquido constat, ita utrumque Joseph et Mariam fuisse affectum, ut statuto tempore more aliorum conjugum voluerint liberos dante Deo procreare. Alioquin et evangelistae certissime rerum talium testes aliter fuissent locuti.“ Et quomodo haeretici hujus placiti nefandissimi nec non Salvatori nostro et sanctissimae matri suae injuriosissimi veritatem

demonstrare conantur? Aliae puellae Judaicae sic vivebant, aliae ex carnali affectu iniere matrimonia, ergo idem etiam de Maria dicendum!

c. Beatissima Virgo nullo modo neque implicite consensit in obligationem actualem ad copulam, imo ab ea dissensit. „Obligatio enim formalis, inquit Perez,[1]) reddendi debitum ejusque redditio est in re ipsa separabilis a matrimonio tam in fieri, quam in facto esse, et ab ipsa quoque radicali obligatione; ex alio capite liquet, habuisse ex voto b. Virginem perpetuam obligationem servandi virginitatem. Ergo nullo modo potuit nec virtute seu implicite velle obligationem actualem formalem reddendi debitum. Obligatio formalis enim ad copulam ex matrimonio resultans et obligatio formalis ad non copulam ex voto castitatis resultans se invicem destruunt ob contradictionem terminorum, quia non possunt non sumi formaliter et in ordine ad eosdem terminos. Nam obligatio actualis reddendi copulam repugnat ex natura rei cum voto absolutae virginitatis, quod includit obligationem contrariam, abstinendi scilicet ab omni culpa; tales enim obligationes sunt ad contrarios actus, una ad reddendam copulam, altera ad eam cavendam, atque ideo tales obligationes nequeunt omnino simul cohaerere. Igitur quum b. Virgo habuerit votum absolutum ante nuptias, necessario, vel in voto aliquo ex parte dispensatum fuit, vel obligatio reddendi debitum sublata fuit. At indignum erat, quod votum, quo Virgo illustrior et Deo gratior reddebatur, detrimentum potius pateretur, quam obligatio actualis ad copulam, quae inferioris multo conditionis erat: ergo haec potius per praedictam cessionem, quam obligatio voti sublata fuit. Nullus ergo in eam consensus etiam implicitus in Virgine fuit, sed magnus dissensus."

2. Beatissimae Virginis et s. Joseph matrimonium si

---

[1]) De sancto Matrimonii Sacramento disp. XIII, sect. VIII.

cum voto virginitatis ab ipsis emisso in concordiam redigere velimus, multum certissime juvabit, hujus matrimonii votique considerare initium. Quod modo singulari a divina dependisse providentia, difficillime revocabitur in dubium. Beatissima enim Virgo quum in omnibus rebus eximia Spiritus sancti directione gauderet, quanto magis in re gravissima matrimonii contrahendi, quae ad totius vitae statum pertinebat et ad Incarnationis mysterium proxime ordinabatur. Eadem revelatione b. Virgo intellexit, sponsum suum s. Joseph in perpetuam virginitatem libenter esse consensurum nullumque perfectioni virginitatis suae detrimentum allaturum. Quae vero Spiritu Dei peculiariter agente fiunt, lege communi regulari non debent testante Morales. „His, qui moventur per instinctum divinum, scribit,[1]) non expedit consiliari secundum rationem humanam, sed quod sequantur interiorem instinctum, quia moventur a meliori principio, quam sit ratio humana.“ Huc quoque spectat testimonium Papae Urbani II. asserentis:[2]) „Spiritus quidem Dei lex est et qui Spiritu Dei aguntur, lege Dei dicuntur, et quis est, qui Spiritui sancto possit digne resistere? .... Justo enim non est lex posita; sed ubi Spiritus Dei, ibi libertas: et si Spiritu Dei ducimini, non estis sub lege.“

Ex dictis jam patet, quomodo ad illud s. Augustini[3]) „voventibus nempe virginitatem non solum nubere, sed etiam velle nubere, damnabile est“ responderi possit. „Beata Virgo, inquit d. Thomas,[4]) antequam contraheret cum Josepho, fuit certificata divinitus, quod Joseph in simili proposito erat et ideo se non commisit periculo nubens. Nec tamen propter hoc aliquid veritati deperit, quia illud propositum non fuit conditionaliter appositum,

---

[1]) In Cap. I, Matthaei lib. VII. [2]) In C. duae sunt 19 q. 2. [3]) Lib. de nuptiis et concupisc. [4]) In IV dist. XXX, q. 2 a. 1 q. 2 ad 2.

talis enim conditio, quum sit contra matrimonii bonum, scilicet prolem procreandam, matrimonium tolleret."

Voventi ergo virginitatem damnabile est, velle nubere, si non aliunde certus sit de integra servanda virginitate; secus, si certus sit, sicut contigit in b. Virgine; tunc periculo virginitatis violandae se exponere nequit. „Copula carnalis cecidit juxta Angelicum[1]) implicite sub consensu b. Virginis, sicut actus implicite in potentia: potentia autem ad carnalem copulam non contrariatur virginitati nec diminuit aliquid de puritate ipsius, nisi ratione actus, qui quidem nunquam fuit in proposito b. Virginis, sed erat jam certificata, quod actus nunquam sequi deberet."

Neque dissona est sententia Alberti Magni:[2]) „Beatissima Virgo, licet haberet votum continentiae firmum, poterat tamen consentire in maritalem societatem, facta divinitus inspiratione utrique de altero, quod vellet Virgo permanere: et sic consensit in societatem maritalem, et non in copulam carnalem absolute." Consentit Doctor Seraphicus de matrimonio b. Virginis ita disserens:[3]) „Gloriosa Virgo matrimonium consensit contrahere; sed certo scivit, quod nunquam matrimonium consummaret: et hoc scivit Spiritus sancti revelatione, vel Joseph relatione, vel quia considerabat de voti publicatione, quia in lege praeceptum erat servare." . . .

Addantur his, quae scripsit de conjugio Mariano Scotus:[4]) „Ubi est certitudo simpliciter, quod nunquam ponetur in effectu (petitio scilicet debiti conjugalis), ibi in nullo praejudicat voto castitatis contractus matrimonii. Sed hic fuit talis certificatio; ex quo enim habemus Matth. I. quod Angelus instruxit Joseph: „Noli timere accipere Mariam conjugem tuam;" multo magis, imo indubitanter concluditur, quod ipsa per Angelum

---

[1]) L. c. ad 3. [2]) De laudibus Mariae Virginis. [3]) Opera omnia. Editio recognita Peltier tom. VI, p. 237. [4]) In IV dist. XXX, q. 2.

vel immediate a Deo, antequam desponsaretur Joseph, fuit certitudinaliter edocta: Noli timere accipere Joseph, virum justum, in conjugem; ecce enim Spiritus sanctus dabit eum tibi custodem et testem virginitatis, qui tecum pari voto contineat et in multis tibi ad virginitatis custodiam congruentibus obsequatur.“ S. Deipara ergo non habuit voluntates sibi invicem repugnantes, sed una eademque voluntas Deo omnino fuit subjecta. Admiramur in b. Virgine incontaminatam virginitatem etiam mentalem, quum copulae actum nunquam desideraverit, admiramur verum matrimonium in mutua traditione dominii in corpora consistens.

3. Doctor Angelicus alia adhuc suppeditat argumenta, ex quibus matrimonium b. Virginis voto illius nullatenus repugnare elucet. „Forma matrimonii, inquit,[1]) consistit in quadam indivisibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum indivisibiliter alteri fidem servare tenetur.“ Sed talis animorum conjunctio etiam cum voto virginitatis consistit; nam si unus conjugum alteri fidem non servaret, peccaret contra justitiam et committeret adulterium praeter sacrilegium, si ad castitatem servandam simul voto fuisset ligatus. Matrimonium cum voto initum ergo juxta s. Thomam valet, quia essentialia ad matrimonium pertinentia servat.

Matrimonium[2]) porro duo dicit, unum de forma seu essentia, qua speciem sortitur; alterum de operatione contingenter se habente ad formam et perducente ad finem, qui est proles generanda et educanda, circa quae duo votum virginitatis non impedit primum seu formam essentialem, sed tantum secundum, quod de contingenti se habet, quia non impedit traditionem juris in cor-

---

[1]) III, p. q. XXIX, a. 2. [2]) Cfr. III, p. q. XXIX, a. 2. Concl. Bened. XIV, De servorum Dei beatificatione et beatorum canonisatione lib. III, cp. XXIV, §. IV, n. 57. Sedlmayr L. c. art. VIII.

pora, vi cujus tenentur mutuo servare fidem, sed tantum concubitum ad generandam prolem, qui est usus juris, qui se de contingenti habet. Ergo b. Virgo virginitatis voto obstricta sine laesione essentialium matrimonium contrahere potuit.

Matrimonium ratum continet quidem consensum in traditionem juris in copulam conjugalem, non tamen continet consensum in usum illius juris; nam quum matrimonium consistat essentialiter in ea traditione juris in corpora, fieri non potest, ut iniens matrimonium in eam juris traditionem non consentiat. Quia vero usus ipsius juris est aliquid posterius, recte intelligitur, qui consentit in jus illud, posse circa usum ejusdem juris dissentire. Illa traditio juris in copulam potest etiam convenire cum scientia, conjugem jure suo non esse usurum; nam tum conjux a conjuge sua potestate et dominio corporis alterius conjugis minime privabitur; retinet enim jus in corpus alterius, quamvis illo non utatur.

Si ergo argumentaris: „Nemo potest alteri tradere, quod suum non est, et suum non est, quod alteri jam traditum est. Atqui b. Virgo ante matrimonium se Deo consecravit, ergo non habuit corporis sui potestatem eamque alteri tradere nequivit“ — respondemus, personam voto ad non habendam copulam obstrictam non omne prorsus jus amittere hocque non esse nisi ligatum. Sicut pupilli paternorum bonorum domini sunt et religiosi nonnulli post emissa vota simplicia dominium retinent facultatum, conjugati quoque mutuo consensu castitatem promittentes suam in corpora potestatem non perdunt et tamen usus eis illicitus est; unde vetitis illis utentes contra obedientiam vel religionem, minime vero contra justitiam peccarent.

Jus ergo ab usu praescindi proindeque dominium in corpus tradi potest, quin de usu cogitetur. Servat sibi ille, qui votum emisit virginitatis, jus in corpus suum

eatenus, ut possit alteri dare in perpetuam vitae societatem et fidem mutuo servandam, sicut alter peccet contra justitiam fidem frangendo aut vitae societatem. Servat sibi jus in copulam, sicut possit potestatem sui corporis alteri tradere non ad generationem prolis in actu secundo licite exercendam, sed ad eam in actu primo retinendam et exercendam circa fidem et individuam vitae societatem: instantia est evidens in voto castitatis, quod fit intra matrimonium.

4. Probatur eadem veritas testimonio s. Augustini.[1]) „Etiam servata pari consensu continentia, inquit s. Doctor, posse permanere vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.“ Possunt ergo conjuges matrimonio jam contracto votum virginitatis emittêre, quin matrimonii essentia eo pereat. Plurima nobis extant exempla sanctorum conjugum, qui mutuo consensu virginitatis voto sese obstrinxerunt, uti infra videbimus. Sed si matrimonio jam contracto tale votum emitti potest sine matrimonii detrimento, tunc etiam ante matrimonium contrahendum nupturientibus virginitatem perpetuam vovere licet, quin matrimonii essentia eo destruatur. Eadem enim est essentia rei in fieri et in facto esse; si tale votum non repugnat matrimonio in facto esse, tunc idem dicendum erit de matrimonio in fieri.

Ad speciosissimum illud beatissimae Virginis et s. Joseph conjugium melius illustrandum sine dubio non abs re erit, ex numero permagno eorum conjugum, qui spectatissimum Mariae et Joseph exemplum imitantes in conjugio perpetuam servaverunt virginitatem, aliquos saltem proponere.

Sed prius audiamus, quomodo ss. Patres et Doctores Ecclesiae hac de re cogitaverint. D. Augustinus imprimis omni, qua par est, modo in epistolis suis hoc virginitatis etiam conjugalis votum laudat elevatque.

---

[1]) Lib. II, de consens. Evang. cp. 1 n. 2.

Gratulatur[1]) vg. Armentario et Paulinae, quod consensu et voluntate communi continentiae votum emiserint, illos ad votum reddendum hortatur et in fine epistolae subjungit: „Sit vester consensus oblatio ad supremum altare Creatoris et victa concupiscentia tanto fortius, quanto sanctius vinculum caritatis." „Beatiora appellat conjugia, quae sive filiis procreatis, sive etiam ista terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu servare potuerint."[2]) In epistola ad Ediciam:[3]) „Quod, inquit, Deo pari consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis; a quo proposito si lapsus est ille, tu saltem constantissime persevera."

Plenissime consentit s. Hieronymus:[4]) Quia, inquit, qui semel duxit uxorem, nisi ex consensu se non valet abstinere nec dare repudium non peccanti: reddat conjugi debitum, quia sponte se alligavit, ut reddere cogeretur." In epistola 14: „Reperi vero te, inquit, miro fidei ardore succensam aliquot jam ante annos continentiam proposuisse et reliquum vitae tuae tempus pudicitiae consecrasse. Magni hoc animi signum et perfectae virtutis indicium est, renuntiare subito expertae voluptati, fugere notas carnis illecebras et calentis adhuc aetatis flammas fidei amore restinguere. Sed illud quoque simul didici, quod me non mediocriter angit et stimulat, te videlicet tantum hoc bonum absque consensu et pacto viri servare coepisse, quum hoc apostolica omnino interdicat authoritas."

Neque silentio praeterire licet, quod hac de re s. Gregorius[5]) docuerit: „Si utrisque, inquit, conveniat, continentem vitam ducere: hoc quis audeat accusare, quando certum est, quod omnipotens Deus, qui minora concessit, majora non prohibuit? Et quidem multos Sanctorum

---

[1]) Epist. 45 nunc. 127. [2]) Lib. I, de serm. Domini in monte cp. 14 n. 39. [3]) Epist. 199. [4]) In Apolog. pro lib. adv. Jovinianum ad Pammachium. [5]) Lib. IX, cp. 39.

novimus cum suis conjugibus et prius continentem vitam duxisse et postmodum ad s. Ecclesiae regimina migrasse."

Hinc porro post primarium Deiparae cum s. Joseph exemplum tam numerosa sanctiorum personarum, cujusvis, speciatim regiae ac imperatoriae dignitatis exempla nobis prostant, ut longior esset sermo, omnia si vellemus referre.

Chrysanthus et Daria conjuges secundum breviarium[1]) nobili genere nati, fide etiam clariores, quam Daria mariti opera cum baptismo susceperat, Romae innumerabilem hominum multitudinem, haec mulierum, ille virorum, ad Christum converterunt. Contemnentes blanditias, contemnentes saevissima tormenta virginitatem usque ad palmam martyrii incolumem servaverunt. Quisnam non meminerit nobilissimae illius virginis Romanae Caeciliae,[2]) quae a prima aetate Christianae fidei praeceptis instituta virginitatem suam Deo vovit? Cujus virginitatis votum tanti fecit Deus, ut ipsa nuptiarum nocte in ejus testimonium ac custodiam angelicam apparitionem, cujus etiam desiderio Valerianus sponsus conversus est, exhibere dignatus sit. Praeterea virginitatem suam in conjugio incontaminatam conservabant Julianus et Basilissa.[3]) Is enim prima nuptiarum nocte, quum virginitatem antea vovisset, tantam rosarum fragrantiam hiemis tempore per cubiculum, in quod se cum sponsa receperat, a Deo obtinuit, ut ea permota Basilissa, dicente sibi Juliano, hunc esse munditiae virginalis odorem, statim virginitatem servare consenserit, quam e lecto exiliens confestim vovit. Eadem integritas resplenduit in s. Eleazaro, qui cum uxore sua Delphina virginitatis servandae propositum voto firmavit. Itaque sacram aedem adierunt, suas Deo preces effuderunt et post sanctissimum Christi corpus reverenter acceptum,

---

[1]) Pars auctumn. ad diem XXV. Octob. [2]) Ibid. ad diem XXIV Nov.; cfr. Surius in vita ejus, cp. V; Bened. XIV, l. c. [3]) Cfr. Surium ad diem IX. Jan.; Ribadeneira in eorum vita.

erectis in coelum animis in hunc modum praeeunte sponso vota emiserunt: „Domine Jesu Christe, a quo bonum omne et donum proficiscitur, ego peccator fragilis et infirmus sine tuo speciali dono non possum caste et continenter vivere. Sed de tuo singulari adjutorio confidens voveo et promitto tibi et sanctissimae matri tuae atque omnibus sanctis toto tempore vitae meae me caste victurum et virginitatem servaturum, quam hucusque tua benignitate in me custodivisti. Atque hujus promissionis exsequendae causa paratus sum, quascumque afflictiones et poenas atque etiam mortem ipsam perpeti.“ [1])

Quibus adjungi merentur Eduardus Anglorum rex cum Editha uxore sua, de quibus in breviario [2]) legitur: „Ab aulae proceribus compulsum ad nuptias, constans est assertio scriptorum, cum Virgine sponsa virginitatem in matrimonio servasse.“

Porro Eghardus et Catharina, s. Birgittae filia; Boleslaus V. Polonorum rex et Cunegundis; s. Conradus, Henrici IV. Imperatoris filius cum Mathilda; Henricus II. Imperator et Cunegundis. S. Henricus „virginitatem raro exemplo matrimonio junxit, sanctamque Cunegundam, conjugem suam propinquis ejus, morti proximus illibatam restituit.“ [3]) „Qualem mihi eam assignastis, inquit Imperator, talem eam vobis resigno: virginem eam dedistis et virginem reddo.“

Liceat hic causae celebris [4]) multis jam abhinc annis in S. S. R. Congregatione pendentis, nempe venerabilis servi Dei Sebastiani de Apparitio, religiosi laici professi ordinis Minorum s. Francisci de observantia, mentionem facere. Antequam ille nomen religioni daret, duplex contraxit matrimonium, sed nunquam debitum reddidit. „Introducta de more, inquit hac de causa

---

[1]) Cfr. Canisius l. c. sectio II, cp. XI. [2]) Ad diem XIII. Octob. lect. V. [3]) Ad diem XV. Julii lect. V. [4]) Bened. XIV. l. c. lib. III, cp. 24 n. 57.

Ferrari,[1]) in Sacror. Rit. Congregatione ejus causa, exquisitoque Promotoris Fidei voto super debito conjugali, neutri ex iis ab ipso reddito, Prosper Bottinius Archiepiscopus Myrensis et Prosper de Lambertinis, postea Summus Pontifex Benedictus XIV. illum peccasse dixerunt, non quia laudabilia quodammodo et heroica dici non debeant matrimonia, in quibus mutuo accedente conjugum consensu nulla fit ejus consummatio, sed quia de consensu tam primae, quam secundae uxoris non constabat et quaerimoniae non defuerunt consanguineorum praedictarum foeminarum, quod eis debitum non redderetur, ex quibus inferebatur ad praedicti consensus defectum. Multa fuerunt a doctissimis Postulatoribus allata, ut difficultati satisfieret; suffragia quoque Academiarum seu Universitatum theologicarum Parisiensis, Salmanticensis et Patavinae requisita et Romae edita anno 1722 fuerunt omnino concordia in asserendo, matrimonia non modo valida fuisse, sed commendatione digna; nec praemissum servandae virginitatis propositum substantiae matrimonii obfuisse, quum ex Sanctorum Patrum sacrorumque canonum doctrina pro certo habeatur simplex servandae virginitatis propositum dictae matrimonii substantiae nihil officere. Mulierum quoque consensum implicitum aut explicitum non defuisse et quaerimonias a consanguineis excitatas fuisse, non quia dictae uxores unquam de redditione debiti cogitaverint, sed quia ipsi pinguem servi Dei haereditatem ad filios ex suis consanguineis nascituros deferri ardenter exoptabant, ut ex scripturis Postulatorum et Theologorum suffragiis clare habetur."

Numquid hunc virginitatis florem, qui mirifico mirabilique quodam modo tot exornavit matrimonia, denegare possemus matrimonio sanctissimorum conjugum, qui unquam hac in terra vixerunt? Nonne Maria virtutum

---

[1]) Prompta bibliotheca tom. VII. vox: votum.

suarum, speciatim castitatis virginalis, vidualis et conjugalis suae exemplo omnibus omnia facta est, ut omnes virgines, omnesque viduas et conjuges ad se imitandam provocarit? Suscepit Maria conjugium, quin unquam mutaverit virginitatis votum.

§. 3.

Matrimonium beatissimae Virginis cum s. Joseph fuit **convenientissimum.**

Nonnulli, qui non divino ineffabilique consilio, sed lubito atque ingeniolo suo dimetiri res volunt, plurimum sibi displicere ajunt catholicum dogma, quo traditur, ex virgine quidem, sed tamen nupta nasci voluisse promissum Messiam. Melius (horum quidem judicio) dignitati atque excellentiae mysterii hujus fuisset consultum, si ex tenella in aede aliqua jugiter conclusa ac nulli hominum pervia virgine natus fuisset unigenitus Dei filius. Cognovissent scilicet tum omnes, eam esse, quam jam pridem notissimis verbis praedixerat Isaias ideoque etiam Emmanueli ex hoc ipso argumento hominibus manifesto convenientia praebuissent obsequia. [1])

Contra illos sua quidem opinione prudentes contendimus, matrimonium Marianum non solum verum ac licitum, sed etiam convenientissimum fuisse et quidem ex parte Dei, ex parte Salvatoris nostri, ex parte s. Deiparae, sicuti ex parte nostra. Non modo licet, sed et decet et prodest, hujus voluntatis atque dispensationis causas modeste inquirere seduloque contemplari. Haec enim animadversio veram et necessariam in Ecclesia fidem illustrat docente ven. Canisio[2]) ac deinde singularem „Dei suaviter ac fortiter omnia disponentis“[3])

---

[1]) Cfr. Trombellius Mariae sanctissimae vita ac gesta cultusque illi adhibitus p. II, diss. X, quaest. V, cp. 1. [2]) De Maria Virgine incomparabili lib 5. [3]) Sap. I, 8.

providentiam comprobat, tum ejusdem Numinis effusam erga nos benevolentiam magis magisque commendat ac demum Christianis animis haud vulgarem adducit consolationem. Potuisset quidem providentia divina pluribus aliis modis hoc sublimissimum adimplere mysterium creando vg. ex nihilo humani generis Salvatoris corpus, formando illud ex materia praejacente, uti formaverat Adamum, vel via generationis ordinaria ex homine et femina, vel demum ex femina solum. Hic modus, utpote convenientissimus, est praeelectus. Convenientissimus vero videtur

I. ex parte Dei; relucet enim pulcherrime et clarissime

a. Bonitas. Bonum de se et ex natura sua est communicativum sui, quare Deo summe bono conveniebat, ut se ad extra, quantum fieri potuit, communicaret. Sed ad hunc finem consequendum necesse fuit, Deum naturam humanam per unionem hypostaticam assumere et insuper omnes alios modos, praesertim perfectissimos affinitatis et cognationis cum creaturis suis contrahere. Infra unionem vero hypostaticam nullus conjunctionis nexus intimior perfectiorque Creatorem inter et creaturam cogitari potest, quam divina Maternitas.[1]) Relucet

b. Potentia. Quid mirabilius, quid sublimius, quid magis praeter omnes naturae leges, quam divinae Maternitatis miraculum? S. Deipara patrem suum gignit, portantem se portat, nutrientem se lactat, vestientem se induit, servantem se custodit! Stupendum hoc miraculum considerantes nonne cum Cartagena[2]) exclamabimus: „Sileant omnia haec signa, (i. e. veteris Testamenti miracula) quia licet magna, majora tamen absque ulla controversia, quod femina generet Deum, creatura suum concipiat Creatorem ac Incomprehensibilem suo utero comprehendat; majora, quod fons parvus et sig-

[1]) Cfr. p. II sect. II. cp. II. [2]) Lib. VI, tom. XVIII.

natus mare latissimum producat, stella pariat solem, vas conficiat suum figulum, domus suum architectum condat, centrum totam sphaeram claudat, punctum universum orbem includat: haec nova magna, magna adeo sunt, ut illa antiqua magna magno intervallo ab his separentur."

c. Sapientia.

α. Mysterium Incarnationis, quum sit totius religionis christianae centrum ac fundamentum, eo modo perageretur necesse erat, quo omnes haereticorum et incredulorum spuriae hujus dogmatis explicationes resecarentur. Sed medium ad talem consequendum finem sapientissimum sine dubio erat hic modus Incarnationis a Deo electus. Quare scribit s. Augustinus ad Volusianum:[1] „Si omnipotens Deus hominem ubicunque formatum non ex materno utero crearet, sed repentinum inferret aspectibus, nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum suscepisse ullo modo crederetur? et dum omnia mirabiliter facit, aufert, quod misericorditer fecit. Nunc vero ille inter Deum et hominem mediator apparuit, ut in unitate personae copulans utramque naturam solita sublimaret insolitis et insolita temperaret solitis."

β. Relucet Sapientia divina in hoc mysterio, quia tota nobilitatur natura humana. „Hominis liberatio, inquit s. Augustinus,[2]) in utroque sexu debuit apparere. Ergo quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, conveniens erat, ut foeminei sexus deliberatio hinc appareret, quod ille vir de femina natus est." Non partem liberat Deus, sed totum. Totum autem i. e. utrumque sexum a se liberari ita commode testificatus est, in altero de altero nascendo. Quare etiam Ferrandus Diaconus:[3] „Ut vir ex muliere, inquit, redempturus

---

[1]) Epist. CXXXVII, alias III. [2]) Quaest. lib. 83; Cfr. D. Thom. III, p. q. XXXI, art. IV. [3]) Epist. VII, n. 12. Migne Pat. lat. tom. LXVII, col. 940.

viros ac mulieres; in uno sexu temporaliter natus, ut utrumque salvaret, unum eligendo, in quo nasceretur, alium, unde nasceretur." Convenientissimum erat s. Deiparae matrimonium

II. ex parte Christi:[1])

a. Ne ab infidelibus tanquam illegitime natus abjiceretur. Jesus erat ille protoparentibus nostris in paradiso promissus tamque ardenter ab omnibus veteris testamenti justis expectatus Messias, quem Deus Pater ad exsequendum magnificum Redemptionis opus in terram misit. Grandissimum certo ac praestantissimum opus! Lex Moysaica partim abroganda illique lex evangelica erat substituenda. Christus ergo, aspectibus, calumniis et provocationibus legum doctorum, scribarum, pharisaeorum, imo totius nationis Judaicae semper expositus perfectissimum puritatis esse debuit exemplar, in quo ne perspicacissima quidem ingenia aliquid reprehensione dignum potuerint investigare. Quidnam, si Salvatori nostro nativitatis illegitimae objicere potuissent infamiam, videndo eum non de femina uxorata, sed de filia natum? Quomodo eum dedecore ac ignominia oppressum persecuti fuissent, quomodo ludibrio habuissent doctrinam, praedicationem suam? „Quid Judaeis, interrogat merito d. Ambrosius,[2]) quid Herodi posset ascribi, si natum viderentur ex adulterio persecuti?" Quamvis Domino nihil exprobrare valuissent neque quod attinet Nativitatem suam habitam ex patriarchis et regibus Israel, neque quoad mores, ex quibus perfectissima resplendebat sanctitas, neque quoad doctrinam, quam admirari debuerunt, nihilominus adversarii isti infensissimi non cessabant, calumniis, opprobriis et injuriis eum cumulare, quum magna ad confirmandam suam doctrinam operaretur miracula multaque ad comprobandam divinitatem ederet signa. Quando daemones ejecit, daemoniacum eum

---

[1]) Cfr. s. Th. III, p. q. XXIX, a. I. [2]) Lib. II, in Luc. cp. I.

vocabant; quia in sabbato curavit, Dei adversarium putabant. Quidnam fuissent dicturi, quidnam fecissent, si ignominiosam illi objicere potuissent nativitatem? „Si enim, inquit auctor operis imperfecti in Matthaeum,[1]) quia Dominum in domo sponsi peperit, infideles Judaei dixerunt: „Nonne hic est Jesus, filius Joseph? Quanto magis, si extra domum sponsi peperisset, dicturi fuerant: „Nonne hic est filius meretricis?“ Magis ergo voluit Dominus, ut haberet mater ejus maritalem suspicionem, quam fornicationis opprobrium pateretur.“

b. Ut consueto modo genealogia ejus per virum describeretur. Si enim Deipara non esset virgo conjugata, progenies ejus non posset describi, nisi per ipsam; sed secundum legem non erat consuetum, quod genealogia per mulieres describeretur. Quum autem matrimonium inivisset cum s. Joseph, per eum etiam genealogia descripta est. Unde d. Ambrosius:[2]) „Qui in saeculum venit, saeculi debuit more describi, viri autem persona quaeritur, qui in senatu et reliquis curiis civitatum generis asserit dignitatem. Consuetudo etiam nos instruit Scripturarum, quae semper viri originem quaerit.“ Si b. Virgo desponsata non fuisset, Christus etiam ut ex incerto et obscuro patre genitus fuisset habitus Judaeique accepissent occasionem negandi, eum esse Messiam, quippe quem de semine David esse non constaret.

c. Ad tutelam pueri nati, ne diabolus contra eum vehementius nocumenta procuraret. Ideo s. Ignatius[3]) scribit: „B. Virginem fuisse desponsatam, ut partus ejus celaretur diabolo.“ Quamvis haec

---

[1]) Hom. I. [2]) Lib. III, in Luc. [3]) Epist. ad Eph. Hanc epistolam ad Ephesios scriptam germanum esse sancti illius martyris opus, invictis rationum argumentis inter alios demonstrant Natalis Alexander (hist. eccl. tom. I), Nicolaus le Nourry (Apparat. ad bibl. max. Patrum tom. I), Pearsonius Ep. Cestriensis in suis huj. epist. vindiciis contra Blondellum et Dallaeum.

ratio a plurimis ac gravissimis confirmetur theologis, vg. ab Origene,[1]) a s. Basilio,[2]) s. Hieronymo,[3]) s. Chrysostomo,[4]) s. Ambrosio,[5]) s. Bernardo,[6]) a Ruperto[7]) a s. Joanne Damasceno,[8]) a s. Thoma,[9]) non defuerunt tamen authores et quidem haud ignobiles, quibus illa non multum placuerit, inter quos praesertim Tostatus Abulensis,[10]) Scotus,[11]) Maldonatus[12]) et Natalis Alexander.[13]) „Hanc rationem, inquit Maldonatus, malo libere fateri me non intelligere, quam temere reprehendere. Non, inquam, intelligo, quomodo diabolus Mariae virginitatem, si modo animadvertit, potuerit ignorare, quum integrum et incorruptum corpus, quamvis nuptae, videre posset.“ In eodem fere sensu animadvertit Natalis Alexander: „S. Ignatius hanc affert causam, quam etsi non satis capiam, refellere tamen vereor, quum praesertim illam Origenes, Basilius et Hieronymus approbent.“

Quorum testimoniis innixus desponsationem Virginis umbraculum fuisse censemus adversus daemonem. Sed quomodo? Nonne daemones sunt spiritus omnia perlustrantes? Nonne in angelorum coetu adfuit daemon, qui ipse testatur: „Circuivi terram et perambulavi eam.“[14]) Faciamus ergo, Gabrielis verba ad Virginem nullatenus innotuisse diabolo, nonne acutissimus intellectus optime scire poterat, virginem illam, quae in utero gestavit puerum, omnino esse incontaminatam? Matrimonio ergo non illuderetur! „Diabolus, respondet s. Augustinus,[15]) multa potest virtute suae naturae, a quibus tamen prohibetur virtute divina. Et hoc modo potest dici, quod

---

[1]) Hom. I, in Divers. hom. 6 in Luc. [2]) Hom. de hum. Christi generatione. [3]) In Matth. I. [4]) In Matth. hom. IV. [5]) Lib. de instit. Virg. cp. 6. [6]) Serm. 2 in Laud. Virg. Super Missus. [7]) Lib. II, de victoria Verbi Dei cp. 19. [8]) De orthodoxa fide lib. IV, cp. 15. [9]) In III, q. XXIX, a. 1. [10]) In Matth. cp. I. [11]) In IV dist. 30 q. 2. [12]) In Matth. cp. I. [13]) Expositio literalis et moralis s. Evangelii Jesu Christi secundum 4 Evangelistas p. 11. [14]) Job. II, 2. [15]) De Trinit. lib. II.

virtute naturae suae diabolus cognoscere poterat matrem Dei non fuisse corruptam, sed virginem; prohibebatur tamen a Deo cognoscere modum partus divini.“

Deo ergo volente daemon non advertit; vidit enim illam matrimonii vinculo conjunctam cum s. Joseph ab illoque partum esse credidit. „Sed ad quid, interrogat Scotus, profuit tunc vir? Quantumvis innupta maneret, eadem virtus divina obcaecaret daemonem, ne ex alieno viro Mariam concepisse crederet.“ Suarez et Soto resolutionem petunt ex Virginis innocentia, „quam daemon adeo habuerit cognitam, ut neutiquam suspicari potuisset, eam ex alieno thoro concepisse.“ Si ergo non vidisset Mariam nuptam, censeret, desuper fuisse impletam, non vero ex impudicitia gravidatam; hoc enim sibi formasset argumentum: Concepit extra matrimonium, non ex fornicatione, quia hoc me, fornicationis auctorem, non lateret; ergo concepit de Spiritu sancto.

Callidus Evae deceptor a nova Eva debuit decipi; auctor doli dolo perierit necesse erat. Ideo perpulchrum illud Ruperti Abbatis:[1]) „Illam sponsum habere, Spiritui sancto complacuerat, ut quomodo falsus fuit Saul, quum ungeretur David rex, ita falleretur Herodes, sive habitans in Herode diabolus, in hoc sacramento Regis Domini: acsi diceret in secretis suis: Virum unum de populo accipiat Virgo haec, et sit ei desponsata, ut, dum conceperit et pepererit, dicat, quia virum duxi, quia nuptias celebravi: atque ita sicut Samuelem tunc liberavit immolatio vituli, quasi ob nullam aliam causam in Bethlehem venisset, ita Virginem hanc ob omni quaestione liberet existimatio carnalis commercii.“

Neque alio vergit d. Bernardus[2]) in haec verba erumpens: „Oportebat a principe mundi aliquamdiu celari divini consilii sacramentum, non quod Deus, si

---

[1]) Lib. I, in Matth. [2]) Hom. II, super Missus est — ex offic. ad festum Desponsationis B. M. V.

palam opus suum facere vellet, impediri posse ab eo metueret; sed quia ipse, qui non solum potenter, sed etiam sapienter, quaecumque voluit, fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consuevit: ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostrae videlicet reparationis, non tantum potentiam suam, sed et prudentiam ostendere voluit. Conveniens ergo erat, ut suaviter quoque omnia, coelestia scilicet et terrena, disponeret; quatenus et illinc dejiciens inquietum, reliquos in pace firmaret: et hic debellaturus invidum, nobis prius et suae humilitatis et mansuetudinis valde necessarium exemplum relinqueret, sicque mirabili fieret moderamine sapientiae, ut et suis suavis et hostibus fortis appareret. Quid enim prodesset, diabolum a Deo vinci, nobis manentibus superbis?"

d. Ut a Joseph nutriretur, unde et pater ejus dictus est, quasi nutritius. Hanc considerans dignitatem Isolanus[1]) merito exclamat: „Quantae latebant in sanctissimo Joseph virtutes, quibus Filium Dei educaret, aleret et vestiret; ad varia enim animantium genera alenda atque educanda, omnium corporum coelestium vis occurrit, quas ab Angelis orbium motoribus accipiunt; Joseph autem verbi Dei, per quod coelestes orbes et Angeli conditi sunt et in esse conservantur, enutrivit et aluit. Joseph profecto plus quam Josaba filia Regis Joram fuit, ac in ea praefiguratus est, quae Joas infantem clam nutrivit, ac regem Israel tandem constituit." Solertissimus tutor fuit s. Joseph, fidelissimus ac prudentissimus nutritius. Multis eget aetas illa infirma, quae sola mater convenienter praestare haud valet. Quare s. Augustinus: „Desponsata est Virgo, inquit, ut infantis curam gereret ipse Joseph, sive in Aegyptum iens, sive inde denuo rediens." Quisnam fidelitatem et pru-

[1]) II, p. cp. 4. pa. 2 §. 3.

dentiam ejus digne posset describere, qui pretiosissimum thesaurum tamdiu custodivit anxiosissime ac panem illum viventem, de coelo descendentem tam sibi, quam toti mundo conservavit! Convenientissimum videtur hoc matrimonium

III. ex parte Matris.

a. Quia per matrimonium redditur immunis a poena, „ne scilicet lapidaretur a Judaeis quam adultera," ut s. Hieronymus[1]) dicit. Sed quomodo lapidari potuit, quum ea, quae nondum nupta est, nec adultera esse valeat? Si ergo Virgo innupta electa fuisset mater Domini, ut adultera lapidari non potuisset, tametsi foetum uterum gestans.

Ad tollendam hanc difficultatem quidam asseruerunt, s. Hieronymum de lapidatione infamiae cogitasse. Talem vero sensum s. Hieronymi verbis non convenire, satis apparet. Alii opinabantur, s. Deiparam, si innupta peperisset, lapidatam esse, quia de stirpe Aaron fuerit. Sed hoc falsum; nam b. Virgo non ex tribu Levi, sed ex tribu Juda, ex Aaronis familia erat.[3]) Posito etiam, quod ex tribu fuerit Levi, b. Virgo tanquam filia Sacerdotis propter stuprum non lapidata, sed combusta fuisset. Legitur enim:[4]) „Sacerdotis filia, si deprehensa fuerit in stupro, et violaverit nomen patris sui, flammis exuretur." Difficultatem hanc optime solvit Doctor Angelicus;[5]) nam non solum ea, quae desponsata, committebat adulterium, sed etiam virgo, quae in domo patris custodita fornicabatur, tamquam adultera puniri consuevit. Confirmatur haec opinio ex Deuteronomio:[6]) „Si non est in puella inventa virginitas .... lapidibus obruent (eam) viri civitatis illius et morietur, quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui." Non dicit,

---

[1]) In I. Luc. [2]) In I. Matth.: Quum esset desponsata. [3]) Cfr. cap. VII, ad Hebr. [4]) Levit. XXI, 9. [5]) L. c. in a 1 ad 4. [6]) Deut. XXII, 20.

quia, quum non esset virgo, nupsit virgo et sponsum decepit; sed quia in domo patris sui fornicata est. Quum vero s. Hieronymus dixerit: „Ne lapidaretur ut adultera," terminus „adultera in sensu latiori i. e. pro quacunque muliere vitiata seu pro muliere eidem poenae subjecta, cui subjiciebantur adulterae — sumendus est.

b. Ut per hoc ab infamia liberaretur. Unde s. Ambrosius,[1] „quod desponsata est, ne temeratae virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelae videretur insigne praeferre." Dominus ergo, cui honor et bona fama Matris curae erat, potius Nativitatem suam in dubium vocari voluit, quasi non de Virgine natus esset, quam Matris suae pudicitiam, bene sciens, quam verecunda illa esset. Et quamvis Dominus permiserit, aliquos in eum blasphemare, nunquam tamen de Virgine matre sua hoc permisit, quare de ejus bono nomine summa sua sapientia apud homines curavit.

c. Ut ei a s. Joseph ministerium exhiberetur.[2] Multis enim beatissima Virgo indigebat, quae decenter fieri non poterant, nisi per virum. Erat enim ipsa egens teneraeque aetatis. Unde sicut Dominus in fine vitae suae commendavit eam discipulo, sic nunc per Angelum in sponsam dedit commendavitque justissimo Joseph, custodi fidissimo. „Vides, exclamat ideo d. Chrysostomus,[3] quia Josephus non ad conjugium Mariae erat electus, sed ad ministerium ejus. Eunte illa in Aegyptum et redeunte, nisi desponsata illi fuisset, quis ministerium ei tantae necessitatis impleret? Nam in prima quidem facie Maria puerum nutriebat, Joseph conservabat."

IV. Ex parte nostra hoc conjugium fuit conveniens:

a. Quia testimonio s. Josephi comprobatum est, Christum ex Virgine natum. „Locupletior enim, inquit d. Ambrosius,[4] testis pudoris maritus adhibetur,

---

[1] Super Luc. [2] Super Matth. s. Hieronym. [3] In Matth. hom. 3 in cp. 2. [4] Lib. 7 in Luc.

qui doleret et posset injuriam vindicare et opprobrium, si non agnosceret sacramentum.“ S. Maria si non conjugata peperisset, fructum ejus fructum fuisse Spiritus sancti nullus credidisset, nec tunc quisquam adfuisset, ad quem accusare eam directe pertinuisset. Jam vero quum b. Virgo s. Josephum haberet virum, ille suam prosecutus fuisset uxorem, si conceptum de Spiritu sancto non certissime agnovisset.

b. Quia magis credibilia redduntur ipsa verba Virginis matris virginitatem suam asserentis. Optime igitur d. Ambrosius:[1]) „Fides Mariae, inquit, verbis magis adsciscitur et mendacii causa removetur. Videretur enim culpam obumbrare voluisse innupta mendacio praegnans: causam autem mentiendi desponsata non habuit, quum conjugii praemium et gratia nuptiarum partus sit foeminarum.“ Quasi dicat: Si b. Virgo non conjugata peperisset et se diceret virginem, hoc non videretur fieri, nisi ad excusandum fornicationis peccatum; quum vero conjugii vinculo cum s. Joseph conjuncta cum illo, quin peccarit, copulam habere potuerit, non erat, cur diceret, se esse virginem, nisi hoc verum fuisset; nam sponsus suus optime scivit, utrum esset virgo annon. Nullum sane testimonium hac in re firmius ac certius esse potest proprii mariti testimonio. Unde sicut Thomas Apostolus dubitando et tangendo Resurrectionis Domini, ita s. Joseph dubitando factus est testis sponsae suae virginitatis et integritatis fidelissimus. Mirabile profecto illud s. Bernardi:[2]) „Sicut Thomas dubitando, palpando constantissimus factus est Dominicae confessor Resurrectionis; ita et Joseph Mariam sibi desponsando ejusque conversationem in tempore custodiae studiosius comprobando, factus est pudicitiae fidelissimus testis. Pulchra utriusque rei convenientia, et dubitatio Thomae et dispensatio Mariae. Poterant quidem similis

---

[1]) Lib. 7 in Luc. [2]) Hom. II, super Missus.

erroris laqueum nobis injicere, fidei videlicet in illo, castitatis in illa, veritatem in suspicionem adducere: sed valde prudenter et pie factum est per contrarium, ut unde metuebatur suspicio, firma sit certitudo. Nam et de Filii resurrectione certius quidem ego (qui infirmus sum) crediderim Thomae dubitanti et palpanti, quam Petro audienti et credenti; et de matris continentia facilius sponso ejus custodienti et experienti, quam ipsi quoque virgini de sua sola conscientia se defendenti. Dic enim quaeso, quis eam videns desponsatam et gravidam, non potius diceret temeratam, quam Virginem? Non autem decebat, hoc dici de matre Domini. Tolerabilius vero et honestius fuit putari, Christum de conjugio fuisse natum, quam de fornicatione." Haec Doctor Mellifluus.

c. Ut tolleretur excusatio virginibus, quae propter suam incuriam non vitant infamiam. Virgines, si quando infamarentur, se ipsas consolari potuissent dicentes, etiam beatissimam Virginem de fornicatione infamatam fuisse. „Non vero decuit, scribit s. Ambrosius,[1]) virginibus sinistra opinione viventibus velamen excusationis relinqui, quod infamata mater quoque Domini videretur."

d. Quia per hoc conjugium significatur universa Ecclesia, „quae quum virgo sit, desponsata tamen est uni viro Christo," ut d. Augustini verbis utamur. Ecclesia profecto simul et mater et virgo est: mater quidem propagatione et generatione fidelium, quos aqua baptismi quasi utero suo parturit; virgo autem fidei incontaminatae professione. Quare ad significandum hoc grande mysterium non potuit inveniri magis idonea, quam Maria, quae simul fuerit et virgo et mater. Pulcherrime ad rem animadvertit d. Augustinus[3]) de

---

[1]) Lib. 2 in Luc. cp. 1. [2]) Lib. de sancta Virginit. [3]) Enchirid. cp. 34 n. 10.

Ecclesia: „Imitans ejus matrem quotidie parit membra ejus, et virgo est.“ Et iterum:[1]) „Una Ecclesia unica columba atque in hac virginitate millia Sanctorum.“ Huc quoque spectat s. Fulgentii testimonium:[2]) „Haec, inquit, ecclesia, una et vera catholica, sponsa est, quia inhaeret Christo; mater est, quia foecundatur a Christo; virgo est, quia incorrupta perseverat in Christo. Hujus sponsae nec foecunditate virginitas corrumpitur nec virginitate foecunditas impeditur. Tale namque istius est viri virginisque connubium, ut idcirco ab hoc viro foecundetur haec virgo, quia in hoc connubio nulla unquam potest esse corruptio. Et tanta in hac matre virginitatis perseverat integritas, ut nisi virgo semper esset, mater esse non posset.“ Et paulo ante: „Typice a viro dicitur virginis vocabulum, quia nomen a Christo dicitur Christianum. Christus enim Dei virtus est et Dei sapientia, ex quo est ecclesia, quae virgo in fide et caritate persistens et sapientiam possidet et virtutem.“

Neque aliter loquitur Caesarius Arelatensis:[3]) „Stupemus interdum, inquit, ad magnitudinem novitatis, si quando audimus aut legimus, Dominum Jesum Christum ex sola femina cessante virilis consortii societate progenitum. Ecce nunc, peregrinantibus naturae legibus, innumerae per omnem terram multitudines de solo sinu fontis tanquam partu virginis procreantur. Gaudeat Christi ecclesia, quae ad similitudinem beatae Mariae sancto Spiritu operante, ditatur et mater divinae prolis efficitur. Cesset ergo infidelium coecus error, asserere, quod femina, quae sine viro filium potuit parere, virgo non potuit permanere. Ecce quantos et quantorum fratres sub una nocte nobis edidit foecunda de sinu integritatis ecclesia mater et sponsa! Miraberis paulo ante de incorruptione nascentem hominem; mirare nunc, quod

---

[1]) In Ps. CLXVII. [2]) Epist. III, ad Prolam de virginitate atque humil. cp. V. n. 9. [3]) Hom. III, de Paschate.

non minus novum est, etiam renascentem. Conferamus, si placet, has duas matres et utriusque generatio fidem nostram in alterutra corroborabit. Mariam secreto implevit illapsu sancti Spiritus obumbratio et ecclesiam in fonte benedicto sancti Spiritus maritavit infusio. Maria filium sine peccato genuit et ecclesia in his, quos generavit, peccata consumpsit. Per Mariam natum est, quod in principio erat; per ecclesiam renatum, quod in principio perierat. Illa plurimis generavit, haec populos. Illa, ut novimus, virgo permanens, semel peperit filium, haec semper parit per virginem sponsum."

e. Deipara fuit desponsata et virgo, quia in persona ipsius et virginitas et matrimonium honoratur. Speciosissimo hoc matrimonio confundebantur Manichaei nuptias damnantes nec non illi, qui solas virgines salvari posse asserere audebant. Unde d. Basilius:[1] „Virgo erat et viro desponsata et apta conjugali officio obeundo putata, ut et virginitas in honore ante omnia haberetur et matrimonium non propterea improbaretur." Christus sibi matrem elegit, quae virgo simul et desponsata erat; numquid clarius potuerit approbare matrimonium?

Ex usque modo disputatis, praeclarissimum beatissimae Virginis et s. Josephi matrimonium convenientissimum fuisse, ex quacunque parte illud consideremus, luce clarius patebit.

§. 4.

Matrimonium beatissimae Virginis cum s. Joseph **perfectissimum** fuit.

Quaestionem de matrimonii Mariani convenientia alia quaestio, de ejus scilicet perfectione, excipit. Neque illam silentio praeterire juvabit, praesertim quum non-

---

[1]) Hom. in sanctam Christi generationem.

nulli Patres in suis hac de re disputationibus prima fronte inter se discrepare videantur, hoc matrimonium modo perfectum, modo imperfectum fuisse censentes. De relatione copulam seu commixtionem carnalem inter et matrimonium existente, quum jam supra fusius disseruerimus, quae sequuntur, subjungere liceat.

Triplicem in matrimonio distinguere possumus perfectionem: substantiae nempe, significationis et finis. Matrimonii substantia seu essentia in mutuo ad corpora consensu per verba de praesenti vel per signa aequipollentia expresso consistit. Secundum substantiam perfectum fuisse matrimonium, de quo nobis sermo, nemo est, qui ignoret vel in dubium revocare audeat. Data enim est et utrimque accepta corporum potestas, datumque dominium directum ipsorum, quamvis ex mutuo consensu a dominio utili, quoad usum copulae, imo et a consensu explicito in illam fuerit separatum.

Quod ad significationis perfectionem attinet, huic matrimonio quidem aliquid defuit, quippe quod non utramque Christi cum Ecclesia unionem significet. Duplex illa distinguitur unio: una per gratiam et charitatem, altera per carnem. Illa est essentialis et significatur etiam per matrimonium ratum, haec vero accidentalis nec significatur nisi per matrimonium consummatum, in quo fit unio per carnem. Quamvis matrimonium Marianum unionem significet per charitatem, non tamen unionem per naturam. Ast hac significatione naturali seu accidentali non oportebat; nam coitus ex vi actus matrimonii necessarius non fuit. Conjugium quidem directe ad procreandam prolem instituitur, sed si illa haberi potest sine coitu, uti hic contigit, tunc matrimonium multo fiet honestius. „Haec enim, inquit s. Augustinus,[1]) beatiora conjugia judicanda sunt, quae sive filiis procreatis, sive ista etiam terrena prole contempta,

[1]) De serm. Domini in monte lib. II.

continentiam inter se pari consensu servare potuerunt." Alia ratio, quare significatione accidentali matrimonium Marianum non oportuerit, ex eo desumitur, quod in illo matrimonio, uti Estius[1]) optime animadvertit, „res ipsa fuerit exhibenda, scilicet Christi Incarnatio, per quam Ecclesiae secundum naturam conjungitur." Verumtamen hunc significationis defectum in illo sanctissimo conjugio supplevit et abunde satis compensavit alia quaedam significatio, quae ceteris omnibus deest conjugiis: qua nimirum Ecclesia virgo et incorrupta Christi sponsa eademque mater significetur.

Si finis denique et quidem finis ultimus (de fine propinquo i. e., de copula carnali jam loquuti sumus) consideratur, hac ratione conjugium Marianum absque ulla dubitatione fuit perfectissimum. Finis enim ille non erat prolis ex mutuo concubitu susceptio, sed prolis Spiritus sancti obumbratione in utero beatissimae Virginis formatae procreatio et educatio nec non altissimi mysterii occultatio. Quemadmodum enim olim sancta sanctorum velo quodam pretiosissimo ex hyacintho, purpura et bysso confecto pulcherrimaque varietate contexto abscondebatur, ita ante sanctissima illa Incarnationis mysteria sacrum conjugium veluti velum ex omnium virtutum varietate Spiritus sancti opere compositum Deus collocari voluit.

Finis hujus conjugii erat porro pudicitiae b. Virginis, honoris et virginitatis protectio. Omnia vero illa sanctissimi hujus matrimonii dignitatem mirum in modum commendant. Dum caetera matrimonia ad destruendam virginitatem conjugum ordinentur, istud mirabili Dei dispensatione institutum fuit ad eam conservandam et protegendam. „Sicut vinum, inquit pulcherrime Gonet,[2]) quod teste Apostolo luxuriae incentivum est, in Eu-

[1]) In IV Sent. Comment. dist. XXX, §. 10. [2]) Clypeus theol. scholast. tom. V. disp. IV, de matrimonio.

charistia sit virginitatis germen et remedium contra luxuriam, unde vinum germinans virgines a propheta appellatur: ita matrimonium, quod est infensissimus virginitatis hostis ejusque ruina et perditio, in mysterio Incarnationis et in castissimo Josephi et Mariae connubio columen et integritatis protector effectum est.“

Praeter hanc triplicem matrimonii perfectionem etiam charitas mutua inter conjuges conjugio aliquam attribuit perfectionem. Haec charitas eo major eoque purior resplendet, quo minus fuerit permixta amore carnali. Quare Hugo a Sto Victore[1]) disserens de illo debito, quod vir mulieri et mulier viro non debeat negare, perbelle ita loquitur: „Sed hujus debiti necessitas illos conjugatos sibi ad invicem non subjicit, in quibus dum conjugium contraheretur vel sanciretur, hujus operis consensus non praecessit. Nec tamen hoc officio cessante veritatem sive virtutem conjugii cessare credendum est, imo potius tanto verius et sanctius conjugium esse, quod in solo charitatis vinculo, et non in concupiscentia carnis et libidinis ardore foederatum est. Quid enim? In concupiscentia carnis conjugium sanctum esset, et in charitate non esset? Absit! Sed multo verius et justius ibi sanctum et verum dicitur, ubi nihil habet castitas, unde erubescat, sed charitas, unde glorietur. . . . Nonne multo magis est, si duo fiant unum mente, quam si carne unum fierent? Si participem facit alter alterum carnis suae, et sanctum esse potest; participem facit alter alterum animae suae et sanctum non est? Absit! „Erunt duo in carne una, Sacramentum hoc magnum est in Christo et Ecclesia.“[2]) Erunt duo in corde uno: Sacramentum hoc majus est in Deo et anima. Ecce quo pacto se voluntarie sponsione astringunt, ut abhinc deinceps semper in omni sinceritate dilectionis, in omni cura sollicitudinis, in omni affectu pietatis, in omni studio compassionis, in

---

[1]) De B. Mariae Virginitate libellus epistolarius. [2]) Eph. V, 31.

omni virtute consolationis et fide devotionis, hoc uterque sit alteri, quod ipse sibi, ut quisque alterum quasi unum secum factum attendat, tam in bonis, quam in malis omnibus, sicut consolationis socium ac participem, ita et tribulationis et sufferentiae indivisum exhibeat. . . . . . . Haec sunt bona conjugii et felicitas castam societatem amantium, quae bona videre non possunt ii, qui in conjugio nil praeter male dulcem carnis voluptatem exquirunt. Ecce vides (excepto carnis commercio), qualia tamen et quanta bona conjugio relinquuntur: imo potius (excepto carnis commercio) qualia et quanta mala i. e. qualis servitus et quantus dolor a conjugio excludantur.“

Sed, ut ad beatissimae Virginis et s. Josephi matrimonium considerandum redeamus, qualis ardentissima charitas, qualisque amor in eo elucet purissimus? Ubinam reperies matrimonium, etiam hac ratione illi comparandum? Amorem hic mireris purissimum. Uterque enim voto virginitatis astrictus eodem ardet amore, quo angeli flagrant in coelis. Josephus Mariam plus quam se ipsum diligit, omnibus eam praeferendo thesauris ac divitiis; Maria in s. Josepho amat patronum, suae virginitatis defensorem ac prolis nutritium. Nec fructus, non quidem ex hoc matrimonio, sed in eo natus, defuit. „Omne enim, inquit d. Augustinus,[1]) nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi: proles, fides, Sacramentum.[2]) Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum

---

[1]) De nuptiis lib. I, cp. 11. [2]) Terminus „Sacramentum“ dupliciter usurpatur:

a. In sensu improprio, quatenus cujuslibet rei sacrae signum sacramentum lato modo dicitur;

b. in sensu proprio, quatenus signum practicum et efficax gratiae sanctificantis, vere et proprie Sacramentum est.

Notandum ergo, quod s. Augustinus loco citato matrimonium inter Joseph et Mariam in sensu latiori et improprio appellet Sacramentum, quia secundum communem sententiam (Ambrosius Catharinus opusculo de matrimonio et Launoius lib. de regia potestate in matrim. p. 1 a. 2 cum nonnullis aliis asserunt, matri-

Christum; fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divortium."

„O conjugium verum et sanctum, conjugium coeleste, non terrenum, exclamamus cum Ruperto;[1]) quomodo enim, vel in quo conjugati fuerunt? Nimirum in eo, quod unus Spiritus et una fides erat in eis." Admirandum profecto eximium hoc inter s. Deiparam et s. Joseph conjugium, cui omnia alia cedere debeant conjugia. Eo

---

monium in lege naturae et scripta fuisse verum Sacramentum), matrimonium ante Christum contractum proprie Sacramentum non fuit; in sensu vero latiori potuit ita nominari, quia matrimonium in ipso innocentiae statu conjunctionem Christi cum Ecclesia significavit, uti elucet ex Gen. II, 23 sq: „Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea. . . . . . Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una." In quae verba s. Hieronymus ad Eph. cp. 5: „Primus homo, inquit, et primus vates Adam hic de Christo et de Ecclesia prophetavit." Neque aliter loquitur d. Augustinus (de Gen. ad lib. IX, cp. 19.): „Evigilans Adamus ex extasi tanquam prophetiae plenus; quum ad se adductam costam mulierem suam videret, eructavit continuo, quod magnum Sacramentum commendat Apostolus: „Hoc nunc os ex ossibus meis." Quare Catechismus Romanus (p. II, §. XXII, sq.) de illis matrimoniis sese ita exprimit: „Quantum matrimonii Sacramentum iis matrimoniis praestet, quae ante vel post legem iniri solebant, ex eo licet cognoscere, quod etsi gentes matrimonio divini aliquid inesse arbitrabantur atque ob eam rem vagos concubitus a naturae lege alienos esse, itemque stupra, adulteria et alia libidinis genera vidicanda esse judicabant, tamen eorum connubia nullam prorsus Sacramenti vim habuerunt.

Apud Judaeos vero religiosos omnino nuptiarum leges servari consueverant neque dubitandum, quin eorum matrimonia majori sanctitate praedita essent. Quum enim promissionem accepissent, fore aliquando, ut omnes gentes in semine Abrahae benedicerentur, magnae apud eos pietatis officium merito esse videbatur, filios procreare, electi populi sobolem, ex qua Christus Dominus Salvator noster, quod ad humanam naturam attinet, ortum habiturus esset, propagare, sed illae quoque conjunctiones vera Sacramenti ratione caruerunt."

[1]) Super I. Matth.

enim majus conjugium, quo majores sunt conjuges. In beatissima vero virgine et in ejus sponso castissimo summa nobilitas naturalis et supernaturalis, perfectissima pulchritudo, opes gratiarum nec non virtutum omnium resplendent thesauri. Sanctissimi hi conjuges inter omnes creaturas primum post Deum tenent dignitatis locum; Spiritus sanctus nuptiis suis dignatus est Mariam sibique substituit s. Josephum. Praeclarissimum videtur matrimonium, quia virginitate floruit, virginitatem protulit et virginitas incontaminata prolem produxit mirandam. Adimpletum videmus hoc in matrimonio duobus virginitatis votis, quasi fulgentissimis pyropis, exornato, illud Isaiae:[1]) „Habitabit juvenis cum virgine et gaudebit sponsus super sponsam.“ Hic non caro carnaliter tetigit carnem, sed Deus Pater Virginis infudit visceribus Sapientiam suam, quae et in Virgine Matre carnem assumens beatissimam suam Matrem servavit incontaminatam.

Cap. III.

DE TEMPORE DESPONSATIONIS.

Sacrae Scripturae, licet verum ratumque inter beatissimam Virginem et s. Joseph extitisse matrimonium doceant, de circumstantiis tamen temporis similibusque nil prorsus tradunt. Quare in tractandis his quaestionibus, quas, quum de Matre Dei ac de Spiritus sancti Sponsa agatur, nullus parvi credat faciendas, ad ss. Patrum sententias recurramus necesse erit. Loquamur ergo

1. de aetate, qua b. Virgo nupserit — de aetate s. Josephi tempore desponsationis postea sermo erit — et respondebimus

---

[1]) Is. LXII, 5.

2. ad quaestionem illam diu et praesenti adhuc tempore inter Doctores nimis disputatam: „Utrum nempe b. Virgo tempore Annuntiationis cum s. Joseph sponsalia tantummodo, an matrimonium verum et ratum contraxerit.

1°: Quanam aetate beatissima Virgo nupserit.

Triplex potissimum hac de re existit inter catholicos sententia. Prima, a Cajetano[1]) proposita et protecta, asserit, beatissimam Virginem aetatis circiter viginti quinque vel ad minus octodecim annorum fuisse, quum hoc matrimonium inierit. Sed nullo alio fundamento haec sententia nititur, nisi quia conveniens fuisse censetur, ut Christus perfecto corpore ex Virgine nasceretur. Quum in s. Deipara Virgine juxta Cajetanum[2]) fuerit omnis congruentia tam ex parte naturae, quam ex parte gratiae ad hoc, ut Mater Dei fieret, credendum est, quod in tali aetate Deum concepit, qua perfecta fuit in statu et quantitate corporis, ut tantum donum non solum esset datum optimum, sed donum perfectum et perfectissimo modo in tali aetate datum: item etiam, quia ex corpore b. Virginis debebat formari corpus Christi perfectissimum secundum naturam. Debuit ergo Virginis corpus esse perfectissimum secundum naturam ad generationem: sed corpus non est perfectissimum secundum statum ante viginti quinque annos.

Contra hoc dicendum, omnia praeter et supra naturae cursum facta esse in casu nostro nec minime ad gignendum tam matura oportere aetate. Repugnat haec opinio praeterea consuetudini, quam Judaei in contrahendis sequebantur matrimoniis. „Praecocissima erant, inquit

---

[1]) In I Luc. cap. ad verba: „ad virginem desponsatam." [2]) Cfr. Morales. l. c. lib. II, tract. IV. n. 5.

Calmet,[1]) apud Hebraeos connubia: virorum aetas a rabbinis praescribitur 18 annorum, quam aetatem si quis celebs exegerit, ille criminis reus est, praeceptum illud Dei ad primos homines transgressus: „Crescite et multiplicamini.“ Liberum tamen cuique, aetatem illam praevenire. Quod ad puellas attinet, citissime quidem sponsalibus obligabantur; nuptiae vero tamdiu dilatae, quamdiu pubertatis, quam vocant, aetatem, nempe duodecim annorum et unius quoque diei[2]) non absolvissent.“

Secundam sententiam proposuit d. Augustinus in libro de mirabilibus sacrae Scripturae exponens, beatissimam Virginem duodecim annos natam matrimonium cum s. Joseph contraxisse; quia „aetas legitima ad contrahendum matrimonium in puella sit duodecim annorum, maxime in b. Virgine, quae ab utero matris usum rationis habuit et in infantili aetate corporis fortitudine pollebat; tum etiam, quia quum Christi conceptio opus esset perfectissimi artificis ac infinitae virtutis, nempe Spiritus sancti, non videbatur major aetas ad gignendum.“ [3])

Juxta tertiam sententiam communiorem et receptiorem b. Virgo tempore desponsationis quatuordecim habuit annos. „Ex multis, inquit Saxius,[4]) quos legi, scriptoribus, fere omnes in hac sententia sunt.“ Beata Virgo tamquam trimula oblata in templo, undecim annos ibi mansit; anno autem aetatis suae decimo quarto s. Josepho fuit tradita et post quatuor menses Angelo nuntiante Christum Dominum concepit et peperit. Ita

---

[1]) Dissertatio de connubiis Hebraeorum. [2]) Seldenii uxor hebraica lib. II, cp. 3 pag. 100: „Puella usque ad annum duodecimum diemque insuper unicum (anni heic nec solares nec lunares, sed civiles et ad intercalandi rationem putabantur), minor nuncupabatur, nisi manifesta praeproperae pubertatis signa nomen juvenculae forte anticipassent. Per sex qui sequuntur menses juvencula dicta est; dein pubertatis erat plenae. [3]) Cfr. Morales l. c. lib. II, tr. IV. [4]) De laud. Mariae tom. I.

referunt ex Evodii epistola, quae vocata est Lumen, Nicephorus,[1]) s. Gregorius Nyssenus, s. Hieronymus,[2]) s. Bonaventura,[3]) Suarez.[4]) Pro hac annorum computatione citatur etiam Eusebius[5]) disserens: „Pie creditur, virginem annos vixisse sexaginta tres. Quare corona, (quam vocant), in ejus laudem ter et sexagies ducta atque recitata, Angelica salutatione clauditur. Creditur enim, Christo annis quindecim matrem fuisse superstitem: quibus cum Christi aetate connumeratis restat, fuisse puellam annorum quatuordecim, vel paulo amplius in Conceptione Christi."

At Evodii epistola nonne spuria fabulisque repleta? Quomodo ergo tanti eam facere illaque hanc niti sententiam? Quamvis res quasdem contineat apocryphas, nullatenus inde sequitur, quod omnino sit rejicienda totaque fides illi deneganda. Evodius immediate successit Apostolis ideoque per traditionem optime scire potuit, quae ad b. Virginis praesentationem et desponsationem attinebant. Huc accedit, quod ejus epistola ab eruditissimis et sapientissimis citetur patribus.

Dicitur porro contra hanc sententiam, Rebeccam Isaaco[6]) nubentem et Abisag Sunamitidem ad regem David adductam[7]) viginti circiter fuisse annorum. Item Ruth Moabitis a Booz „puella" vocata erat annorum ad minimum viginti quinque. Ergo nil vetat asserere, s. virginem, dum s. Josepho nuberet, annos aetatis suae quatuordecim excessisse.

Ad hanc difficultatem sibi propositam Sedlmayr[8]) ita respondet: „Per se loquendo nihil obest, quominus puella nubilis non statim anno decimo quarto nuptui tradatur, quia varia obstacula esse possunt, quae impediunt, quominus annus decimus quartus observetur, sed

---

[1]) Histor. lib. II, cp. 3. [2]) In hist. de ortu Mariae. [3]) In Medit. cp. 3. [4]) Tom. II, in III, p. q. XXIX, a. 1. [5]) In Chronico tom. II. [6]) Gen. XXIV. [7]) 3, Reg. I. [8]) L. c. n. 8.

nuptiae differantur; id tamen etiam verum manet, quod quum puella decimo quarto anno sit nubilis, possint fieri nuptiae et de more veteris testamenti hoc tempore, si aliud impedimentum non obstiterit, hae factae sint. Ergo quia impedimentum non noscitur circa beatam Virginem et aliunde Deus tam vehementibus precibus imploratus fuerit, ut negotium Incarnationis, quod nuptias requirebat, acceleraret, ideo hae ultra decimum quartum annum non fuerunt protensae." Sed haec hactenus de tempore, quo s. Deipara in matrimonium data fuerit s. Josepho. Quaeritur

2°: Utrum beatissima Virgo, quum Angelus illam allocutus sit, sponsalia tantummodo, an matrimonium verum et ratum cum s. Joseph contraxerit.

Quaestionem hanc gravissimae esse difficultatis, nemo infitiabitur. Non scholastici solum theologi, sed et Patres ipsi in ea exponenda inter se dissident. Afferamus primo argumenta eorum, qui b. Virginem promissione tantummodo matrimonii s. Josepho devinctam esse contendunt; dein argumenta eorum, qui s. Deiparam cum s. Joseph matrimonii vinculo junctam fuisse arbitrantur, quum Angelus apparuit.

Sentent. I:

Beatissima Virgo non nisi sponsalia seu matrimonium de futuro contraxerat tempore Annuntiationis.

Sententiae huic suffragantur inter alios s. Hilarius,[1]) s. Basilius,[2]) s. Epiphanius,[3]) porro Baronius,[4]) Tostatus

---

[1]) In Matth. cp. I. [2]) Hom. de hum. Christi generatione. [3]) Haeres. LXXVIII. [4]) In Apparatu ad annal. eccl. n. 55.

Abulensis,[1] Calmet,[2] Petavius,[3] Lamy,[4] Patritius[5] et e Protestantibus Montacutius,[6] Basnagius,[7] Spanhemius[8] etc.

Probatur I. ex s. Scriptura.

1. Ex Evangeliis s. Matthaei et s. Lucae clarissime patet, Mariam, quum Angelus advenit, sponsalia solummodo inivisse. „Quum esset **desponsata,** inquit s. Matthaeus,[9] mater ejus Maria Joseph, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.“ Et s. Lucas:[10] „Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad virginem **desponsatam** viro, cui nomen erat Joseph.“ Ergo Maria ante Gabrielis legationem cum s. Joseph nondum erat nupta, sed tantum sponsione promissa seu desponsata.

2. S. Josepho ob compertam Mariae graviditatem persollicito reposuit Angelus:[11] „Joseph, fili David, noli timere **accipere** Mariam conjugem tuam.“ „Noli timere accipere;“ ergo non acceperat. Textus igitur intelligi debet hoc modo: „Noli timere accipere Mariam **in** conjugem tuam. Legitur porro ibidem:[12] „Exurgens autem Joseph a somno . . . ., **accepit** conjugem suam“ *παρελαβε την γυναικα αυτου.* Quam si jam habuisset, accipere non debuisset.

„In his Matthaei verbis, scribit Patritius,[13] quaestionis hujus nostrae quasi cardo versatur.“ Subjungit dein celeberrimus author, qui distinctioni a textu biblico inter tempus, quo Deipara desponsata quoque ut conjux accepta fuerit exhibitae insistit: „E Patribus aliisve priscis scriptoribus, qui hac de re mihi omnimodis adversari putandus sit, vix aut ne vix quidem invenias;

---

[1]) Commentaria in Matth. Evang. cap. I. [2]) In Com. ad Matth. [3]) De Incarn. l. XIV. cp. 3 n. 10. [4]) Harmon. in Evang. cp. 3 et 8. [5]) De prima Angeli ad Josephum Mariae Sponsum legatione Commentatio Romae 1876. [6]) In Appar. ad Orig. Eccles. app. IX. [7]) Annal. tom. I. [8]) Dub. Evang. p. I, dub. 28 n. 22. [9]) I, 18. [10]) I, 26 sq. [11]) Matth. I, 19. [12]) Matth. I, 24. [13]) L. c. cp. III; pag. 24.

qui vero, praecipua saltem ex parte, assentiantur, non paucos. Quod ut liqueat, animadvertendum est, ut hi de Mariae et Josephi conjugio loquantur, non secundum morem, qui Hebraeis erat, sed qui nobis est, in connubiis jungendis, quodque consequens est, pro uno atque eodem habeant „accipere uxorem“ et „ducere uxorem,“ quae duo tamen Hebraeis distincta erant ac separata. Ceterum hisce Patribus et scriptoribus mecum de duobus convenit, quae satis mihi sunt. Unum est illud Matthaei verbum *παρέλαβε* „accepit“ haudquaquam item in hoc loco valere ut „non dimisit“ vel „retinuit“ vel „servavit“ vel aliud quid horum simile, sed in suam sibi propriam notionem esse accipiendam. Alterum est a Matthaeo narrari Josephum non prius; sed post illud somnium egisse id, quod verbo *παρέλαβε* „accepit“ proprie significatur.“ Hactenus Patritius.

3. Ad stabiliendam hanc sententiam allegantur sequentia quoque s. Matthaei[1]) verba: „Joseph autem vir ejus, quum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.“ S. Joseph videns b. Virginem praegnantem et sciens, quod ipse non cognovisset eam, noluit eam traducere i. e. ducere de domo paterna in domum suam (ac nuptias cum illa celebrare) seu in potestatem accipere. „Iste est vero modus loquendi jurium antiquorum, inquit Tostatus Abulensis,[2]) quod ad hoc, quod matrimonium sit legitimum, mulier debet esse viro tradita et ab eo traducta. Et istud est accipere eam proprie, quantum ad potestatem.“ „Haec uxoris „acceptio“ ritus erat, docet Patritius,[3]) quo, ut ita dicam, sanciebatur jus utendi uxore jam ducta. Qui de matrimonii Hebraeorum agunt, hunc ritum vocare solent „deductionem“ uxoris, sed non satis apte. Ritus enim istius caput non in eo erat, quod vir uxorem, quam duxerat, de paterna hujus domo in

---

[1]) Matth. I, 19. [2]) In evang. Matth. [3]) I. c. pag. 8 n. 7.

suam deduceret, etsi plerumque tunc, quum hoc fiebat, peragi is ritus soleret; sed peragi poterat etiam in ipsius uxoris aedibus ea nondum inde deducta, vel in aliis, in quibus eam vir duxerat.[1]) Aptius huic rei significandae, quodque ad id in Bibliis latine versis adhibitum legimus, est nomen „nuptiae," ex ea tamen solummodo parte, qua significans convivia ceteraque laetitiae atque hilaritatis signa apud nos in uxoribus ducendis apud Hebraeos in accipiendis exhiberi solita, potest quoque, quum de Hebraeis loquimur, uxoris acceptae, non secus ac in nostro sermone uxoris ductae, notionem implicite complecti."

Traducere ergo significat l. c. accipere per nuptias. Nolebat s. Joseph copulari cum s. Deipara, quae videretur adultera, praeferebatque eam dimittere; accipiendo enim praebuisset illi occasionem alia patrandi crimina, quum prius permisisset inultum.

4. Aliud s. Scripturae argumentum ex eo desumitur, quod b. Virgo, si matrimonio jam juncta fuisset, iter ad Elisabetham visitandam suscipere non potuisset sine licentia viri sui minime petita. Porro s. Joseph tunc non permisisset, ut sola tam longinquum tamque arduum faceret iter, sed eam comitatus fuisset. At ille Mariam ad Elisabetham euntem non comitatus est, ergo matrimonium nondum erat contractum. Probatur

II. ex autoritate Patrum.

B. Virginem Gabriele apparente non nuptam, sed desponsatam seu vinculo sponsalium tantummodo astrictam nonnulli Patres expresse contendunt, alii vero Mariam aliquando Josephi uxorem fuisse negant. Audiamus Origenem[2]) de futura Josephi uxore loquentem: „Qui (nempe s. Joseph) pene licentia maritali, licet eam non contingeret, futurae tamen, ut putabatur, uxoris, omnia noverat." Consonat testimonium Tertulliani:

---

[1]) Seldenii uxor hebraica II, 8. [2]) Hom. I, in diversos.

„Agnosco, inquit,[1]) et angelum Gabrielem ad Virginem missum. Sed quum benedicit illam, inter mulieres, non inter Virgines deputat „Benedicta tu inter mulieres.“ Sciebat et Angelus mulierem etiam Virginem dici. Sed et ad haec duo ingeniose quidam respondisse visus est: quoniam quidem desponsata est Maria, idcirco et ab Angelo et ab Apostolo mulierem pronuntiatam: desponsata enim quodammodo nupta.“

D. Hilarius,[2]) praestantissimus Ecclesiae Doctor, haec refert: „Igitur, ne qua de partu ejus ambiguitas existeret, ipse (Josephus) concepti de Spiritu sancto Christi testis assumitur, dehinc (Maria), quia desponsata erat, in conjugem recipitur.“

Neque aliter loquitur celeberrimus ille Hierosolymorum antistes, s. Cyrillus,[3]) qui Deiparam desponsatam Josepho tantum habuit, quum Angelus apparuit: „Sicut enim illa (nempe Rachel) ante nuptiarum sanctionem propter solam, quae intercesserat, promissionem Jacobi uxor appellabatur, sic et Maria propter desponsationem uxor Josephi dicta fuit.“

Quibus addantur s. Basilius et s. Gregorius Nyssenus, quorum ille[4]) de b. Virgine: „Et virgo et viro desponsata, inquit, habita est idonea ad hujus dispensationis ministerium.“ Nyssenus[5]) vero Deiparam ita interrogantem inducit: Quomodo sine viro mater ero, Josephum enim Sponsum novi, sed virum non cognosco?“

Plenissime consentiunt s. Hieronymus[6]) et s. Epiphanius.[7]) „Quum virum audieris, docet s. Hieronymus, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri et sponsae

---

[1]) De Virgin. velandis cp. VI. [2]) In Matth. can. I. [3]) Catech. XII. [4]) In hum. Christi generat. n. 3. [5]) Orat. in die nat. Christi. [6]) Ad verba: Virum Mariae, de qua natus est Jesus. [7]) Haer. LXXVIII n. 8.

uxores vocantur." S. Epiphanius animadvertit: „Quum esset desponsata Maria, non dicit, quum nupsisset."

Huc accedit etiam testimonium s. Gregorii M.[1]) ita scribentis: „Dominus Mariam habere sponsum voluit, qui tamen ad ejus nuptias non pervenit." Simili modo s. Augustinus:[2]) „Concepit Virgo, antequam sponsum haberet; parit, antequam nubat."

Neque dissonat s. Chrysostomus[3]) ita docens: „Conjugem vero hic sponsam vocat, quemadmodum et generos vocare solet Scriptura sponsos ante nuptias." S. Chrysologus[4]) Josephum vocat „maritum solo nomine, conscientia sponsum;" dum s. Bernardus[5]) eum virum nominat „non quia maritus, sed quod homo virtutis erat."

III. Ex ratione:

Juxta hujus opiniones patronos magis convenit sapientiae Dei, Mariam, quum eam invisit Angelus, fuisse desponsatam, non vero nuptam. „Neque enim decebat, inquit Lamy,[6]) Mariam subjacere imperio mariti et una cum eo versari, cui prius non innotuisset, eam a Deo matrem Christi electam esse. Mysterium autem illud non illi ante patefaciendum fuerat, quam sponsa domum ejus deducenda, ut nuptiae a suspicione criminis virginem defenderent simul, et virgineum partum tegerent. Desponsanda quidem Maria viro, sed donec ille rem omnem esset edoctus, congruebat, ut interea ab eo abesset post desponsationem per aliquod tempus ante nuptias complendas. Quo constare poterat neutiquam rem habuisse cum sponso; nam mos consuetus erat in Galilaea, in qua Maria habitabat, ut ante deductionem nec hora unica sponsus cum sponsa moraretur, ut indicat locus Gemarae Babylonicae ad titulum Cethubo." Hactenus Lamy.

---

[1]) Hom. 26 in Evang. [2]) De Natali Domini orat. 13. [3]) Hom. IV. in Matth. n. 6. [4]) Serm. 175 n. 10. [5]) Super Missus hom. II. n. 15. [6]) Harm. lib. I. cp. VIII.

Sentent. II:

B. Virgo, quum Angelus apparuit, matrimonium ratum cum s. Joseph inierat.

Beatissimam Virginem vinculo matrimoniali cum s. Joseph junctam fuisse, antequam ab Angelo salutaretur, docent inter alios s. Chrysostomus,[1] s. Ambrosius,[2] s. Bernardus,[3] s. Chrysologus,[4] s. Thomas;[5] sicuti ex recentioribus Graveson,[6] Gottus,[7] Benedictus XIV.,[8] Billuart,[9] Lazerda,[10] Maldonatus,[11] Estius,[12] Cornelius a Lapide,[13] Tillemontius,[14] Trombellius[15] etc.

Probatur hujus sententiae veritas

I. argumentis positivis et

II. argumentis negativis i. e. difficultatum, quas proponunt contrariae sententiae patroni, solutione.

Ad I. 1. Testantibus ss. Patribus (inter quos nonnulli, qui nobis hic adversantur), Christus Dominus ex virgine nasci voluit uxorata, ut partus celaretur diabolo,[16] dum eum non de virgine, sed aliorum hominum more de conjugata natum fuisse putat. Haec s. Ignatii ratio esset prorsus nulla, matrimonium cum s. Joseph si post reditum s. Deiparae ab Elisabeth contractum fuisset. Tunc sine ulla dubitatione diabolo partus virginis innotuisset videndo eam praegnantem. Sed quum beatissimae Virginis castitatem optime cognovisset, quare ne minimum quidem de stupro exoriri potuerit dubium, conceptum illum Virgini, non vero s. Josepho, quocum tantummodo

---

[1]) In Matth. V, hom. 4. [2]) In Luc. I. [3]) Super Missus hom. II. [4]) Serm. 175. [5]) III, p. q. XXIX, art. 2 ad 3. [6]) De mysteriis et annis Christi dissert. I. [7]) De veritate religionis Christianae p. I, tom. IV, cp. 4. [8]) De festis B. Mariae Virginis cp. 3 n. 5. [9]) L. c. a. 5. [10]) Maria Effigies, Academ. XXIV, sect. II. [11]) Comment. in Matth. I. 18. [12]) In Lib. IV. sent. dist. 30 §. 8. [13]) In Matth. cp. I. [14]) Memoires pour servir à l'histoire ecclésiastique tom. I, pag. 461 note VIII. [15]) Mariae sanctissimae vita etc. tom. II, diss. XI, cp. II. [16]) Recole dicta pag. 272 sqq.

sponsalia inierat, tribuisset nec eum latuisset, ex ea nasciturum esse Messiam tamdiu tamque ardenter desideratum. Et tamen docente s. Ignatio Dominus adventum suum celare voluit diabolum, „ne impediret, inquit s. Ambrosius, ejus mortem, qua erat redempturus mundum.“ „Nemo principum cognovit; si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.“ Si ergo matrimonium procrastinatur usque ad s. Deiparae reditum ab Elisabetha, s. Ignatii textus per tot tantaeque auctoritatis patres semper propugnatus vix ac ne vix quidem explicari potest. Matrimonio ê contra ante Angeli legationem admisso, s. Martyris verba clarescunt.

2. Alteram rationem suppeditat Doctor Angelicus expresse dicens,[1]) Christum Dominum ex virgine nupta nasci voluisse, ut per matrimonium a b. Virgine cum s. Joseph contractum, suo et matris suae honori consuleret. Haec ratio, quonam modo stare poterit cum sententia illorum, qui matrimonium usque ad b. Virginis reditum differunt? Si s. Deipara ante visitationem s. Elisabethae praestitam matrimonium non inivisset, honori ejus profecto non satis fuisset consultum, quippe quam vicini vidissent gravidam. Quid suspicati fuissent parentes, filiam suam nondum nuptam in tali statu aspicientes? Quomodo eam nuptui dare ausi fuissent, quum lex[2]) praescripserit: „Si sponsa non inveniebatur virgo, ejicient eam extra fores domus patris sui et lapidibus obruent viri civitatis illius et morietur, quoniam fecit nefas in Israel.“ Imo jure optimo interrogari potest: Numquid ausa fuisset Maria, gravidam sese praesentare s. Josepho ad matrimonium cum illo contrahendum? Sed ponamus, b. Virginem ad parentes reversam concivium suorum rumores declinare potuisse eo, quod uterum celaverit tumentem, rumores hos nunquam potuisset

[1]) III, p. q. XXIX, a. 1. [2]) Deut. XXII, 21.

vitare, si sex mensibus post nuptias elapsis peperisset. Talis partus inauditus ac insolitus certissime stupri procreasset suspicionem. Irrisus est Augustus, quum tres tantum menses post matrimonium cum Livia initum, eadem Livia edidit filium; quare patrem jocose dixerunt felicem, cui tam celeriter nascerentur liberi. Quomodo hostes isti infensissimi Virginem ejusque filium post sex a matrimonio contracto menses natum ignominia cumulassent et ludibrio? Nonne illum pronuntiassent illegitimum et spurium?

Respondet Lamy, Deum honori beatissimae Virginis ejusque proli eo prospexisse, quod illa statim post Angeli apparitionem ad Elisabetham profecta sit. „Reddita vero paternae domui seu, si vis, aedibus Josephi, cui fuerat desponsata, eidem Josepho ab Angelo in somnis monito statim nupserit, nemine tumentem ventrem observante, tum quia cautissime incedebat Virgo et ab hominum consortio remotissima erat, tum etiam, quia trium priorum mensium spatio in gravidis intumescere non solet venter. Haud diu vero post initum matrimonium sese itineri commiserit, comes scilicet addita Josepho Bethlehemem proficiscenti, „ut profiteretur cum Maria conjuge sua.“ Bethleheme autem, ubi nullus esse poterat et connubii cum Josepho initi et secretorum Mariae testis et indagator, peperit. Post partum vero, ne quis curiosus foret graviditatis et partus Mariae explorator, Jerosolymam primum, ut legem, ad templum se sistens oblationemque perficiens, impleret, adiit: tum vel statim Nazareth reversa Aegyptum etiam protinus adiit, vel Bethleheme cum Josepho ab Angelo in somnis iterum monito, in Aegyptum profecta est, a qua quidem regione non nisi post multum tempus rediit. Quibus positis, de quibus omnibus in Evangelio docemur, quis accusare Virginem potuit, quasi e viro non suo conceperit?“ [1])

---

[1]) Cfr. Trombellius l. c. pars II, diss. XI.

Plura ad haec scriptoris citati verba animadvertere liceat:

a. Omnes probe sciunt, quam sedulo Hebraei curaverint, ne puellae viris promissae et in domo paterna adhuc viventes vel minima infamiae labe maculentur. Quomodo ergo credi potest, parentes permisisse Mariae nondum nuptae, sed desponsatae tam longam suscipere peregrinationem? Nonne trium mensium a domo paterna absentia Judaeis ansam praebuisset suspicionis?

b. „Potuit, inquit Lamy, per plures menses tumens puellae uterus celari.“ „Trimestris fetura, ait Patritius,[1]) non adeo conspicua esse solet, ut non facile queat occultari.“ At cum hac Lamii et Patritii opinione nullatenus consentiunt Hebraei, a quibus spatium trium mensium ad istius modi rem detegendam assignatur. „Ecce autem post tres menses nuntiaverunt Judae, dicentes: Fornicata est Thamar nurus tua et videtur uterus illius intumescere. Dixitque Judas: Producite eam, ut comburatur.“[2]) Vidissent ergo Elisabethae domestici tumentem b. Virginis uterum sicuti, postquam fuisset domum reversa, cognati et vicini ad nuptias invitati. Nonne speciatim feminae eam videntes mysteriique penitus ignarae summam b. Virginis virtutem in dubium revocassent?

c. Quomodo probari potest, s. Mariam brevi tempore post matrimonium initum iter Bethlehemiticum suscepisse, iter, quod commode finitur quatuor vel quinque diebus? Quare ergo sex menses in illo impendere? Si tamdiu ante Mariae partum duo illi s. conjuges a Nazareth profecti fuissent, invenissent sine dubio ubique locum in diversoriis. Et haec ad Lamii placitum refutandum sufficiant.

Audiamus, quomodo cl. Patritius hac de re disse-

---

[1]) L c. cp. III, pag. 33. [2]) Gen. XXXVIII, 24.

ruerit. „Quod autem opponunt, inquit,[1]) non satis consultum futurum fuisse honori Virginis si praegnans apparuisset ante nuptias, imo antequam tantum temporis post nuptias effluxisset, quantum nuptis opus est, ut uterum gerant, non id tanti est momenti, quanti esse fertur, ut nos de nostra sententia dubitare cogat. Etenim, quum ipsis sponsalibus vir et mulier conjuges fierent, congressus maritalis ante nuptias, tametsi vetitus, non lege mosaica, sed serioribus gentis institutis etiam indicta poena, si habitus in domo sponsae paterna, non tamen stuprum existimabatur, quare nec congredientes honore periclitabantur; sed et poenam levi negotio declinare erat, quum neque ea infligeretur nisi cognitione criminis habita, nec de crimine cognoscerent, nisi si aliquis esset accusator.“ Ita cl. Patritius.

Maritalis ergo congressus ante nuptias saltem serioribus gentis institutis vetitus fuit. Si igitur b. Virgo, antequam matrimonium cum s. Joseph contractum fuit, gravida apparuerit, concives illius sine ulla dubitatione suspicati fuissent, a b. Virgine „seriora illa instituta“ fuisse violata. „Talis vero opinio, inquit optimo jure Jungmann,[2]) honorem sanctissimarum illarum personarum aliquatenus laesisset ac praeposterum judicium de earum summa virtute provocasset. Hoc admittere durum nobis videtur.“

Ex Patribus sententiam hanc approbant inter alios s. Ambrosius[3]) docens, Mariam fuisse desponsatam, Angelo adveniente, ut, quum postea uterus illius intumesceret, nulla amissae virginitatis infamia notaretur. Audiamus celeberrimi Mediolanensis Antistitis verba: „Latent quidem divina mysteria, nec facile juxta propheticum dictum quisquam hominum potest scire consilium Dei: sed tamen ex caeteris factis atque praeceptis Domini

---

[1]) L. c. pag. 31. [2]) Institutiones theol. dogm. tract. de Verbo incarnato pag. 93. [3]) In Luc. lib. II, cp. 1.

salutaris possumus intelligere et hoc perpensioris fuisse consilii, quod ea potissimum electa est, ut Dominum pareret, quae erat desponsata viro. Cur autem non antequam desponsaretur, impleta est? Fortasse, ne diceretur, quod conceperat ex adulterio. Et bene utrumque posuit Scriptura, ut et desponsata esset et virgo: virgo, ut expers virilis consortii videretur — desponsata, ne temeratae virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelae videretur insigne praeferre. Maluit autem Dominus aliquos de suo ortu, quam de matris pudore dubitare; sciebat enim teneram esse virginis verecundiam et lubricam famam pudoris: nec putavit ortus sui fidem matris injuriis adstruendam. . . . Quid autem Judaeis, quid Herodi posset adscribi, si natum viderentur ex adulterio persecuti? Quemadmodum autem ipse diceret: „Non veni legem solvere, sed adimplere" — si videretur coepisse a legis injuria, quum partus innuptae lege damnetur? Quin etiam locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset et dolere injuriam et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum."

Cum d. Ambrosio conveniunt in alleganda hac ratione d. Chrysostomus,[1] sicuti Auctor operis imperfecti in Matthaeum,[2] qui disertis verbis matrimonium Marianum jam ante Angeli legationem contractum fuisse demonstrat. „Ideo autem, inquit, et desponsata et domi habita, ut desponsatio ipsa fidelis esset et fornicationis opprobrium a matre repelleret et virginitatis gloriam nascituro Domino reservaret. Si enim, quia in domo sponsi peperit, infideles Judaei dixerunt: „Nonne hic est Jesus filius Joseph?" quanto magis, si extra domum peperisset, dicturi fuerant: Nonne hic est Jesus filius meretricis? Nam quemadmodum in ea, quae in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis; sic in ea, quae extra domum concipit, est suspecta conceptio.

---

[1]) In Matth. hom. 4. [2]) Hom. I.

Magis ergo voluit Dominus, ut haberet mater ejus maritalem suspicionem, quam fornicationis opprobrium pateretur."

Ad II. Argumenta negativa. In textibus Evangeliorum s. Matthaei[1]) et s. Lucae[2]) a patronis prioris sententiae propositis b. Virgo, quum Angelus illi apparuit, desponsata quidem nominatur, sed inde minime sequitur, s. Deiparam inter et s. Josephum tunc temporis non intercessisse nisi sponsalia. Terminus enim „desponsata" non solummodo virginem sponsione promissam, sed etiam virginem denotat nuptam ac in viri domum receptam. Imo juxta idiotismum s. Scripturae terminum illum idem fere valere ac terminum „nupta," ex plurimis ejusdem locis[3]) haud difficulter demonstrari potest. Inspiciamus

a. vetus testamentum.

„Si puellam virginem desponderit vir, legitur in Deuteronomio,[4]) et invenerit eam aliquis in civitate et concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam civitatis illius et lapidibus obruentur: puella, quia non clamavit, quum esset in civitate: vir, quia humiliavit uxorem proximi sui et auferes malum de medio tui." Puella illa desponsata appellatur uxor proximi sui; illi ergo nupserat. Quum illae personae puniantur ut adulterae, extiterit necesse fuit matrimonium.

Isaias, celeberrimus veteris testamenti vates, describit[5]) prophetans de Christi adventu omniumque gentium conversione Ecclesiae felicitatem, gloriam et exaltationem. „Habitabit, inquit inter alia, juvenis cum virgine et habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam." Etiam hoc loco terminis „sponsus — sponsa" — personas nuptas significari, clare patet. Idem dicendum

---

[1]) I, 13. [2]) I, 26 sq. [3]) Cfr. Memoires pour servir à l'histoire eccl. par Tillemont tom. I, pag. 484 note VIII; Bened. XIV. de festis B. M. V. cp. 3 n. 5. Analyse de l' Evangile par un prêtre de l' Oratoire tom. I, pag. 387 sq. [4]) XXII, 23. [5]) LXII, 5. c. c. IX, 4.

de textu sequenti ex Oseae prophetia[1]) deprompto: „Non visitabo super filias vestras, quum fuerint fornicatae et super sponsas vestras quum adulteraverint .... Filiabus ascribitur fornicatio, sponsis vero adulterium, quod praesupponit matrimonium.

b. In Novo testamento Ecclesia saepius Jesu Christi sponsa appellatur; nam matrimonium cum illo in baptismate aliisque sacramentis contractum nondum est consummatum. Hac notione praecursor Domini ad demonstrandum, se non esse Messiam: „Qui habet sponsam, inquit, sponsus est.“ Dispensat Christus Apostolos ab obligatione jejunandi tempore, quo adhuc cum illis esset; vita enim sua terrena significabat quasi matrimonii celebrationem: „Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare?“

Quare ergo Jesus Christus Ecclesiae militantis sponsus nominatur? Quia verum cum illa illiusque membris contraxit matrimonium. Optime et exactissime s. Scriptura relationem Christum inter et Ecclesiam existentem denotat; loquendo de unione Ecclesiae in coelo eam non amplius „sponsam“ appellat, sed „uxorem.“ „Veni et ostendam tibi uxorem agni.“ Matrimonium enim in coelo consummatur communicatione omnium divitiarum omniumque divinarum perfectionum.

Alium novi testamenti locum, ex quo terminum „desponsata“ terminum ad minus esse perambiguum clarissime patet, Evangelium s. Lucae[2]) nobis offert: „Ascendit autem et Joseph a Galilaea .....„ ut profiteretur cum Maria **desponsata sibi uxore** praegnante.“ Modum loquendi s. Scripturae supra expositum aliasque circumstantias bene significantes, etiamsi urgere nolimus, nemo negare poterit, nomine „desponsata“ hic non posse intelligi, nisi Virginem, quacum s. Joseph verum ac ratum contraxerat matrimonium.

---

[1]) IV, 14. [2]) II, 4. sq.

Existit quidem differentia inter terminos „desponsata et nupta," sed tantum in eo, quod termini „nupta vel γαμειθεῖσα" matrimonii jam consummati ideam praebeant, termini ê contra „desponsata vel μνηστευθεῖσα" ad summum conjugatam, nondum in desponsati domum deductam designent. „Quum virum audieris, monet ideo apprime s. Hieronymus,[1]) suspicio tibi non subeat nuptiarum," per nuptias non intelligens contractum mutuum i. e. essentiam matrimonii, sed maritalem potius concubitum ad essentiam matrimonii nullatenus spectantem. Quare etiam in b. Virginis laudem canit: „Beata mater et innupta virgo gloriosa," termino „innupta" denotans incorruptam et incontaminatam.

Quod diximus de voce „nupta," etiam de vocibus „maritus et uxor" intelligendum erit. Optime ad rem animadvertit Salmeron:[2]) „Etsi B. Virgo et Joseph dici possint uxor et maritus: verecundius tamen et honestius sponsa et sponsus vocantur, et vir et mulier et conjux uterque, ut scriptura loquitur, quia nulla intercessit copula conjugalis: nam ille consensus in futuram copulam vere constituit matrimonium ac conjuges efficit, nondum tales tamen, qui dicantur uxor et maritus, quoniam hae voces magis quadrant iis, qui matrimonium per commixtionem corporum jam consummaverunt, quibus graeca vocabula apte respondent. Nam maritus dicitur ἀκοίτης a cubili, et uxor, ἄλοχος a pariendo: secus vero voces magis generales ἀνὴρ καὶ γυνή, quibus utitur Evangelista. Luc. II. dicitur: „Cum uxore sibi desponsata" τῇ μεμνηστευομένῃ αὐτῷ γυναικί, ubi non absolute uxor, verum desponsata vocatur." Maria ergo hic dicitur desponsata et uxor, ut uxorem credentes illibatae virginitatis florem videamus et admiremur. Ne hujus illiusve vocabuli illuderemur significatione, alterum vocabulum

---

[1]) In Matth. cp. I. [2]) Comment. in historiam Evangelicam tom. II, tract. XXX, pag. 224.

adjectum est, quod instruat, ut ex singularitate sermonis mysterii detegatur singularitas. Auscultas conjugem, sed times a thoro; audi desponsatam, credes illibatam.

Plenissime consentit s. Cyrillus Hierosolymitanus[1]) ita scribens: „Meminimus et Jacob, qui priusquam Rachel acceperat, dicebat ad Laban: „Da mihi uxorem meam. Sicut enim illic ante nuptiarum constitutionem, quum tantum permissio intercessisset, uxor Jacob nominatur; sic et Maria propter solam desponsationem uxor Josephi vocabatur.“ Non vero detrahit his verbis conjugii firmitati, sed abstergit opinionem inquinamenti. Subdit enim: „Vide autem Evangelii accuratam diligentiam dicentis: Ascendit autem et Joseph, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante.“ Non dixit autem, uxore sua, sed desponsata sibi uxore.

Ne ergo credas, s. Lucam, quum b. Virginem nominarit „desponsatam,“ excludere voluisse matrimonium; quod potius jam eo, quo Angelus apparuit, tempore fuisse contractum haud obscure indicat. Nonne Mariam inducit interrogantem: „Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?“

Eadem differentia sponsum inter et virum existens existit etiam inter sponsam et uxorem: matrimonii nempe rati et consummati. Saepe saepius inter se mutuantur termini illi; unus ponitur pro alio, quia differentia non impedit, quominus usus quotidianus prostantibus rationibus eos mutuet. Proprie loquendo omnis vir est sponsus, sed omnis sponsus non est vir; pari modo omnis uxor est sponsa, sed omnis sponsa non est uxor. Nihilominus sponsus virum se nominat vel anticipative — seu, uti Gratianus dicit, „spe futurorum, non effectu praesentium;“ — placet enim, rei antea inceptae nomen attribuere illud, quod ipsi non convenit

[1]) Catech. XII.

nisi in perfectione sua, etiamsi eam nunquam attingere debeat vel, ut ita dicam, propter speciem externam. Usus enim et consuetudo postulant, ut sponsi longum per tempus uniti vir et uxor habeantur, quamvis libertate matrimonii nullatenus usi fuerint.

S. Lucas b. Virgini, cujus tempus quum appropinquaret, nomina „sponsae“ et „uxoris“ attribuere non haesitat. Appellat eam Josephi „uxorem,“ quia tunc temporis Mariae et proli, quam paritura erat, inscribendis s. Josepho incumbebat. Quod tamen fieri nequibat, nisi Mariam ut suam uxorem et infantem ut suum introduxisset filium. Eodem vero tempore s. Evangelista b. Virginem nominat Josephi sponsam, inter quos non extiterit nisi matrimonium simplex, matrimonium ratum non consummatum.

Matrimonium si a sanctissimis illis personis nondum fuisset contractum, Angelus non praecipere potuisset s. Josepho, Mariam accipere conjugem suam, b. Virgo s. Josephum non virum suum nec Evangelista eum Mariae virum nominassent. Altera vero parte hoc matrimonium penitus sufficiebat ad tribuendum sponsis nomina „viri et uxoris,“ quum ideam nominibus illis expressam sponsis sub quodam saltem respectu convenire videamus. Ita b. Virgo s. Josephum appellare potuit „patrem Jesu“ — „ego et pater tuus dolentes quaerebamus te.“ Hoc nomen titulo juris illi debebatur; vir enim matris hujus infantis fuit, eum adoptavit et nutrivit. Deest quidem aliquid ideae patris perfectae, sed ideo non oportuit illi auferri nomen patris honorificentissimum. B. Virgo ab Angelo „uxor Josephi,“ s. Joseph ab Evangelista „vir Mariae“ nominari potuerunt, licet matrimonium non fuerit consummatum. Nomina illa reali et solido nitebantur fundamento, vinculo nempe matrimonii in facie synagogae contracti.

Haec de significatione terminorum „desponsata, uxor, nupta, vir, maritus“ dixisse sufficiat. Vox de-

sponsata commode adhiberi potest ad indicandam virginem, non solum sponsalibus, sed etiam matrimonio devinctam. Quomodo ergo demonstrari poterit, in locis ab adversariis allegatis hac voce significari sponsalibus tantummodo copulatam?

Plenissime consentit Maldonatus[1]) ita scribens: „Vocat Matthaeus Mariam μνηστευθεῖσαν i. e. sponsam, non quod ducta non esset, sed quod non magis a viro cognita, quam sponsae, quae nondum nuptae sunt, ut Chrysostomus notavit.“ Neque aliter loquitur Estius:[2]) „Sic desponsata, ut et uxor sive conjux esset; . . . . sed et hodie uxor sponsa vocatur, quando nondum est cognita.“ „Desponsata, inquit Menochius,[3]) non per nuda sponsalia, sed per verum matrimonium et veras nuptias; mox enim vocatur conjux Josephi et Joseph vir seu maritus ejus.“

2. S. Joseph beatissimam Virginem, quum viderit praegnantem, noluit eam traducere. Voce „traducere“ nullatenus hic introductionem sponsae in sponsi aedes significari, non solum s. textus series demonstrat, sed etiam celeberrimi contendunt theologi. Quomodo

α. s. Joseph b. Virginem dimittere potuisset, si in domum suam non fuisset traducta? „Quam enim, inquit d. Ambrosius,[4]) non accepit, nemo dimittit et ideo, qui volebat dimittere, fatebatur acceptam.“

β. Numquid Evangelista s. Josephum „virum“ Mariae appellasset „Joseph autem vir ejus,“ matrimonio nondum contracto? Si s. Joseph vir erat Mariae, tunc Maria ejus uxor. Falluntur igitur, qui dicant, Mariam tum demum appellatam fuisse uxorem, quum redux ab Elisabeth nupsisset s. Josepho.

Rejicientes ergo notionem „traductionis“ ab adversariis propositam, praeferimus interpretationem a s. Au-

[1]) Comment. in Matth. I, 18. [2]) Ad Matth. I, 18. [3]) Ad Matth. I, 18. [4]) In Luc. lib. II.

gustino et a Doctore Angelico exhibitam nec non a textu graeco approbatam. Juxta illum textum *τὸ* traducere denotat aliquem publico exemplo puniendum curare seu divulgare i. e. reum ad tribunal judicis deferre. „Quum esset justus, sicut Scriptura dicit, et nollet eam traducere, id est divulgare, ait s. Augustinus,[1]) voluit eam occulte dimittere. Tanta enim justitia tribuitur huic viro, ut nec velle habere adulteram, nec auderet punire vulgatam.“ Simili modo loquitur s. Thomas:[2]) „Dicendum, quod sicut Chrysostomus dicit super Matthaeum: Beata virgo sic fuit desponsata Joseph, quod etiam esset domi habita. Nam sicut in ea, quae in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis; sic in ea, quae extra domum concipit, est suspecta conceptio. Et ita non esset sufficienter provisum famae beatae Virginis per hoc, quod fuit desponsata, nisi etiam fuisset domi habita. Unde quod dicitur „et nollet eam traducere“ melius intelligitur i. e. nollet eam diffamare in publicum, quam quod intelligatur de traductione in domum.“

Neque alio tendit, quod Maldonatus de termino allegato notat. „Traducere, inquit,[3]) *παραδειγματίσαι* publico exemplo puniendam curare, ignominiose accusare, ad verbum exemplare, ut alicubi Augustinus vertit, quamquam idem alias vertere solet, divulgare. Id autem Joseph fecisset, si in judicium vocasset et omnium oculis tamquam adulterii ream proposuisset. Usus est eodem verbo d. Paulus, iterum crucifigentes filium Dei — *καὶ παραδειγματίζοντες* — et publicae ignominiae exponentes, ubi noster interpres vertit, ostentui habentes.“

Tostatus Abulensis hac interpretatione parum contentus ita scribit:[4]) „Aliqui dicunt, quod nolebat eam traducere i. e. nolebat eam infamare scilicet dicendo,

---

[1]) In serm. 63 de divers. [2]) III, q. XXIX, a. 1 ad 3. [3]) Comment. in Matth. cp. I, 19. [4]) In evang. Matth. p. 158.

eam adulteram, ideo voluit occulte recedere. Sed dicendum, quod non accipitur traducere pro infamare, sed pro accipere in potestatem." Cui jam Patritius, qui alias quoad desponsationis tempus eandem cum illo tenet sententiam, respondit:[1]) „Sensum a Tostato subjectum verbo „traducere" minime nobis probat."

3. Nec quidquam roboris praebent adversariis verba illa, quibus Angelus suspicionem ac dubitationem ex ignorantia mysterii s. Josepho nondum revelati productam dispelleret: „Noli timere accipere Mariam conjugem tuam" nec minus ea, quae Evangelista subdit, verba: „Et accepit conjugem suam." Est enim modus loquendi Hebraicus, quo nullatenus significatur, nunc incipere, sed actionem jam inceptam continuare; τὸ accipere non sumitur pro actu inchoato, sed potius continuato.

Hic loquendi modus in sacris literis usitatus est. Audiamus, ut non citemus nisi hoc unum exemplum, Joannem Evangelistam dicentem:[2]) „Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilaeae: et manifestavit gloriam suam, **et crediderunt in eum discipuli ejus.**" Dicuntur discipuli credidisse in Jesum post visum miraculum aquae in vinum conversae. Sed quisnam inde deducere audebit: Ergo prius fidem non habuerunt? Intelligendum itaque, quod in hac fide perseveraverint. Quum s. Joseph b. Virginem dimittere voluerit Angelusque ei dixerit, ut acciperet eam, τὸ accipere sumitur pro retinere seu non dimittere. Eadem observat Estius:[3]) „Non ab Angelo Joseph monetur, ut tum primum Mariam in uxorem accipiat; jam enim Joseph eam habebat, quia vocatur vir ejus et volebat eam dimittere. Sed monetur, ut conjugem suam accipiat i. e. retineat et dimittendi cogitationem deponat." Estius sequebatur d. Chrysostomum[4])

[1]) L. c. cp. III, n. 36. [2]) II, 11. [3]) In IV, sent. dist. XXX, §. 8.
[4]) In Matth. cp. I, hom. IV.

disertis verbis ad quaestionem: „Quid autem est accipere?" respondentem: „Domi profecto retinere. Jam enim illam mente dimiserat: sed dimissam, inquit, retineas, quam Deus tibi copulat, non parentes: copulat vero non in foedus solemne conjugii, sed in consortium communis habitaculi et copulat per meae vocis officium: sicut enim illam postea commendat Christus ipse discipulo, ita etiam nunc Angelus sponso, solatium tantummodo ejus habituram absque foedere nuptiarum."

Bene quoque animadvertas quaeso, loco citato non dici „in conjugem accipere," sed „conjugem accipere." Ille enim, qui in matrimonio primum jungitur, non dicitur, accipere conjugem suam, sed in conjugem suam.

4. Difficultas ex beatissimae Virginis peregrinatione ad Elisabeth cognatam desumpta exoritur etiam contra sententiam eorum, qui tempore adventus Angeli non admittunt nisi sponsalia. Num sponsa tam longum iter suscipere poterit, quin licentiam sponsi non petitam acceperit? Gerson, clarissimus ille universitatis Parisiensis cancellarius, scribit quidem,[1] non posse dubitari, quin b. Virgo consensum s. Josephi ad iter faciendum habuerit: „Visitavit Maria Zachariam et Elisabeth, non dubium, quin de licentia et consensu viri sui Josephi jam de sacramento Incarnationis instructi."

S. Josephum consensisse, merum commentum est; de sacramento Incarnationis tunc temporis illum jam fuisse instructum, omnibus videbatur opinio paradoxa. „Indubitatum est enim, scribit Trombellius,[2]) statim post annuntiationem suscepisse Virginem iter illud. Porro Joseph de Incarnationis mysterio instructus non est, nisi postquam Virginis ventrem tumidum ideoque eam gravem foetu perspexit. An vero foetu gravem perspicere

---

[1]) In serm. de Nativ. Virginis Mariae. [2]) L. c. p. II, diss. XI, n. 6.

potuit ante tres aut quatuor menses, ideoque ante reditum ab Elisabethae et Zachariae aedibus?" Huc accedit, quod instructus non sit a Virgine, sed ab Angelo: „Haec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: „Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est." [1]) Inspiciamus

II. Patrum textus a prioris sententiae patronis allegatos.

Textus illi cum s. Scripturae testimoniis comparati prima fronte apertam quidem involvere videntur contradictionem. Nonne beatissima Virgo a s. Scriptura pluries nominatur sponsa seu desponsata? Nihilominus s. Augustinus dicit: „Virgo concepit, antequam sponsum haberet," ergo antequam sponsa esset. S. Joseph ab Evangelista iteratis vicibus „vir Mariae" et Maria „uxor et conjux Josephi" nominantur; — s. Bernardus vero conjugium negare videtur dicens, s. Josephum ideo tantummodo nominari virum, „quia homo virtutis erat." Nonne hac ratione s. Joseph vir omnium feminarum et beatissima Virgo nominari potuisset omnium virorum uxor; ambo enim homines virtutis respectu omnium aliorum hominum fuerunt. Propius ergo consideremus oportet testimonia Patrum, de quibus animadvertit Vasquez, [2]) Origenem et Hieronymum oppositam sequutos esse sententiam; caeteros autem Patres, nempe Tertullianum, Hilarium, Epiphanium, Basilium perperam pro ea allegari.

Tertullianus beatissimam Virginem l. c. „desponsatam, quodammodo nuptam" appellat. Nuptiae seu nupta a Tertulliano, sicuti a pluribus Patribus, pro consummatione matrimonii sumuntur. Unde s. Ambrosius: [3]) „Quum enim initiatur conjugium, tunc conjugii nomen

---

[1]) Matth. I, 20. [2]) In III, p. q. XXIX, art. 2 cp. VIII. [3]) De Instit. Virg. cp. 6.

adsciscitur; non enim defloratio virginis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Quum jungitur puella, conjugium est, non quum virili admixtione cognoscitur. Tertullianus ergo eam non esse nuptam in pleno sensu asserit nullatenus negans, b. Virginem et s. Josephum veros fuisse conjuges ex matrimonio rato, sed rejiciens solummodo matrimonium consummatum. „Quodammodo nuptam" nominat b. Virginem, quia opinione hominum cognita erat a viro, non re ipsa.

D. Hilarii textus saltem perobscurus est; juxta illum matrimonium contractum fuit post Christi nativitatem: „Maria, quia desponsata erat, in conjugem recipitur." Per conjugem vero intelligit s. Doctor juxta Vasquez l. c. personam, non solum matrimonio copulatam, sed etiam a viro cognitam; cognitam vero eam re vera non fuisse contendit, sed solum in opinione vulgi. Fortasse d. Hilarius iis verbis intendit innuere, s. Josephum in conjugem retinuisse beatissimam Virginem, etsi proles ab illa edita non ex se, sed ex operatione Spiritus sancti fuerit concepta, ita ut munus conjugis in alenda, nutrienda, protegenda prole susceperit.

„S. Cyrilli verba, inquit Patritius,[2]) fusiore explanatione non indigent, ut certo concludamus, illud Matthaei verbum „παρελαβε, accepit" Cyrillo visum esse sonare id quod nobis. Si enim, quum „exurgens Joseph a somno .... accepit conjugem suam, haec ejus uxor dici ea ratione poterat, qua Rachel Jacobi, priusquam Jacob Rachelem acciperet, id est ante nuptialem conditionem, sequitur tunc Mariam a Josepho nondum acceptam fuisse necdum horum nuptias habitas." Attamen sunt, qui credant, terminum „desponsatio" in textu Cyrilli „Maria propter desponsationem uxor Josephi dicta fuit" pro matrimonio sumi. Sic vg. Trombellius l. c. animadvertit, Jacobum cum Rachele matrimonium

---

[1]) Cfr. Trombellius l. c. p. II, XI, diss. XI. [2]) L. c. n. 34.

contraxisse, sed per fraudem patris inscio et imprudenti Jacobo Racheli Liam substitutam esse. „Pertulit autem fraudem Jacob, quod monitus sit, non denegari illi, sed differri per breve temporis spatium nuptias.“

S. Basilii et s. Gregorii Nysseni verba nihil prorsus continent, quod opinioni faveret oppositae. Terminus „viri“ apud Nyssenum non significat, nisi maritalem conjugii usum.

S. Epiphanius docet juxta Vasquez,[1] Mariam non ea ratione nuptam fuisse, qua virgines solent esse nuptae, ut nempe virgines esse desinant; per nuptam intelligit Epiphanius ergo cognitam a viro. Etiam s. Gregorius „nuptias“ factas fuisse negat, nomine earum matrimonium consummatum intelligendo.

Ad verba, quae ex sermone 13 de Natali Domini allata sunt, dicendum, ea non esse s. Augustini; sermones 9 et 13 apocryphi habentur. S. Chrysostomus vocabulo „nuptiarum“ intellexit, sicut et s. Gregorius, usum matrimonii; eodem modo explicandus est textus s. Chrysologi. Verba s. Bernardi pro sententia opposita nullatenus allegari possunt; docet enim Doctor Mellifluus, s. Deiparam Virginem mansisse, etsi s. Josephum sponsum habuerit.

III. Ad argumentum denique ex ratione petitum „convenientius fuisse, ut b. Virgo apparente Angelo desponsata, non vero nupta fuerit,“ respondemus, convenientius nobis videri, ut prius s. Joseph Mariam uxorem duceret, quam mysterium in ea peractum nosset; nam ex hoc matrimonio s. Joseph splendidissimas b. Virginis virtutes melius cognoscere potuit iisque cognitis timere non debuit, ne Angelus eum illudere velit, etiamsi in somnis apparuerit, dum Zacharias Angelo palam apparenti assentiri noluit.

Beatissimam Virginem tempore adventus Angeli in-

---

[1]) L. c. q. XXIX, a. II, n. 83.

nuptam fuisse Lamy demonstrare conatur etiam vocando ad leges Hebraeorum circa connubia. „Maria, inquit, commorando per tres menses apud cognatam suam Elisabeth, id temporis insumpsit, quod puellis desponsatis concedebatur ante solemnem in aedis conjugis deductionem.“ Cui quidem concordat Maimonides asserens:[1]) „Puella non statim post sponsalia in domum conjugis fuit deducta, sed ei aliqua in parentum aedibus mora fuit concessa.“ Unde concludit Lamy, Mariam cum Joseph sponsalia tantum contraxisse, quum Angelus apparuit et tempus puellis desponsatis ante celebrandas nuptias concessum commorando apud Elisabetham cognatam insumpsisse.

Ad quam difficultatem optime respondet Graveson:[2]) „Tempus, quod puellis desponsatis ante solemnem in aedes conjugis deductionem concedebatur, nulla lege apud Hebraeos fuisse praefixum et aliquando breve admodum fuisse, ut liquet exemplo Rebeccae,[3]) ubi dicitur: Fratres Rebeccae postulasse, ne ad Isaac, cui modo fuerat desponsata Rebecca, deduceretur, nisi post decem dies: „Maneat, inquiunt, puella saltem decem dies apud nos et postea proficiscetur.“ Tempus etiam illud puellis desponsatis concessum nulla apud Hebraeos fuisse lege praefixum, testatur Leo de Modena:[4]) „Quasdam desponsatas manere per integrum annum, scribit, alias per semestre, plus minus, pro voluntate et commoditate contrahentium.“ Obtinet hodie pariter apud Judaeos, ut puellae oppignoratae maneant interdum sex mensium spatio, quin et anno ac biennio, antequam conjugium ineatur; quo temporis intervallo, si forte pudorem suum violaverit sponsa, adulterii rea habetur, uti exemplo Thamar intelligimus.

---

[1]) In Tract. de Connub. Hebr. cp. X, n. 17. [2]) L. c. diss. I, §. 1. [3]) Gen. XXIV. [4]) Historia de ritibus Judaeorum p. IV, cp. 3. Cfr. Selden. Uxor hebraica; Basnage, hist. Jud. l. V, cp. 19 n. 12.

Quid ergo prohibet, ne dicamus: Mariam quatuor circiter mensibus ante legationem Gabrielis fuisse Josepho sponsione promissam, sicque desponsatam tres menses in aedibus paternis esse versatam, quarto vero ineunte a contractis sponsalibus mense matrimonium solemni ritu cum s. Joseph iniisse et in iisdem aedibus habitare coepisse ante Gabrielis legationem? Haec Gravesonii opinio sane plus praebet probabilitatis, quam conjectura a Lamy excogitata.

Alii sententiae prioris patroni concedunt quidem, beatissimam Virginem tempore legationis in iisdem cum s. Joseph aedibus habitasse, non vero vinculo matrimonii de praesenti, sed de futuro tantum cum illo conjunctam citantque pro hujus opinionis veritate inter alios s. Chrysostomum et s. Bernardum, quorum ille[1]) ita loquitur: „Non dixit, antequam duceretur in domum sponsi: intus enim jam erat; nam mos priscis erat, sponsas ut plurimum domi tenere .... Habitabat ergo et ipsa cum Josepho.“ Doctor Mellifluus[2]) e contra: „Illa utique fuit ratio desponsationis Mariae, inquit, quae et dubitationis Thomae. Mos si quidem Judaeorum erat, ut a die desponsationis suae usque ad tempus nuptiarum sponsis sponsae traderentur custodiendae, quatenus earum ipsi eo sibi pudicitiam curiosius servarent, quo sibi ipsi fideliores existerent. Sicut ergo Thomas dubitando, palpando constantissimus factus est dominicae confessor resurrectionis, ita et Joseph Mariam sibi desponsando, ejusque conversationem in tempore custodiae studiosius comprobando factus est pudicitiae fidelissimus testis.“

Sed consuetudo ista authorum Judaeorum testimonio probari vix potest. Sponsas sponsis in eorum domibus ad custodiendum traditas fuisse, aperte negat Gemara Babylonica, „qua testante virginibus Galilaeis ne

---

[1]) In Matth. hom. IV, n. 2. [2]) Super Missus hom. II, n. 12.

una quidem hora cum sponso morari licebat.“ Gemaram Babylonicam hic falli ponamus, numquid ex eo sequetur, omnes sponsas indiscriminatim, etiam illas, quae in templo alebantur, sponsis in custodiam fuisse datas? Quomodo talis asserti veritas posset probari? Ad praecavenda peccata Ecclesia sub poenis gravissimis semper prohibuit, ne sponsi ante matrimonium contractum sub uno eodemque habitaverint tecto. Quid, Ecclesiae prototypus, synagoga, contrarium approbare potuisset?

Beatissima Virgo post discessum a templo statim habitavit cum s. Joseph et quidem ut ejus conjux.

Plerique antiquissimi ac gravissimi Patres, speciatim s. Chrysostomus,[1] s. Germanus Constantinopolitanus,[2] s. Bernardus,[3] Euthymius[4] aliique teste Stengelio[5] constanter asseruere, beatissimam Virginem statim ab initio conjugii, quod contigit in discessu a templo, Josepho traditam et mox ab ipso Nazarethum deductam fuisse ibique in domo, ubi Incarnationis mysterium postea peractum et quae nunc Laureti sita est, cum eo habitasse.

Ne objiceas, b. Virginem, quando ex domo Zachariae redierit, non dici reversam in domum Joseph, sed in domum suam! Nonne domus mariti et domus uxoris una eademque domus fuit? Dum ergo dicitur, rediisse in domum suam, censetur etiam reversa in domum s. Josephi.

At, inquiunt, licet Maria et Joseph non statim cohabitaverint, tamen inter illos intercedere poterat talis familiaritas, quae omnem impediret infamiam, praesertim si s. Joseph cum Maria in domum Zachariae ascendit ibique tamquam in domo aliena cum Virgine habitavit! Ex iis, quae supra diximus, jam apparet, quam stolida haec

---

[1]) In Matth. hom. IV. [2]) In Vita B. Virginis. [3]) Super Missus hom. II. [4]) In Matth. cp. I. [5]) Historia s. Josephi cp. III.

sit ratio. Si Maria et Joseph nondum publice in domo cohabitarunt propria, nullatenus suspicio ob tam maturam impraegnationem in sponsi absentia factam vitanda erat. Nondum erant conjuges, nihilominus Maria apparuit gravida.

Quae de utraque opinione tempus desponsationis spectante sufficiant. Utraque non solum s. Scriptura, sed etiam Patrum fundatur testimoniis. Si admissa sententia illa textus biblicus facilius potest exponi, admissa hac Salvatoris nostri ejusque sanctissimae Matris honori melius consulitur. Quod quum sacramenti majestas, nec non rationes, cur nuptam Filius Dei amaverit matrem, desiderent, doctissimus Benedictus XIV.,[1]) sententiae nostrae majorem vindicat probabilitatem, verisimilitudinem atque praestantiam. Beatissima Virgo non solum desponsata, sed etiam re vera conjugata fuit, dum Angelus illam salutavit. Statim post conceptum in utero Deum abiit ad cognatam suam Elisabeth.

Iniit forsitan b. Virgo foedus illud nuptiale ante abitum? S. Literae nullam de hoc faciunt mentionem; patroni vero oppositae sententiae contendunt, s. Josephum fuisse monitum ad contrahendum matrimonium per illa Angeli verba: „Noli timere accipere Mariam conjugem tuam" verba, quae s. Joseph non audivit, nisi post b. Virginis reditum. Nec tempore commorationis apud suam cognatam matrimonium inierunt; nimis enim incertum videtur, utrum s. Joseph beatissimam Virginem comitatus fuerit.[2]) Nec minus post reditum, qui trimestri elapso contigit, s. Maria nupsit s. Josepho, quia ille intra tantum temporis spatium virginis gravedinem advertere debuisset, qua apparente ante verum matrimonium contractum et citius partu subsecuto nec ipsa a fornicationis nec Christus ab illegitimi ortus nota contra finem principalem hoc conjugio intentum praeservatus fuisset.

[1]) De festis B. Mariae Virginis cp. III, n. 6. [2]) Cfr. p. II, cp. II. §. 2.

SECTIO IV.

DE S. JOSEPH, BEATISSIMÆ VIRGINIS SPONSO CASTISSIMO.

**Hic vir, hic est, de quo tibi tantum dicere possum,
Vir fuit Mariae.**

Si s. Gregorius Nazianzenus ad laudandum Gorgoniae sororis suae maritum interrogat, „vultis uno verbo virum describam? Vir illius, nec enim scio, quid amplius dicere necesse sit," — nonne ad s. Josephi laudes multo magis sufficiet dicere, sponsus, vir Mariae? Nonne ideo „meruit honorari a Deo, ut Pater Dei et dictus et creditus sit?" [1])

Quum de beatissimae Virginis matrimonio jam fusius disseruerimus, etiam de sponso ejus castissimo, tam eximio in sanctitate et justitia, tam eminenti in gloria ac potentia apud Deum, habere sermonem plus aequo videbitur.

E regia Davidis progenie originem ducens[2]) s. Joseph

---

[1]) Bernard. hom. 2 super Missus. [2]) S. Josephum ad tribum Juda et familiam David pertinuisse, ex s. Scriptura apertissime elucet. „Manifestum est, inquit s. Paulus in cp. ad Hebr. VII, 14, quod ex Juda ortus sit Dominus noster." Angelus porro s. Josephum hisce alloquitur verbis „Joseph, fili David, noli timere" (Matth. I, 20). S. Josephi genealogiam Matthaeus Evangelista deducit ab Abrahamo per Davidem.

Quod differentiam inter genealogias Matthaei et Lucae attinet, sequentia notanda sunt. S. Matthaeus descendendo repetit genealogiam ab Abrahamo, s. Lucas vero eam ascendendo deducit ad Adamum. In recensendis nominibus inter Abrahamum et Davidem Evangelistae concordant; sed inde a Davide Matthaeus deducit Christi progenitores per Salomonem, Lucas vero per Nathan; in Salathielem et Zerobabelem series genealogicae con-

magnam a parentibus suis recepit excellentiam magnamque sanguinis generositatem. Majori vero nobilitate pretiosiorique dono dignatus est, quem Deus ab aeterno ad matrimonium cum sacratissima Dei Virgine ineundum

---

currunt, dein se separant et demum in s. Josepho conveniunt, qui in Matthaei genealogia filius Jacobi, in Lucae genealogia filius Heli nominatur. Ad hanc difficultatem enodandam diversae exortae sunt opiniones:

a. Autumant nonnulli scriptores, a s. Matthaeo genealogiam beatissimae Virginis exhiberi per lineam maternam, a s. Luca per lineam paternam.

b. Alii a s. Matthaeo genealogiam s. Josephi, a s. Luca genealogiam b. Virginis exhiberi censent. Juxta hos auctores nomen Heli forma abbreviata pro Heliakim i. e. Joakim, b. Virginis patre, fuit.

c. Uterque Evangelista genealogiam s. Josephi duxit et quidem s. Matthaeus a patre, avis et proavis naturalibus, s. Lucas a legalibus. Pater naturalis s. Josephi est Jacobus, pater legalis vero Heli. Jacobus et Heli fuerunt fratres uterini. Post mortem Heli, qui ex uxore sua nullos procreaverat liberos, hanc duxit Jacobus genuitque ex ea Josephum. Ita antiquissima et communis Patrum sententia, quam 2. saeculo tradidit s. Justinus Martyr in lib. quaest. 31. et post eum Julius Africanus apud Eusebium lib. 1 hist. eccl. cp. 7. Eandem sententiam tenent s. Hieronymus in cp. I, Matth.; s. Ambrosius lib. 3 in cp. 3 Luc.; s. Augustinus Retract. lib. 2 cp. 7; s. Bonaventura in cp. 3 Luc.; s. Thom. III, p. q. XXXI, a. 3 ad 2.; Beda in Matth. lib. 1 cp. 1. „Jacob, inquit ven. Beda, et Heli fratres erant, habentes diversis temporibus ex diverso venientes genere, qui avi Joseph esse videntur, ex una eademque uxore Esai nomine: Mathan, qui per Salomonem genus ducit, filium habuit Jacob; et Mathat, qui per Nathan genus ducit, ex eadem tribu, sed non eodem genere, eo defuncto, filium accepit Heli: et sic Jacob et Heli diverso genere patrum fratres sunt uterini, quorum alter i. e. Jacob defuncti fratris Heli accipiens uxorem genuit Joseph secundum naturam suam; secundum vero praeceptum legis, fratris filium.“ Haec sententia apparentem Evangelistarum dissonantiam optime et cum verborum proprietate conciliat. Matthaeus enim utens verbo „genuit“ innuit hoc ipso verbo progenitores naturales; Lucas utitur verbo substantivo „fuit,“ quod filiationem legalem et naturalem significare potest, hic vero de filiatione et paternitate legali exponi debet, quia jam textus Matthaei filiationem

praeelegerit. Quid enim toto orbe terrarum praestantius quidque honorabilius inveniri poterit, quam s. Deiparae esse conjugem? Laudas Joannem, qui Virginem a Christo sibi commendatam in suam acceperit: at quibus laudibus

---

naturalem per Heli prohibet. S. Joseph ergo, ut ex duplici hac genealogia apparet, originem duxit ex stirpe Davidica.

Eo ipso, quo texitur s. Josephi genealogia, etiam b. Virginis et consequenter Christi ex ea nati stirps indicatur. Ratio est, quia puellae, quae non habebant fratres, et ad quas proinde bona devolvebantur paterna, ex speciali lege (Num. XXXVI, 8). „Omnis filia haereditans haereditatem de tribubus filiorum Israel, uni de familia patris sui erit in uxorem, ut accipiant haereditate filii Israel unusquisque haereditatem patrum suorum" (sic juxta textum hebr.) tenebantur, non tantum in eadem tribu, sed etiam in eadem familia nubere, ex qua erat pater earum, ne scilicet transiisset ad externas familias, sed potius in familia patris maneret consanguineis, qui jus ad eam habebant. Sic Angelus Tobiam juniorem docet, ipsi deberi uxorem filiam Raguelis patris sui unigenitam et cuncta bona ejus. „Credo, inquit Raguel ad eos, quoniam ideo fecit (Deus), vos venire ad me, ut ista (Sara filia mea) conjungeretur cognationi suae secundum legem Moysi VII, 14." Judaeos haereditatum paternarum tenacissimos fuisse, patet in Naboth Cfr. 3 Reg. XXI, 1; Cornelius in cp. 36 Num; Becani Analogia Veteris ac Novi Testamenti pag. 401; Patrizi de Evang. lib. 3 diss. 9. Quod autem ad beatissimam Virginem paternae haereditatis jura pertinerent, ex s. Scriptura quidem non constat, vetustissima tamen traditione receptum est.

Non defuerunt, qui Mariam ex tribu Juda et ex generatione David fuisse negaverint, asserentes, eam, utpote Elisabethae cognatam, pertinuisse ad tribum Levi! At Maria non fuit ex tribu Levi et stirpe sacerdotali. Teste enim s. Paulo (ad Rom. I, 3) Christus fuit ‚ex semine David secundum carnem;" Christus vero sumpsit carnem ex b. Virgine ac proinde ea cum Christo ex semine David fuit. „Ortam de tribu Juda, praedicat Ecclesia Mariam, claram ex stirpe David." Cognatio b. Virginis cum s. Elisabetha igitur alio modo exponatur necesse est. S. Augustinus in libro contra Faustum 23 putat, si Joachim, pater Mariae, de stirpe Aaron fuerit (ut Faustus haereticus quibusdam scripturis apocryphis innisus censebat), credendum esse, quod mater Joachim vel ejus uxor quoque ex stirpe David fuerit, ita ut aliquo modo Mariam de stirpe David fuisse dicamus. Synopsis Criticorum in Luc. cp. I, p. 870

honoremus oportet s. Josephum cum beatissima illa Virgine tenerrimo matrimonii vinculo familiarissime conjunctum? „O miranda prorsus, Joseph, sublimitas tua, exclamat Gerson[1]) sublimissimam hanc admirans dignitatem, o dignitas incomparabilis, ut mater Dei, regina coeli, domina mundi, appellare te Dominum non indignum putaverit.“ Nec mirum profecto! Fuit enim s. Joseph vir illius, quae in rebus creatis principatum obtinet in coelo et in terra. Verus fuit custos, verus tutor ac nutritius, verus Christi pater, quibus ministeriis nihil majus, nihil excellentius excogitari potest, quibusque apertissime demonstratur, s. Josephum optimum fuisse sanctissimumque b. Virginis conjugem. „Si enim in matrimoniis caeteris, inquit Bellarminus super Missus, prudentia hominum imprimis requirit, ut vir et mulier sint opibus, nobilitate, aetate omnibusque rebus aliis, quantum fieri potest,

---

respondet ad quaestionem: „Qui cognata (Elisabeth), quum esset ex tribu Levi, Maria ex tribu Juda! a. Cognata dici poterat sensu generali, ut Paulus vocat omnes Israelitas „cognatos suos.“ „Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.“ Rom. IX, 3. b. Elisabeth potuit esse ex tribu Levi genere paterno et ex tribu Judae et familiae Davidis genere materno et ita cognata Mariae. Cfr. Toletus in Luc. cp. 1 annot. 108. Audiamus s. Thomam III, p. q. XXXI, art. 2 ad 2 hac de cognatione disserentem: „Potuit fieri, ut pater Elisabeth aliquam uxorem habuerit de stirpe David, ratione cujus b. Virgo Maria, quae fuit de stirpe David, esset Elisabeth cognata: vel potius e converso, quod pater b. Mariae de stirpe David existens uxorem habuerit de stirpe Aaron.“

Si tandem quaeritur, cur Evangelista non explicite Mariae genealogiam descripserit, respondemus, uti jam supra, quia moribus Hebraeorum receptum non est, ut per mulieres, sed tantum per viros genealogiae ordinentur. Quamvis s. Joseph Christum non genuerit, mater tamen Christi vera s. Josephi conjux fuit ideoque Christus velut germen in Josephi fundo natum ad ipsum pertinebat. Cfr. Calmeti dissert. de genealogia Jesu Christi.

[1]) In serm. de Nativ. Virg.

pares: quanto magis credendum est, Deum, castissimi hujus matrimonii auctorem, illud voluisse, ut qui suae matris sponsus eligi deberet, esset ei non solum aetate et nobilitate, sed etiam morum integritate vitaeque probitate quam maxime similis? Itaque sicut Maria a stirpe regia descendebat, ita et Joseph.“ Sicut Maria, subjungimus hisce Bellarmini verbis, non solum virginitatem semper servavit incolumem, sed etiam voto eam firmavit, ita et Joseph; sicut Maria adolescentula, quando Josepho nupsit, ita et Joseph maturus juvenis, quum matrimonii castissimi vinculo cum beatissima Virgine fuerit conjunctus. Loquamur ergo primo de s. Josephi virginitate.

Cap. I.

DE S. JOSEPHI VIRGINITATE.

Cunctis virtutibus christianis s. Deiparae sponsum gloriosissimum ornatum fuisse, munera a divina providentia ipsi imposita clarissime produnt. „Omnium singularium gratiarum, inquit s. Bernardinus Senensis, alicui rationabili creaturae communicatarum generalis regula est, quod quandocumque divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donat, quae illi personae sic electae et ejus officio necessaria sunt atque illum copiose decorant . . . . Quod maxime verificatum est in sancto Josepho, putativo Patre Domini nostri Jesu Christi, et vero sponso Reginae mundi et Dominae Angelorum, qui ab aeterno Patre electus est fidelis nutritius atque custos principalium thesaurorum suorum, scilicet filii ejus et sponsae suae, quod officium fidelissime prosecutus est.“

Quaeritur, utrum s. Joseph etiam virginitate et corporis et mentis praestiterit. S. Scriptura quum hac de quaestione reticeat, non solum haereticos permultos, sed etiam nonnullos Patres ac theologos hic dissentientes videmus. Contra illos dicimus:

§. 1.

S. Joseph semper Virgo fuit.

Splendidissimam virginitatis virtutem in s. Josepho relucentem permulti orthodoxi celebrant Patres, ita ut s. Petrus Damianus dicere non dubitet, magnam Ecclesiae fidem in eo esse, ut non modo Deipara, sed etiam putativus Pater atque nutritius Virgo habeatur. Hoc quidem jure merito.

1. Christus Dominus enim prae caeteris virtutibus dilexit virginitatem, quare matrem sibi elegit virginem et inter Apostolos praecipue s. Joanni, speciali castitatis praerogativa ornato, deditus fuit. Jam vero si in caeteris hominibus tantopere dilexit virginitatem, quomodo in putativo patre suo eam vilipendere potuisset? Unde perbelle Isolanus ita argumentatur: „Personae, inquit,[1]) immediate ordinatae ad humanitatem Christi, convenit esse Virginem, sicut patuit in b. Virgine, in Joanne Baptista atque Evangelista; sed Josephus ordinatus fuit immediatius ad humanitatem Christi, quam caeteri viri; ergo Virgo censendus est . . . . Josephus habuit conditiones nobilissimae puritatis, inter quas enumeratur virginitas, quae divinae paternitati convenit; Josephus enim vicem Patris coelestis in terris gessit; ergo fuit Virgo. Tum praeterea, quia Deus melior est mundo sensibili, praestantior ac perfectior; sed Angelis, qui propter suam munditiam virgines vocantur, commissa est gubernatio mundi sensibilis; ergo pariter Joseph Virginem omnino credere fas est, cui commissa sit gubernatio et cura Dei immortalis caro facti. Ultimo tandem, quia novum testamentum virginitatem consecrat et supra conjugatos reponit: sed sanctus Josephus primus est, quem sacra novi testamenti pagina justum praedicat: Igitur rationa-

---

[1]) I, p. cp. 13.

biliter arbitramur, illum fuisse Virginem, quum in obsequio Christi familiari par fuerit Angelis; ergo Virgo secundum angelicam imitationem."

2. Accedit, quod necessarium videretur, ut s. Joseph pro officio maximo sibi commisso, — quia pater Domini meruit appellari et custos virginitatis Mariae electus erat, — singulari gratia a Deo ornaretur, ut cum castissima sua sponsa domi forisque securius et castius posset versari. „Habe ergo Joseph, inquit s. Augustinus,[1]) cum Maria conjuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria Mater Christi in carne sua virginitate servata: sis autem et tu Pater Christi cura castitatis et honorificentia virginitatis. . . . Gaude Joseph virginitate Mariae, qui solus meruisti virginalem affectum possidere conjugii, quia per meritum virginitatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris."

3. Si Christus matri suae jam aetate provectae nullum alium voluit relinqui custodem, nisi virginem Joannem, quanto magis eidem adhuc adolescentulae custodem adesse noluit, nisi Virginem? Ita s. Hieronymus,[2]) s. Ambrosius,[3]) s. Thomas,[4]) quos sequitur Toletus: „Probabilius et certius est, inquit,[5]) quod d. Hieronymus adversus Helvidium et d. Augustinus[6]) asserunt, Josephum fuisse Virginem. Quam quidem sententiam vel ipsius Epiphanii doctrina confirmat; ipse enim Epiphanius ibidem tradit, Passionis tempore[7]) Joanni Evangelistae Vir-

[1]) Serm. 14 de Nativit. [2]) Lib. 1 contra Jovinianum. [3]) Lib. de Instit. Virg. cp. 7. [4]) Super Epist. ad Gal. lect. 5. [5]) Super Luc. cp. I, annot. 59. [6]) Serm. 18 de Tempore. [7]) Non defuerunt Patres, qui Josephum Christo in cruce pendente adhuc in vivis fuisse asseruerint. Secundum Serry exercit. 25 §. 3 ita putarunt s. Chrysostomus hom. 5 in Matth. s. Ambrosius lib. de Instit. Virg. cp. 6, s. Augustinus serm. 81 de Tempore et Auctor sermonis de Passione Domini apud Cyprianum. At s. Chrysostomus

ginem fuisse commendatam, quia ille Virgo erat: decebatque Virginem virgini commendari. Quam etiam causam attulerunt d. Hieronymus et d. Ambrosius. Si ergo Virgo commendata est Joanni propter ejus virgini-

---

pro hac sententia nullatenus allegari potest; concludit ille solummodo ex eo, quod Christus moriens Virginem virgini Joanni commendarit, eam non alios habuisse liberos. Alii vero Patres hanc opinionem subindicare videntur. Auctor sermonis de Passione innuit, s. Josephum Christo patiente adhuc in vivis superfuisse atque, ut obsequium Virginis virgini traderetur, aequanimiter tulisse, ne ipse diutius praepositura tanti ministerii oneraretur. Audiamus, quomodo Isolanus sententiam hanc omni prorsus fundamento carentem ac pias aures magnopere offendentem refutet. „Neque enim rationabile est, inquit (4 p. c. 1), imo impium videtur dicere, quod Joseph libellum repudii dederit b. Virgini seu lex Moysis jubebàt: quum nulla subesset causa, nisi Joseph mentiri voluisset, quod non facit justus, praesertim quod conjugium illud omni claruit perfectione; sed ad perpetuum spectat matrimonium perpetua cohabitatio diuturnamque separationem non fert. Consonat ergo rationi mirum in modum, Joseph viventem a b. Virgine nunquam fuisse separatum: charitas enim nunquam excidit ac ejus nexus charitate perseverante: sed inter b. Virginem et s. Josephum fuit amor secundum perfectam charitatem, ergo amor ille nunquam fuit dissolutus et per consequens nec conjugium, praesertim nulla authoritate nullave necessitate intervenientibus.“ Haec ille. Quare etiam merito s. Bernardus Senensis (tom. 3 serm. de s. Josepho): „Voluit Dominus ipsum Josephum mori ante Dominicam passionem maxime, ne morte Christi immenso dolore cruciaretur.“

Placet fere omnibus, s. Josephum, antequam Christus publice praedicare inciperet, vivere desiisse. Juxta s. Epiphanium haeres. 78 s. Joseph non multo post Christum puerum duodennem in templo repertum e vivis excessit. „Evangelistae, inquit Estius in lib. 4 sent. dist. 30 §. 8, nullam illius, tamquam adhuc viventis, mentionem faciunt post illud Lucae II: „Et erat subditus illis.“ Non legimus, illum nuptiis in Cana celebratis interfuisse, quamquam Jesus ejusque mater illis interfuerunt. Nihil amplius de illo in Evangelio narratur; fratres Domini subinde commemorantur nulla mentione facta s. Josephi. Patet etiam, Josepho superstite nec opus fuisse nec decuisse, matrem Domini alieno committere custodi.

S. Hieronymus (contra Helvid), s. Bernardinus Senensis (tom. 3.

tatem: profecto non minus decebat, Virgini tradi Virginem in matrimonium: imo magis congruum id videbatur. Nam Joanni data est in matrem, qui titulus aufert omnem suspicionem inhonestatis: at Josepho data est in sponsam, qui titulus copulae conjecturam admittit, maxime quum matrimonii tempore b. Virgo fuerit adolescens, non autem Passionis tempore. Ut ergo castitas omnino comprobaretur, Virgini Virgo tradenda erat.“ Ita Toletus.

4. Hoc virginitatis dono s. Josephum decoratum esse, promerebatur etiam beatissima Virgo, ut undique plena esset gratia; non solum in se ipsa, sed etiam in sponso suo, ut quae per matrimonium una caro i. e. una persona cum eo facta fuerat, per gratiam insignis castitatis precibus ac meritis suis a Deo obtentae, unus cum eo fieret spiritus. „Nam quot viri et adolescentes, exclamat Salmeron[1]) hanc adducens rationem, aut quot puellae se Virginis matris excellentissimis meritis precibusque commendantes gloriantur per eam virginitatis donum a Deo Opt. Max. impetravisse atque illi (secundum Deum) ejusmodi gratiam acceptam ferunt? Fit ergo maxime

serm. de s. Josepho), s. Bonaventura (de vita Christi cp. 17), Gerson (de s. Josepho), Canisius (lib. 2 de Virgine), Salmeron (tom. X, tract. 41), Suarez (tom. II, in III, p. q. 29 a. 1 aliique plures putant, s. Josephum ante vel post baptismum Domini et ante nuptias Canae celebratas piissime obdormiisse. Probatur cum Petro Morales (In cap. I, Matth. tract. 10) ex eo, quod matrimonium inter b. Virginem et s. Josephum principaliter ordinatum fuerit propter Christum Dominum, ut haberet tutorem, nutritium et adjutorem fidelissimum, ut porro sub matrimonii velamine legitimus putaretur et propter b. Virginem, ut comitem et solamen haberet. Jam vero quum bonitas et necessitas mediorum a necessitate et bonitate finis pendeat et cessante causa finali, etiam ratio mediorum cesset, hinc dicendum est, s. Josephum non statim post duodecimum Christi annum obiisse, quia Christus Dominus et beatissima Virgo usque ad praedicationem publicam ministerio et labore s. Josephi eguerunt; mortuus vero est ante nuptias Canae celebratas, quia finis ministeriorum suorum finisque cessavit matrimonii.

[1]) L. c. tom. III, tract. XIX.

probabile, ut sanctissima Deipara non solum hoc virgineae castitatis praerogativum et munus, quin etiam multa alia, quae ad sponsi sui sanctitatem prudentiamque spectabant, illi promeruerit."

Quibus rationibus, s. Josephum pretiosissimo virginitatis decore gavisum esse patet. Quod quum in dubium revocetur, imo etiam a nonnullis negari videatur Patribus asserentibus, s. Josephum ante matrimonium cum b. Virgine initum jam aliis copulatum fuisse nuptiis filiosque ex iis genuisse, in sequenti paragrapho placitum hoc nullo prorsus inniti fundamento demonstrare conabimur.

§. 2.

S. Joseph non erat bigamus.

Gravis est quaestio, num s. Joseph, antequam b. Virginem duxit, alteri fuerit conjunctus? Quamplurimi graeci et latini Patres hoc affirmabant ad tuendam s. Deiparae virginitatem. Numerantur enim in Evangelio fratres Domini, quos, si non sunt ex Maria, ut non sunt, Josephi esse censebant ex alia uxore.

Legimus hanc opinionem in apocrypho Jacobi protoevangelio[1]) hisce verbis expressam: „Ultimam autem virgam accepit Joseph, et ecce columba exiit de virga et volavit in caput Joseph. Et dixit sacerdos Josepho: „Tu es sorte divina electus, ut accipias Virginem Domini in custodiam apud te." Et contradixit Joseph dicens: „Filios habeo, et sum senex; ipsa autem est juvencula: unde timeo, ne forte ridiculus fiam filiis Israel."

Eidem sententiae subscribere videtur Origenes, qui[2]) explicans verba Matthaei „Nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus et

[1]) Num. IX, p. 88 edit. Hamb. cfr. Trombellius l. c. p. I, diss. X. [2]) In Matth. XIII.

Joseph et Simon et Judas" opinionem, de qua hic sermo, depromptam fuisse putat ex Evangelio Jacobi subjungitque, eam sibi optime placere. Apertissime ita sensit s. Epiphanius. „Habuit Joseph, inquit,[1]) primam suam uxorem ex tribu Juda et peperit haec ipsi liberos numero sex, quatuor masculos, duas femellas, quemadmodum Evangelium secundum Marcum et secundum Joannem declaraverunt. Habebat igitur primogenitum Jacobum . . . . . et genuit quidem hunc Jacobum circa quadragesimum plus minus aetatis suae annum. Post ipsum vero nascitur ipsi filius Jose vocatus, deinde post eum Simeon, postea Judas. Et duae filiae: Maria et quae vocatur Salome. Et mortua est ipsius uxor. Et post multos annos accepit Mariam viduus, agens annum viduitatis suae fortassis octogesimum et ultra." [2])

Consensit illi Basilii menologium,[3]) ubi ita: „S. Jacobus, primus Hierosolymorum Episcopus. . . . . Cur autem Dei frater vocatur, hic fertur ex traditione sermo. Quum Joseph sponsus terras suas ex priori conjuge filiis divideret, velletque partem sanctae Virginis filio et Deo tradere, alii quidem minime assensere etc."

Inter patres latinos eadem tradidit s. Hilarius. „Homines pravissimi, inquit,[4]) praesumunt opinionis suae auctoritatem, quod plures Dominum nostrum fratres habuisse sit traditum. Qui si Mariae filii fuissent, et non potius Joseph ex priori conjugio suscepti etc." Nec dissonat d. Ambrosius ita inquiens:[5]) „Potuerunt autem fratres esse ex Joseph, non ex Maria: quod quidem, si quis diligentius prosequatur, inveniet."

Unanimis vero hodie sententia sonat: S. Joseph

---

[1]) Haeres. LXXVIII. [2]) Idem habetur haer. XXVIII, et LI. [3]) Ad XXIII, diem Octobris. [4]) In cap. I, Matth. [5]) De instit. Virg. cp. VI. Cfr. Chrysost. in Orat. de annunt; Theophylact. super Matth. cpp. 13, 27; Euthym. sup. Joa. II, super Matth. XIII; Orig. super Matth. XIII; Cajetan ad Gal. I.

non duxit Deiparam bigamus, sed ut semper virgo. Probatur

1. s. Scriptura. Ideo nonnulli Patres s. Josephum alios ex alia uxore procreasse liberos putant, quia in Evangelio interdum Domini fratres, inter quos praecipue s. Jacobus minor, commemorantur. Jam vero hoc argumentum ex s. literis depromptum quovis caret fundamento. Sicut enim Evangelista Jacobum minorem appellat filium Alphaei,[1]) ita Jacobum majorem filium Zebedaei,[2]) ergo non Josephi. Maria porro, quae est Jacobi minoris mater,[3]) quaeque Josephi uxor esse debuit, tempore Passionis Domini adhuc in vivis erat.

„Erant autem ibi (sub cruce Domini), narrat s. Matthaeus,[4]) mulieres multae a longe, quae secutae erant Jesum a Galilaea, ministrantes ei; inter quas erat Maria Magdalene et **Maria Jacobi** et Joseph mater et mater filiorum Zebedaei.“ Debuisset ergo s. Joseph admissa hac sententia longissimum per tempus duas simul habere uxores, quod non solum legi, sed etiam s. Scripturae „virum justum“ illum vocanti aperte repugnat. Quis ergo sibi persuaserit, sive Josephum duas simul adscivisse conjuges, nempe Mariam Jacobi et alteram Mariam, Jesu Christi matrem, sive e geminis illis unam i. e. Mariam Jacobi repudiasse, ut duceret matrem Jesu. Altissimum hac de re silentium et in s. Scriptura et in Traditione. Hoc videbitur multo absurdius, si quis cum aliquot Patribus (ven. Beda,[5]) s. Chrysologo[6]) etc.) dicat, illas geminas feminas fuisse sorores. „Sororem uxoris tuae in pellicatum illius non accipies.“ Talia ergo connubia prohibebantur in Levitico. Si vero Jacobi minoris mater s. Josephi uxor esse non potest, quaenam fuerit uxor, ex qua tot liberos genuisse tradunt? Nonnulli

[1]) Marc. III, 18. [2]) Matth. X, 3. [3]) Marc. XV, 40. [4]) Matth. XXVII, 55 sq. [5]) In Marc. [6]) Serm. 480.

assignant Escham aut Melcham; sed d. Hieronymus, validissimus virginitatis s. Josephi propugnator, jure optimo illis respondet:[1] „Quidam fratres Domini de alia uxore Joseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum et quamdam Melcham seu Escham mulierculam confingentes.“ Mariam Cleophae fratrum Domini matrem fuisse, inferius demonstrabimus.[2]) Probatur propositio nostra

2. consensu Patrum.

Ita sentit d. Hieronymus redarguens Helvidium:[3] „Tu dicis, Mariam virginem non permansisse: ego mihi plus vindico, etiam ipsum Joseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali conjugio Virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, et aliam eum uxorem habuisse non scribitur: Mariae autem, quam putatus est habuisse, custos potius fuit, quam maritus, relinquitur, eum Virginem mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari.“ S. Augustinum eandem sententiam approbantem jam supra citavimus. Quibus optime consonat s. Petrus Damianus: „Numquid ignoras, inquit,[4] Dei filium adeo carnis elegisse munditiam, ut ne quidem pudicitia conjugali, sed de clausula potius incarnatus sit virginali? et ne hoc sufficere videatur, ut tantummodo virgo sit mater, Ecclesiae fides est, ut virgo fuerit et is, qui simulatus est pater.“

Huc quoque spectat testimonium ven. Bedae:[5] „Non defuere, qui Joseph, virum semper Virginis Mariae, putarint ex alia uxore genuisse eos, quos fratres Domini scriptura appellat: alii majori perfidia alios ex ipsa Maria post natum Dominum generasse putarunt. Sed nos absque ullius scrupulo quaestionis scire et confiteri oportet, non tantum beatam Dei Genitricem, sed et be-

---

[1] In Matth. cp. XII. [2] Cfr. app. [3] Adv. Helvid; cfr. in Cap. XII, Matth. [4] De coelib. Sacerd. cp. III. [5] Lib. II, in Marc; cp. 23; cfr. in cap. II, Joa.

atissimum castitatis ejus testem atque custodem Joseph ab omni prorsus actione conjugali mansisse immunem."

Eodem modo judicat d. Anselmus ita disserens:[1]) „Fratres Domini, non filii b. Mariae juxta Helvidianum haereticum, nec filii Joseph ex alia uxore juxta quosdam sunt putandi, sed potius sunt filii ejus Mariae, quae dicitur mater Jacobi minoris et Jose et Judae." Audiamus denique Doctorem Angelicum.[2]) Postquam retulit, juxta quosdam s. Josephum ante b. Virginem aliam habuisse uxorem, de qua Jacobum aliosque genuit filios, ita subdit: „Sed hoc est falsum, quia si Dominus matrem virginem noluit nisi virgini commendare custodiendam, quomodo sustinuisset, sponsum ejus virginem non fuisse et sic perstitisse?"[3]) Quod testimonia ab adversariis prolata attinet, respondemus

a. narrationem ex protoevangelio Jacobi desumptam anilibus consutam esse fabulis. Protoevangelium illud inter apocrypha habendum esse monent Innocentius Papa in epistola 3ª ad Exuperium, sicuti Gelasius in constit. Romana titulo de scriptoribus apocryphis.

b. Patres ita loquebantur ex adversariorum (gentilium et haereticorum) tantummodo opinione, eam vero nullatenus admittendo et approbando, ut beatissimae Virginis propugnarent virginitatem. Probatur thesis nostra

3. ratione; nam

a. Deus voluit pro matre sua sponsum non alium, quam virgineum, qualis erat s. Joseph, quem candida

---

[1]) In cpp. XII, et XIII, Matth. et in cp. I, Gal. [2]) In cp. I, Gal. lect. 5. [3]) Idem docent d. Thom. III, p. q. XXVIII, a. 3 ad 5; Rup. Abb. sup. cap. I, Matth; Mag. Sentent. IV, dist. 30; Hugo de s. Victore q. 5 in cp. ad Gal; Gerson serm. de Nat. Mariae; Bernard. serm. de Nativ. Christi; Salmeron tom. III, tract. 29. Bernardin. Senens. tom. 3 in serm. de s. Josepho; Joannes Eckius in serm. de s. Josepho; Canisius lib. 2 de B. Maria cp. 13; Toletus super Luc. cp. 1; Baronius tom. I, Appar. ad ann. eccl. a num 61 ad 69. Suarez tom. II, in III, p. q. 28 a. 1.

vitae integritas tanta gratia et tam sancto connubio reddidit dignum. „Sicut enim decuit, ait Gerson,[1]) ut Maria tanta puritate niteret, qua sub Deo major nequit intelligi, ita decuit, ut s. Josephus tanta polleat praerogativa, quae similitudinem et gratiam exprimeret talis sponsi ad talem sponsam.“

b. Si s. Joseph liberos habuisset ex alia praecedente uxore, divisisset amorem nec Christo se totum impendere potuisset; sed hoc requirebatur ad sustinendum cum Christo exilium et ad omnia alia onera ferenda.

Abscedat igitur a cogitationibus nostris omnis falsa de s. Josephi viduitate contra integram ejus de concupiscentia carnis victoriam suspicio! Minime enim decuit, filiorum aut nepotum sollicitum fuisse eum, qui Domini matrisque ejus conjugalem ac paternam suscepturus esset curam. Qua Virginitatis potius candidissimae lilium cum conjuge sua virginea vivere debuit, ut Dominus noster de utero virgineo natus inter maternas ac paternas manus nutriretur virgineas!

§. 3.

S. Joseph virginitatem voto firmavit.

Quamvis non expresse loquatur s. Scriptura de s. Josephi voto, potest illud tamen elici ex his, quae manifeste ea continentur.

1. S. Deipara emisit votum perpetuae castitatis huncque sibi finem praefixit, ut illud integrum usque ad mortem servaret. Quae quum omnium virginum fuerit prudentissima, optime praevidit et praecavit imminentia quaeque virginitati suae pericula neque nuptias admisit viri, de quo certa non erat, quod votum suo simile non haberet. Unde sequitur, quod b. Virgo vel per revelationem vel alio modo certo sciverit, s. Josephum castitati

---

[1]) Serm. de Nativ.

et continentiae tantopere esse deditum, ut illius curae tutissime commendare posset virginitatis suae custodiam.

2. B. Virgo, uti in caeteris virtutibus, ita in virtute excelluit justitiae, cujus officium est, constantem et perpetuam habere voluntatem jus suum unicuique tribuendi et reddendi. Matrimonium iniens cum s. Josepho hanc ergo habuit b. Virgo voluntatem; at illa caruisset, si post votum perpetuae virginitatis emissum nupsisset viro, qui simili voto non fuisset obstrictus. Novit ergo b. Virgo ante nuptias initas, s. Josephum virginitatem vovisse.[1]

3. B. Virgo nunquam ne minimum quidem veniale peccatum commisit. Jam vero si in sua cum s. Josepho desponsatione servasset perpetuum suum celandae virginitatis votum nec aliunde cognovisset, s. Josephum simile emisisse votum, eum decepisse convinceretur reaque esset mendacii, quia aliud in mente repositum, aliud verbis sponso promisisset.

4. Disponens Deus, ut filii sui mater servarit in matrimonio virginitatem, debuit etiam media ad hoc convenientia disponere. Nullum autem magis congruum, quam sponsum futurum ejusdem esse propositi. Concredendo ergo Deus Matrem Josepho, hic votum habebat virginitatis, sicut sponsa sua castissima.

5. Omnes Apostoli emiserunt votum castitatis, ut expresse tradunt s. Augustinus[2] et s. Hieronymus;[3] ergo hac praerogativa gaudebat etiam s. Joseph aeque et magis Christo vicinus, quam Apostoli.

6. Si sacerdotibus justissima ex ratione perpetuum castitatis votum impositum est, quum sacratissimum Christi corpus consecrent manibusque contrectent: nonne s. Joseph ad simile ministerium contrectandi Christum electus similiter castitatem vovere debuit? „Vovit Maria virginitatem, inquit Gerson,[4] vovit et ipse Joseph

---

[1]) Cfr. Maria de Agreda cp. 22 et nota 36. [2]) De Civitate Dei lib. XVII, cp. 4. [3]) Contra Jovinian. lib. II. [4]) Serm. de Nativ. Mar. Consid.

secundum doctores; cui voto non repugnavit vera matrimonialis conjunctio neque corporum mutua translatio, in quo matrimonio proles fuit, fides atque sacramentum.“ Cancellarium Parisiensem praecessit s. Thomas ostendens, Mariam simul cum s. Josepho votum virginitatis emisisse. „Accepto, inquit,[1]) sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit.“ Et ad 3: „Post desponsationem ex communi voluntate simul cum sponso suo votum virginitatis emisit.“ [2])

Cap. II.

DE ÆTATE, QUA S. JOSEPH B. VIRGINEM IN MATRIMONIUM DUXERIT.

Etiam in hac quaestione solvenda interpretes ac theologi valde dissident; nonnulli enim s. Josephum tempore matrimonii cum beatissima Virgine initi in senili fuisse aetate contendunt, alii e contra aetatem florentem, annos circiter triginta vel quadraginta illi attribuunt. Audiamus rationes, quibus utraque fundetur sententia.

Sentent. I:

S. Joseph tempore desponsationis suae jam fuit grandaevus.

Sententiae hujus patroni allegant

1. testimonium s. Scripturae, quae Christo duodenni a parentibus suis in templo reperto nullam de s. Josepho faciat mentionem: „Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et

---

[1]) III, p. q. XXVIII, a 4. [2]) Cfr. Pet. Morales in Cap. I, Matth. lib. II, tract. VI, n. 13.

ego dolentes quaerebamus te."[1]) Ex hoc alto silentio juxta illos concludere licet, s. Josephum haud ita multo, postquam puer Jesus duodecimum aetatis annum explevit, obiisse, ideoque eum, dum b. Virginem in matrimonium duxit, jam plurimis gravatum fuisse annis.

2. Confirmatur haec sententia auctoritate quorumdam apocryphorum quidem, sed certissime pervetustorum librorum. Legimus v. g. in protoevangelio s. Jacobi:[2]) „Dixit sacerdos Josepho: Tu es sorte divina electus, ut accipias virginem Domini in custodiam apud te. Et contradixit Joseph dicens: filios habeo, et sum senex." In historia ortus Mariae dicitur de s. Josepho: „Erat homo de domo et familia David grandaevus."

Plenissime consentit s. Epiphanius: Eorum inscitia, inquit,[3]) qui neque sacras literas accurate callent, neque in veterum historiarum lectione triti sunt, hos ipsos ab aliis ad alia transfert et abripit, quum ex ingenio suo ac mente veritatis vestigia consectantur. In primis itaque cum beato viro Josepho tradita est, quo illam sortis necessitas adduxerat, nequaquam ei ad copulationem est concessa, si, quod res est, asseverare volumus, quum utique viduus esset: sed propter legem tamen vir illius appellatur. Quomodo enim tam affectae senex aetatis virginem habere uxorem potuit, qui tot annis antea, priori conjuge esset orbatus. Quod inprimis homo senex supra octoginta annos Virginem ad usum corporis non acceperit, sed divina potius providentia ad illam custodiendam est appositus." Et ibidem: „Post multos annos accipit Mariam viduus agens viduitatis suae fortasse octogesimum et ultra." „Aut solum vir vocatus est (Joseph), inquit idem Scriptor,[4]) eo, quod desponsatus fuit, quum senex esset annorum plus minus octoginta." Nec discrepat Gregorius Cedrenus ita loquens:[5])

---

[1]) Luc. II, 48. [2]) Nro. IX, 88 edit. Hamb. [3]) Haer. LXXVIII, contra Antidicomarianitas. [4]) Haer. LI. [5]) Comp. hist.

„Huic octogenario in matrimonium tradita est.“ Idem sentire videtur Nicephorus.[1]) Pro hac opinione afferri etiàm solet, quod s. Joseph fere semper senex depingatur. Probatur

3. ratione; absolute enim loquendo seniores praeferendi sunt in honoribus et muneribus.

Sentent. II:

S. Joseph non fuit senex, quum b. Virginem sumpsit conjugem.

Ita sententia communis et juxta Suarez[2]) certa. Probatur

1. s. Scriptura et quidem

a. authoritate Isaiae:[3]) „Habitabit enim juvenis cum virgine, et gaudebit sponsus super sponsam.“ Quae prophetae verba a multis theologis ad matrimonium b. Virginis cum s. Josepho relata Lyranus ita exponit: „Habitabit juvenis cum virgine caste et sancte, sicut Maria cum Joseph.“ „Quare prophetiae credendum est, inquit Christophorus de Capitefontium,[4]) quae de hoc matrimonio apud Isaiam habetur, quae dicit: „Habitabit juvenis cum virgine.“ Novum enim aliquid praedicere volebat propheta in adventu Messiae eventurum; nec enim novum fuisset, adolescentulam non virginem viro juveni nuptam cum eo habitare. Hoc omni tempore, et inter ipsas quoque gentes visum semper fuit, sed quod virgo juvencula cum viro juvene habitare tuto posset, Messiae tantum tempore futurum servabatur et praedicebatur. In frigido enim aut sene decrepito admirationem non parit castitas; in juvene autem viro cum puella juvene habitante miraculosa est continentia.“

b. S. Joseph „vir“ Mariae nominatur.[5]) Vir autem

---

[1]) Hist. lib. I, cp. 7. [2]) Tom. II, in III, p. dist. 7 sect. 3. [3]) LXII, 5. [4]) Lib. de virgin. Mariae p. 152 sq. [5]) Matth. I, 16, 19.

proprie appellatur, qui nec nimium juvenis nec senex, sed qui in robusta et consistenti aetate est.

c. „Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph.“[1] S. Josephum Judaei semper patrem Jesu habebant, non quidem patrem adoptivum et nutritium, sed patrem verum ac naturalem. At hoc certissime non fecissent, si s. Joseph tempore desponsationis tam grandis natu, si jam senex fuisset octogenarius. „Dicit autem Lucas Evangelista de Domino, animadvertit d. Augustinus,[2] quod „putabatur filius Joseph,“ quia ita putabatur, ut per ejus concubitum genitus videretur.“ Ea ergo aetate s. Joseph erat, ut ex b. Virgine prolem suscipere potuisset. Argumentum negativum ex s. Scripturae silentio de s. Josepho ab adversariis supra, ubi de virginitate ejus disseruimus deductum, fusius refutatum est. Probatur sententiae nostrae veritas

2. auctoritate ss. Patrum.

Omnes fere ss. Patres Ecclesiaeque Doctores in eo conveniunt, quod asserant, s. Joseph et b. Virginem virginitatis votum emisisse. Supponunt ergo sine dubio, s. Joseph non fuisse virum senio confectum et attritis aetate viribus; alias enim hoc votum videretur prorsus ridiculum. „Temperantia, inquit apprime s. Basilius,[3]) quae est in senectute, non tam virtus temperantiae, quam libidinis et incontinentiae quaedam est imbecillitas.“

Libri apocryphi a prioris sententiae patronis citati, licet sint vetustissimi, merito tamen habentur indigni fide, quam quidem s. Epiphanius cum nonnullis aliis scriptoribus iis adhibet. At hoc a communi et certa recedere sententia cogere nequit.

S. Epiphanii opinioni favere videntur antiquae

---

[1]) Luc. III, 23. [2]) Contra Julian. lib. V, cp. 12. [3]) Orat. 8 de temperantia.

picturae non contemnendam habentes auctoritatem, quae s. Joseph exhibent senem.

Plures vero adduci possunt rationes, unde consuetudo s. Josephum depingendi senem obtinuerit. Obtinuit illa ad ostendendam v. g. ejus castitatis virtutem. „Aetas enim senectutis, inquit Sapiens, vita immaculata.“ Tum etiam, quia, ut ait Morales, [1]) ab initio nascentis Ecclesiae Mariae perpetua virginitas nondum radices fixerat in cordibus fidelium, ne suspicaretur carnale aliquid de Joseph et Maria. Qua ratione etiam omissa fuit solemnizatio de tam venerando laetoque conjugio s. Deiparae et s. Josephi, maxime quod pictus Josephus invenitur in juvenili aetate et crebro quidem in regno Alemaniae, ut testantur Gerson et de Italia Dionysius Isolanus. [2]) Unde constat, adaequatam cessasse causam, quae nascentis Ecclesiae tempore vigebat, et sic cessavit effectus. Quod et Parisiensis cancellarius Gerson in sua cecinit Josephina. [3]) Consentit hisce ven. Canisius. „Fortasse, inquit, [4]) ingeniosa vetustas dedit hoc populi simplicitati, ut etiamsi Joseph junior fuisset, quam pingitur, tamen pro seniore vulgo haberetur, ad depellendam videlicet rei amatoriae et conjugalis congressus suspicionem.“

Eadem fere repetit Suarez inquiens: [5]) „Illa consuetudo picturae propter quamdam decentiam et ad vi-

---

[1]) L. c. lib. II, tract. V, n. 12. [2]) Lib. de s. Josepho cp. II,
[3]) „Ergo Joseph reputasse senem fecere seniles
In se virtutes: vel nec carnalis haberet
Suspicio, de te quidquam carnale, Maria,
Donec virginitas tua fixa fidelibus esset
Cordibus, inde minor est mentio de Joseph acta:
Non subito toto se monstrat gratia mundo.
Non secus esse decet, dum toto creditur orbe
Copula virginea nobis sine labe fuisset
Munda, decens, cauta, coelesti par et honesta.“
[4]) De corruptelis verbi Dei lib. 2 cp. XIII. [5]) L. c. disp. VII, sect. III, n. 5.

tandam vulgi opinionem introduci potuit. Vel fortasse, quum Joseph esset maturae aetatis et vir justus partim laboribus, partim corporis afflictionibus effecerat, ut provectioris, quam revera esset, aetatis appareret."

Argumentum ergo ex pictorum auctoritate deductum levissimi videtur momenti. Audiamus, quomodo Montacutius illud refellat: „Exhibent illi, inquit,[1] satis amplam et opportunam ridendi occasionem et lubentiam, qui decrepitam hujus viri aetatem probaturi, parietum picturas et fenestrarum producunt ex ecclesiis et monasteriis. Quod genus probationis, si quid roboris haberet vel firmitatem, probari posset, diabolum, Christi in deserto tentatorem, Monachi cucullati indutum vestibus, aut assumpto habitu eremitae ad Christum accessisse; nam ad illum modum solet in fenestris et parietibus deformari." Probatur sententia nostra

3. ratione. Si enim

a. finem consideremus, propter quem s. Joseph datus sit beatissimae Virgini sponsus, s. Josephum non senem, sed potius virum aetate florentem circa triginta vel quadraginta fuisse annos certiorabimur. Beatissima enim Virgo matrimonio fuit copulata, ut

α. honor ejus in tuto poneretur utque ejus graviditas ac partus ab omnibus, qui mysterium in ea peractum nesciebant, marito tribui posset. Jam vero si s. sponsus fuisset tam decrepitus, nemo illi ascripsisset partum. Maria ergo ex adulterio concepisse ideoque crimen fornicatione majus commisisse credita fuisset.

β. Quomodo porro consultum esset honori Domini nostri? Nonne increduli Judaei calumniari eum potuissent, quod non de semine David esset ideoque nec verus Messias in lege promissus?

γ. Juxta unanimem ss. Patrum opinionem Deus b. Virginem matrimonio jungi voluit s. Josepho, ut hic in ne-

[1]) Apparat. IX, n. 26.

cessariis illi provideret, in fovenda et educanda prole, in rebus domesticis gerendis, ut pauperem familiam industria sua aleret eamque in laboribus viarum, sicut eundo in Aegyptum et redeundo ex hac terra, defenderet. Ad quae ministeria praestanda aetas tantopere provecta videtur prorsus inepta, quum s. Joseph alieno potius indigeret obsequio, quam aliis auxilium exhibere posset.

b. Decuit, ut in hoc matrimonio nobilissimo proportio inter virum et uxorem saltem talis servaretur, quae usu communi servatur, sicuti proportio illa in sanguinis nobilitate, in virtute et sanctitate servata fuit. Quid vero, si b. Virgo, quae quatuordecim tantum erat annorum, seni data fuisset octogenario?

c. Ii, qui s. Josephum non aliter a Virgine se continere potuisse judicant, nisi senex et per aetatem provectam ad commixtionem impotens fuisset, plurimum derogant gratiae Dei, quae tam efficax esse potest in adolescentibus, ac in aliis hominibus. Vanus est carnalium timor; facilius enim continet juvenis virgo Deum timens, quam senex impotens libidinique assuetus. Nonne beatissimae Virginis sponsus, cujus laudem praedicat Evangelium, multo excellentior fuit Josepho, veteris testamenti patriarcha? At hic eximie praedicatur, quod, quum esset juvenis pulchra facie, contra istam impudicam mulierem illaesam servaverit castitatem suam. Quisnam ergo suspicari audeat, novi testamenti patriarcham propter incontinentiae periculum senem fuisse electum? „Id affirmare, inquit merito Toletus,[1]) esset divinae gratiae injuriam inferre; nam qui eum ad tantam elegit dignitatem, eam potuit illi gratiam impertiri et vere impertitus est, ut puritatem omnimodam consequeretur. Plus namque potest gratia, quam aetas; castiorque evadet, quem gratia adjuvat, etiam in viridi aetate, quam quem aetas longa sine gratia corporis viribus extenuat. Et-

---

[1]) Sup. Luc. cp. I, Annot. 59.

enim s. Augustinus[1]) recte dicit: „Aliquando deficiente corpore animi libido non deest. Contra vero dicere possumus, gratia Dei juvante, etiam corpore vigente et animi et corporis puritatem adesse.“

Conformius ergo censemus libris evangelicis, conformius traditioni nec non fini sacratissimi hujus Mariani conjugii, si s. Joseph desponsationis tempore juvenis fortis ac valens fuisse credatur.

---

[1]) De Civit. Dei lib. 14 cp. 16.

Pars secunda.

De Virgine Deipara pro statu Christum natum concomitante.

SECTIO I.

DE CIRCUMSTANTIIS ANNUNTIATIONIS AC VISITATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS.

Quae per unum Fiat solum
Reserando nobis polum
Pandit coeli limina.
Quaqua pergit, quaqua meat,
Sua luce cuncta beat,
Dat ubique gaudium.

Cap. I.

DE CIRCUMSTANTIIS ANNUNTIATIONIS.

§. 1.

De congruentia Annuntiationis per Angelum Gabrielem factae.

Non statim post matrimonium cum s. Joseph contractum, sed mensibus quatuor elapsis beatissima Dei Genitrix Virgo, in domo s. Joseph commorans, laetissimum de sua Salvatoris ineffabili conceptione ejusque pariter admirabili nativitate nuntium coelitus accepit. Ita refert Evodius,[1]) primus post s. Petrum Episcopus Antiochensis. Sequuntur illum Nicephorus,[2]) Suarez,[3]) Christophorus de Castro[4]) aliique theologi. Plures hic exoriuntur quaestiones, ad quas respondeamus necesse erit. Quaeritur

---

[1]) In epist., quam Phos appellant. [2]) Hist. eccl. lib. 2 cp. 3. [3]) In III, p. tom. 2 q. XXIX, a. 1. [4]) In hist. Deiparae cp. 4 n. 14.

1°: Utrum conceptus debuerit prius annuntiari beatissimae Virgini?

Hic non de necessitate agi simpliciter dicta seu absoluta, per se patet. Dubitari enim nequit, quin Deus Incarnationis mysterium in b. Virgine etiam illud ignorante perficere potuerit. Non ergo loquimur nisi de necessitate relativa seu convenientiae et in hoc sensu necessarium fuisse asserimus, ut s. Deiparae Incarnatio annuntiaretur.

Rationes, quibus haec fundatur assertio, respiciunt Deum, hujus mysterii praestantiam, beatissimam Virginem ac nostram demum instructionem.

a. Deus, de quo legitur:[1]) „Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate judicas et cum magna reverentia disponis nos“ suavissimo modo cum hominibus agere eorumque libertatem nulla ratione laedere statuens, per gratiam suam neminem ratione praeditum ad amicitiam suam sine illius consensu pertrahit. Jam vero quum b. Virgo hoc mysterio ad singularem cum Deo conjunctionem tamquam Mater Filii Dei et sponsa Spiritus sancti elevata fuerit, etiam consensus ejus adesse debuit.

b. Praestantia mysterii ab omnibus patriarchis et prophetis, ab omnibus justis ac regibus tam vehementer desiderati postulavit, ne in Maria invita aut ignorante illud perageretur. Convenientissimum e contra fuisse videtur, ut si generis humani pernicies ac ruina per mulierem diabolo assensum praebentem incepit, ejusdem quoque humani generis reparatio a muliere Angelo Dei assentiente exordium sumeret. „Audistis, inquit ideo perpulchre s. Chrysologus,[2]) audistis hodie, fratres, Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem: audistis agi, ut homo cursibus eisdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit

---

[1]) Sap. XII, 18. [2]) Serm. 142 n. 1.

cum Maria Angelus de salute, quia cum Eva Angelus egerat de ruina. Audistis Angelum de carnis nostrae limo templum divinae majestatis arte ineffabili construentem."

c. Si ex beatissima Virgine hujus mysterii inscia Dominus carnem suscepisset, nobis non innotuissent omnes pulcherrimae illae virtutes, quae innotuerunt, quum ei Angelus Deo jubente Incarnationis mysterium in ea peragendum patefecit. Non elicuisset illa nobilissimos de hoc mysterio fidei actus, unde dicitur: „Beata, quae credidisti;[1]) non elicere potuisset actus obedientiae, pietatis, amoris erga Deum, profundissimae humilitatis et mirandae prudentiae in voto virginitatis servando. „Assensus, inquit Trombellius,[2]) quem Maria Angelo eum exposcenti praebuit, Mariae promeruit contulitque eximia illa gratiarum donorumque munera, quae tum obtinuit Virgo, quum in purissimo utero suo Altissimi filium eidem Altissimo consubstantialem et coaequalem suscepit."

Mirabilia profecto haec s. Bernardini Senensis[3]) verba: „Plus meruit gloriosa Virgo in uno suo consensu, scilicet conceptionis filii Dei, quam omnes creaturae, sive Angeli, sive homines, in cunctis suis actibus, motibus et cogitationibus. Et quidem omnes, qui meruerunt, nihil amplius potuerunt mereri, nisi secundum diversos status et gradus gloriam felicitatis aeternae. Haec autem Virgo in illo glorioso consensu meruit extinctionem fomitis, primatum orbis, dominium mundi super omnes creaturas, sceptrum regni, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum spiritus et omnium scientiarum et maxime altissimae Theologiae, interpretationis sermonum, spiritus prophetiae, discretionis spirituum, operationis

---

[1]) Luc. I, 45. [2]) L. c. p. II, diss. XI. [3]) Serm. V, de festivitatibus B. M. V.

virtutum, gratiae sanitatum. Meruit fecunditatem in virginitate, maternitatem filii Dei, quod sit stella maris, porta coeli et super omnia, quod divinae misericordiae sit regina et regina misericordiae nominetur."

Convenientissimum porro fuit, beatissimae Virgini annuntiari mysterium hoc in ea perficiendum, ut debito ordine prius Deum mente, quam corpore conciperet. Quare d. Augustinus:[1]) „Beatior est Maria, inquit, percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi . . . . . Materna propinquitas nihil Mariae profuisset, nisi felicius Christum corde, quam carne gestasset." Quibus consentit s. Leo dicens:[2]) „Prius b. Virgo Christum fide, quam carne concepit, quod non admonita habere non poterat."

Si hoc mysterium in beatissima Virgine sine notitia peractum sique illud prius corporaliter fuisset experta, quin sciverit, quid et unde et cujus gratia esset, merito conturbari magnamque in tristitiam delabi debuisset. Quare juxta s. Leonem[3]) annuntiatio necessaria fuit, ne superni ignara consilii ad inusitatos paveret effectus.

In mysterio Incarnationis etiam varia contracta sunt, uti s. Thomas docet,[4]) sponsalia, quae sponsae consensum requirunt: Et quidem imprimis sponsalia Dei cum humana natura secundum illud Osee:[5]) „Sponsabo te mihi in fide." Deinde sponsalia Christi cum Ecclesia et denique sponsalia Spiritus sancti cum Deipara, quam fecundavit secundum illud: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi."[6]) Sponsalia vero requirunt sponsae consensum. Ergo necesse fuit, ut b. Virgo, per Annuntiationem vel Revelationem instructa, totius naturae humanae nomine, nomine Ecclesiae et proprio consentiret nomine. „Qui

---

1) Lib. de Virg. cp. 3. 2) Serm. de Nat. Domini. 3) Serm. 1 de Nativ. 4) III, p. q. XXX, a. 2. o. 5) II, 20. 6) Luc. I, 35.

enim creavit te, inquit d. Augustinus, sine te, non salvabit te sine te."

d. Nostram quoque intendit instructionem Deus, quum carnem a Maria desumpturus illius expectavit assensum. Quam leniter enim cum hominibus agendum est nobis, si Deus tam reverenter tamque leniter cum b. Virgine egit! Edocuit nos Deus, quomodo parentibus obedire debeamus, quum ipse Dominus illi, quam matrem elegerat, tam splendidissimum praebuerit obsequium. „Euge, inquit Methodius,[1]) quae debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur; Deo enim universi debemus: tibi autem etiam ille debet: proinde qui dixit: honora patrem tuum et matrem tuam, ut is decretum a se promulgatum observaret, et alios excederet, omnem matri et gratiam et honorem impendit." Vidimus ergo, ex gravissimis rationibus decrevisse Deum, ut hoc sacrosanctum Incarnationis mysterium non fuerit executioni mandatum, nisi interveniente b. Virginis consensu. Marianum „Fiat" Redemptorem nostrum e coelo procuravit; a consensu Virginis nostram voluit Deus dependere salutem. Quaeritur

2°: Cur Angelus missus sit?

Mysterium Incarnationis jam pridem a prophetis, praesertim ab Isaia praedictum innotuit, postquam in b. Virgine manifestatum est, per Simeonem et Annam, postea per Zachariam ejusque filium, s. Joannem. Quare ergo beatissimae Virgini non per prophetam vel per alium virum praestantissimum, sed per Angelum significatum est?

S. Doctor Angelicus respondet:[2]) „Conveniens fuit, inquit, matri Dei annuntiari per Angelum divinae Incarnationis mysterium propter tria:

a. Ut in hoc etiam servaretur divina ordinatio, secundum quam mediantibus Angelis divina ad homines

---

[1]) Orat. in Purific. B. M. V. [2]) III, p. q. XXX, a. 2 in corp.

perveniunt. Unde Dionysius dicit,[1]) quod divinum Jesu benignitatis mysterium Angeli primo edocti sunt, postea per ipsos ad nos cognitionis gratia transivit. Sic ergo divinissimus Gabriel Zachariam quidem docuit, prophetam Joannem ex ipso nasciturum: Mariam autem, quomodo in ipsa fieret thearchicum ineffabilis Dei formationis mysterium.

b. Hoc fuit conveniens reparationi humanae, quae futura erat per Christum. Unde Beda dicit:[2]) „Aptum humanae restaurationis principium, ut Angelus a Deo mitteretur ad Virginem, partu consecrandam divino: quia primae perditionis humanae fuit causa, quum serpens a diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiae decipiendam."

c. Quia hoc congruebat virginitati matris Dei. Unde Hieronymus:[3]) „Bene Angelus ad Virginem mittitur: quia semper est Angelis cognata virginitas. Profecto in carne praeter carnem vivere, non terrena vita est, sed coelestis."

Alii alias afferunt rationes, cur Deus Angelum ad b. Virginem miserit. Hoc v. g. fiebat, quia Angelus de Domino Angelorum annuntiaturus venit. Christus enim magni consilii Angelus est. Mysterium illud annuntiandum in beneficium porro cedebat hominum, quorum saluti destinata erat Angelorum custodia.

Angelus mittitur, docet Salmeron, ut non solum existimemus, Angelos tantum bonum nobis non invidisse, quod ipsis negatum est, sed etiam nobiscum gaudere deque tanto bono nobis congratulari.

Etiam providentiae divinae suavitas postulat, ut infima ad suprema non reducat, nisi per media. Homo vero infimi est intellectus et mortalis, Deus e contra

---

[1]) Coelest. hierarch. cp. 4. [2]) In Gloss. super Luc. cp. 1. [3]) In serm. Assumpt. [4]) Comment. in Evang. hist. tom. III, tract. III.

supremae intelligentiae ac immortalis; spiritus angelici sunt medii.

Si tandem per prophetam vel per patriarcham quendam haec missio facta fuisset, ille prius, quam beatissima Virgo, divina mysteria scivisset. Quaeritur

3°: Cur Angelus Gabriel electus sit?

Missus jam erat Angelus Gabriel Danieli prophetae, ut regnorum vicissitudines Incarnationem praecessuras, Incarnationis tempus ad erigendam prophetae spem „abbreviatum“ omnesque Incarnationis circumstantias praediceret.[1] Missus porro fuit ad Zachariam, quem de Joannis, Domini praecursoris, mirabili conceptione et nativitate certiorem redderet.[2] Sunt etiam, qui asserant, eum s. Josepho ad annuntiandum mysterium in b. Virginis utero peractum apparuisse.[3] Nonne ergo decuit, ut idem praestantissimi quoque mysterii nuntius electus ac missus sit ad beatissimam Virginem?[4] Ex nominis sui significatione convenientia haec clarissime patet. Significatur enim voce „Gabriel:“

a. Fortitudo Dei. Fortissimus enim est Deus nuntium mittens, cui nihil possit resistere; fortissimus apparet ille, quem Angelus Virgini annuntiat. „Illum quippe, inquit perbelle s. Gregorius Magnus,[5] nuntiare veniebat, qui ad debellandas aereas potestates humilis apparere dignatus est. De quo per Psalmistam dicitur:[6] Tollite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales et introibit rex gloriae. Quis est iste rex gloriae? Dominus fortis et potens, Dominus potens in proelio, Dominus virtutum ipse est rex gloriae.“ Fortissimus est nuntius ipse, fortissima quoque mulier, ad quam mittitur. Sine opera viri enim concepit filium,

---

[1]) Dan. VIII, IX, 21 sqq. [2]) Luc. I, 11 sqq. [3]) Matth. I, 20.
[4]) Cfr. Julianus Toletanus lib. I, cont. Jud. [5]) Hom. 34 in Evang.
[6]) Ps. XXIII, 9 sq.

qui Dominus suus erat; gestavit sine labore gestantem se, peperit sine parturitione suum genitorem, lactavit et pavit sacro ubere se omnesque creaturas pascentem, custodivit ab Herode se et omnia custodientem. Fortissima profecto inter omnes, quae fuerunt, vel erunt a principio usque ad finem mulieres, quia prima et sine exemplo carnem, sexum et aetatem vincendo virtute mentis conservavit in nobilitate humilitatem, in paupertate honestatem, in conjugio virginitatem!

D. Bernardus aliam affert rationem, cur Angelus Gabriel i. e. fortitudo Dei ad b. Virginem missus sit. „Angelus, inquit,[1]) fortitudo Dei appellatus est, vel quod hujusmodi meruerit praerogativam officii, quo ejusdem nuntiaret adventum virtutis, vel quia virginem natura pavidam, simplicem, verecundam de miraculi novitate, ne expavesceret, confortare deberet, quod et fecit. „Ne timeas, inquiens, Maria, invenisti gratiam apud Deum.“ Sed et ipsius sponsum, hominem utique nihilominus humilem ac timoratum non irrationabiliter forsitan idem Angelus confortasse creditur, quamquam tunc ab Evangelista non nominetur. „Joseph, inquit, fili David, ne timeas accipere Mariam conjugem tuam.“

Nec minus opus ipsum a Gabriele Angelo nuntiatum fortissimum est, quia funiculus ille triplex, qui difficulter rumpitur, nempe verbi, animae et carnis. Venit enim annuntiare conjunctionem duorum, quae humano repugnare videbantur sensui: ut est illa Dei et hominis, virginis et matris, viatoris et comprehensoris, fidei et rationis prorsus admiranda conjunctio. Annuntiavit praeterea divisionem duorum inseparabilium i. e. poenae et culpae, quia Christus Jesus poenam sine culpa ulla propria sustinuit, et culpae a poena, quia nos, qui et originalem et personalem culpam contraximus, hujus beneficio Incar-

---

[1]) Super Missus hom. I.

nationis poenam aeternae gehennae evadimus. Magnum ergo et fortissimum Dei opus evangelizavit Gabriel, dum annuntiavit Incarnationem, in qua Deus fit homo et homo efficitur Deus; virgo fit mater et foecundatur, prima causa fit effectus, Creator creatur, simplicissimus componitur, infinitus terminatur, immensus mensuratur, aeternus tempori subjicitur, incircumscriptus utero virginis includitur, Spiritus incorporatur, primus fit ultimus et Alpha Omega, majestas deprimitur, omnipotentia infirmatur, sapientia discit, gaudium et risus illacrimatur, dulcedo amaricatur, fiducia timet, immortalis fit mortalis, vita moritur, coelum fit terra.[1]) Fortissima profecto opera! Merito per Gabrielem illa annuntiantur.

b. Vox „Gabriel“ designat „virum Deum“ seu „virum Dei.“ Significatione illa mysterium ipsum Incarnationis declaratur i. e. Deus homo seu persona, quae simul Deus et homo est. „Quid, quaeso, interrogat Proclus,[2]) Gabriel interpretatum sonat? Audi et disce: Idem utique sonat, quod Deus et homo. Quia ergo ille, quem annuntiabat, Deus erat et homo, quo dispensationis mysterium persuadeat, rei miraculum nominis notione anticipat.“ . . . „Reverere, inquit idem Antistes, nomen Archangeli, qui nuntium illum laetissimum apportavit Mariae, qui Gabriel est appellatus. Gabriel enim Deus et homo: geber enim homo est — el Deus: nomine ipso significans nuntium, quem apportat, quoniam is, quem evangelizat, Christus Deus et homo erat oriturus, nomenclatura ipsa miraculum significat.“

c. Significat vox „Gabriel“ „virum meum Deum“; ipso enim nomine, animadvertit Salmeron l. c., declarat, quid venisset nuntiaturus, nempe partum ejus, quem virgo pareret ac pro viro Deum, hoc est, Spiritum sanctum, qui conceptum hunc operaretur, haberet.

---

[1]) Cfr. Salmeron l. c. tract. III, de Angelo Gabriele. [2]) Ex ejus homilia a Conc. Ephesino allegata.

Ex dictis patet, quam conveniens fuerit, beatissimae Virgini per Angelum Gabrielem sublimissimum illud Incarnationis mysterium annuntiari.

Priusquam longius progredimur, cujus dignitatis sit Gabriel, inquirere libeat.

Ab Evangelista[1]) „Angelus" nominatur: „Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae." Quaeritur, utrum ille ad infimum an ad supremum pertineat ordinem. Plurimi Patres, v. g. s. Gregorius M., s. Joannes Damascenus, s. Bernardus ex supremo eum fuisse ordine demonstrant ideoque Archangelum appellant. „Qui minima nuntiant, inquit s. Gregorius,[2]) Angeli dicuntur; qui vero summa, Archangeli. Hinc est enim, quod ad Mariam Virginem non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur. Ad hoc quippe ministerium summum Angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium annuntiabat." S. Scripturae sententia haec consona esse videtur; dixit enim Gabriel ipse Zachariae: „Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum." Ideoque forsitan et hic Angelus immediate a Deo ipso dicitur missus, non vero ab Angelo superiore, sicut ordinarie a Domino in revelationibus homini faciendis fieri solet, idque non solum ob negotii tractandi magnitudinem, sed etiam ratione ipsius Virginis. Non enim congruens videbatur, ut tale mysterium, in quo Patris potentia, Filii sapientia ac Spiritus s. gratia resplendescerent, aliis Angelis excepto Gabriele prius, quam b. Virgini innotesceret. Angelis quidem manifestavit Deus adventum personae Verbi ad hominem redimendum, hujus redemptionis vero modum non revelavit, nisi Gabrieli et beatissimae Virgini.

Angelus Gabriel apparuit docente s. Thoma[3]) in specie humana, quod etiam ex ejus ad b. Virginem ingressu et discessu elucet. „Hoc conveniens fuit

---

[1]) Luc. I, 26. [2]) Hom. 34 in Evang. [3]) III, p. q. XXX, a. 3 c.

a. quantum ad id, quod annuntiabatur: venerat enim Angelus annuntiare Incarnationem invisibilis Dei, per quam visibilis fieret. b. Congruum fuit dignitati matris Dei, quae non solum in mente, sed in corporeo ventre erat Dei Filium receptura. c. Congruit certitudini ejus, quod annuntiabatur: ea enim, quae sunt oculis subjecta, certius apprehendimus, quam ea, quae imaginamur." Et haec quidem de quaestionibus propositis dicta sint.

§. 2.

De b. Virginis turbatione.

Si umquam ab orbe condito gloriosa ac splendida fuerit legatio, tunc saltem ea, quae ad beatissimam Virginem expedita est per Gabrielem Angelum. Agebatur enim de negotio tamdiu desiderato, tot votis totque ardentibus expetito suspiriis ac universo hominum generi tantopere accepto. Nihilominus sanctissima Virgo, simul ac angelicum vidit audivitque legatum, turbata est. S. Lucas Evangelista hanc describit legationem:[1] „Ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus. Quae quum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat, qualis esset ista salutatio." Quis non Virginis admiretur turbationem? In Matrem Dei eligitur, omnium saeculorum calamitates et miserias restauratura, et tamen turbatur.[2] Qualis erat haec turbatio? Certissime non ex aliqua debilitate provenit vel defectu virium ex parte corporis. Ita Danielem prophetam, quum Angelus ei apparuit, turbatum videmus. „Non remansit, inquit, in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me et emarcui, nec habui quidquam virium. Et audivi vocem sermonum ejus, et audiens jacebam consternatus super faciem meam, et vultus

[1]) Luc. I, 28 sq. [2]) X, 8 sq.

meus haerebat terrae." Similiter etiam Zacharias viso Angelo dicitur turbatus: Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum." Quae verba non solum mentis exprimunt turbationem, sed etiam corporis tremorem. De beatissima vero Virgine non idem dicendum. Unde perbelle d. Bernardus: „Turbata est, inquit,[1]) sed non perturbata est; turbata est et non est locuta, sed cogitabat, qualis esset ista salutatio; quod turbata est, verecundia fuit virginalis; quod non perturbata, fortitudinis; quod tacuit et cogitavit, prudentiae." Quaeritur ergo

1°: Quaenam fuerit turbationis causa?

Varias hujus turbationis causas ss. Patres assignant. Et

a. prima quidem ex Angeli humana specie apparentis aspectu eruitur. Nuntius enim angelicus sub corporea pulcherrimi cujusdam juvenis specie beatissimam salutavit Virginem. Ita pro certo habent Suarez[2]) plurimique Patres, inter quos v. g. s. Ambrosius,[3]) Origenes,[4]) Eusebius Emissenus,[5]) s. Petrus Chrysologus,[6]) s. Augustinus,[7]) s. Hieronymus,[8]) s. Thomas.[9]) Coelestis paranymphi apparitione b. Virginem turbatam fuisse docet s. Hieronymus in epistola infra citata scribens: „Imitatur Mariam, quam Gabriel solam in cubiculo suo reperit et ideo forsitan timore perterrita est, quia virum, quem non solebat, aspexit." „Propone tibi, inquit s. Doctor,[10]) beatam Mariam, quae tantae exstitit puritatis, ut mater Domini esse mereretur, ad quam quum Angelus Gabriel in viri specie descendisset dicens: „Ave gratia plena, Dominus tecum," consternata et perterrita respondere non potuit; nunquam enim a viro fuerat salutata."

---

[1]) Hom. 3 super Missus. [2]) In III, p. II, disp. IX, sect. 2. [3]) Lib. de off. cp. 8. [4]) In Luc. hom. 4. [5]) Hom. super Missus. [6]) Serm. 140. [7]) De Nat. Domini serm. 1. [8]) Epist. 7 ad Laetam. [9]) III, p. q. XXX, a. 3. [10]) Epist. 22 ad Eustochium de custodia Virginitatis.

Plenissime consentit s. Petrus Chrysologus.[1] „Quid est, interrogat, quod (b. Virgo) personam videt et de sermone turbatur? Quia venerat angelus blandus in specie, fortis in bello, mitis in habitu, in sermone terribilis, humana proferens, divina repromittens.“ Eandem causam indicat s. Ambrosius: „Ipsa autem, inquit,[2]) ut vidit eum (Angelum), mota est in introitu ejus.“ „Disce, subjungit, virginem moribus, disce virginem verecundia, disce Virginem oraculo, disce mysterio: trepidare virginum est et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri.“

b. Non ex Angeli jam dudum sibi noti intuitu turbatam fuisse b. Virginem, sed propter sermonem ejus, propter insolitam salutationem, quae humillimam virginem nihil magni in se agnoscentem vehementer percelleret, alii docent auctores. Quorum sententia s. Scripturae textui magis consentire videtur. „Turbata enim in **sermone** cogitabat, qualis esset ista salutatio.“ Non in aspectu angeli turbata fuisse dicitur, sed in ejus sermone; in iis, quae audivit, causa inquirenda est perturbationis.

Dicunt quidem, qui priori favent sententiae, pro verbis „quae quum audisset“ editionis vulgatae in textu graeco haberi „ἡ ἰδοῦσα“ i. e. quae quum vidisset; ergo visio angelica turbationis causa fuit! Sed bene advertas quaeso, more Hebraeorum videre interdum pro audire et pro alio quolibet sensu interno poni. Unde vg. in Exodo legitur:[3]) „Cunctus autem populus videbat voces et lampades et sonitum buccinae“ i. e. audiebat. Quod confirmatur per Eusebium Emissenum ita asserentem:[4]) „Turbata est non in vultu Angeli, sed in sermone; non enim Angelum, sed verbum Angeli attendebat, et quid illa tam officiosa salutatio sibi praeten-

---

[1]) Serm. 140. [2]) In Luc. lib. 2. [3]) Exod. XX, 18. [4]) Hom. in fer. IV, post dom. IV.

deret, cogitabat." Neque alio vergit s. Chrysologus[1]) in haec verba erumpens: „Virginem, quam leviter visus sollicitaverat, nimium turbavit auditus et quam missi praesentia parum moverat, concussit toto pondere mittentis auctoritas." „Ab auditu, inquit perpulchre Richardus de s. Laurentio,[2]) ipsius initium sumpsit reparatio nostra, ut intraret remedium, unde mors irrepserat et iisdem vestigiis sequeretur vita mortem, lux tenebras, veritatis antidotum serpentis antiqui mendacium venenatum et vitae janua fieret auditus, per quem mors intraverit in mundum." Auctores, qui beatissimam Virginem ex Angeli sermone turbatam fuisse contendunt, in varias abeunt sententias, dum turbationis causam explicant.

α. Nonnulli mysterii ab Angelo nuntiati sublimitatem assignant. Sic v. g. d. Chrysologus[3]) turbationem ejus sublimitati mysterii, quod annuntiabatur, adscribit dicens: „Quamvis motu blando, affectu pio Virginem sibi in matrem, famulamque sibi verteret in Parentem, viscera tamen ejus turbata sunt, ipsa quoque tremefacta humana conditio, quum ejus conditor Deus, quem tota creatura non capit, totum intra pectus Virginis se recepit; nam ut Angelum vidit, mens ejus contremuit, quum ejus ingressu Deitatis sensit ingressum." At haec sententia parum placet; sublimitas enim mysterii admirationem potius produxisset, quam timorem tantumque abest, ut Angelus eum diminuerit, ut potius auxerit dicendo: „Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi."

β. „Similis salutatio, inquit d. Augustinus,[4]) nulla invenitur in sacris literis." Quum ergo a virginea humilitate omnis exaltatio esset aliena, prudenter secum cogitare potuit, an non illusio diabolica tantis sub-

---

[1]) Serm. 140. [2]) Lib. II, cp. 2. [3]) Serm. 140. [4]) De Nativ Domini serm. 17.

esset encomiis. Probe enim noverat, non omni credendum esse spiritui, Angelum malum Evae quondam apparuisse eique promisisse: „Eritis sicut Dii;“[1]) infausta haec mulier decepta fuit. Proinde b. Virgo non immerito Angeli sermone turbatur et inaudita in sacris literis salutatione, quae ideo illi suspecta, quia nunquam audita. Nonne hoc forsitan astutissimi serpentis stratagema dolosaque inventio? „Quis scit, facit s. Gregorius Thaumaturgus Virginem loquentem,“ an forte haec salutatio sit astuti serpentis artificiosus dolus, qui nonnunquam „transfigurat se in Angelum lucis?“[2]) Numquid Ave illud doloris mei erit causa, sicut olim primae matri Evae blanda divinitatis promissio? Numquid per ironiam beatificatio et salutatio ista facta est? Eva serpenti aurem porrexit seque ab eo decipi permisit, at vero virgo „cogitabat, qualis esset ista salutatio?“

Addatur s. Bernardus: „Solent virgines, inquit,[3]) quae verae virgines sunt, semper pavidae et numquam esse securae; et ut caveant timida, etiam tuta pertimescere, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum et nimis arduum esse vivere angelice inter homines et in terris more coelestium conversari et in carne coelibem agere vitam. Ac proinde quidquid novum, quidquid subitum fuerit ortum, suspectas habent insidias, totum contra se aestimant machinatum. Idcirco et Maria turbata est in sermone Angeli.“

Haec sententia, quae paucis tantummodo placet theologis, a s. Thoma[4]) rejicitur. „Ut legitur in vita s. Antonii, scribit, non difficilis est beatorum spirituum malorumque discretio: si enim post timorem successerit gaudium, a Domino venisse sciamus auxilium, quia securitas animae praesentis majestatis indicium est; si

---

[1]) Gen. III, 5. [2]) 2 Cor. XI, 14. [3]) Super Missus hom. III, n. 9. Cfr. Euthym. in Luc. I. [4]) III, p. q. XXX, a. 3 ad 3.

autem incussa formido permanserit, hostis est, qui videtur."

γ. Suas adeo sublimes laudes in hac salutatione audiens Maria non potuit non turbari propter profundissimam humilitatem summamque modestiam. „Justus enim, ait s. Gregorius, dum laudatur in facie, flagellatur in mente." Huic sententiae subscripsit inter alios Origenes ita asserens:[1]) „Id quod ait, κεχαριτωμένη — Ave — gratia plena, ubi in Scripturis alibi legerim, non recordor; sed neque ad virum istius modi sermo est: Salve, gratia plena; soli Mariae haec salutatio servabatur: si enim scivisset Maria, et ad alium quempiam similem factum esse sermonem (habebat quippe legis scientiam, et erat sancta et prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognoverat), nunquam quasi peregrina eam salutatio terruisset." Vox κεχαριτωμένη sua significatione singulare quid continet; idem enim est, quam „acceptissima et gratiosissima;" illa voce ergo non significatur femina gratiosa una alterave gratia, sed omnimodo gratiosa.[2]) Gratiae, quae aliis sanctis per partes sunt concessae, in summa perfectione et plenitudine extiterunt in ea. Origenem sequitur d. Ambrosius,[3]) dum haec scribit: „Et ideo cum verecundia, quia pavebat; cum prudentia, quia benedictionis novam formulam mirabatur, quae nusquam lecta est, numquam antea comperta: soli Mariae haec salutatio servabatur."

Huc quoque spectat testimonium s. Bernardi. „Maria non praetendit meritum, inquit,[4]) sed gratiam quaerit; denique usque adeo fidit gratiae, et non altum sapit, ut salutationem angelicam vereatur. Maria „cogitabat, qualis esset ista salutatio." Nimirum sese saluta-

---

[1]) Hom. 6 in Luc. [2]) Cfr. Apollonius lib. 1 de syntaxi; Epiph. haeres. IX, contra Samaritas. [3]) In Luc. lib. II. [4]) In Nativ. B. M. V. serm. de aquaeductu.

tione angelica reputabat indignam." Consonat s. Thomas a Villa nova:[1]) „Etsi enim prius Angelos viderat, tamen non tali majestate fulgentes. Turbabat autem illam nimia ejus humilitas et admiranda Angeli novitas, videns ad humilis puellae pedes prostratum Angelum salutantem." Similia audimus ex ore s. Laurentii Justiniani. „Ad hujus salutationis vocem expavit cor Virginis, inquit, et in se ipsa turbata est; non ex aspectu angelico, quasi insolito: quippe quum jugiter visitabatur ab illis, sed ob excellentiam divini praesagii, quod propria merita praecellere videbatur: illa namque nihilum suum prole cognoscens, nihil tanti oraculi dignum sibi esse cernebat."

δ. Turbatio b. Virginis proveniebat ex affectu timoris, quo timebat virginitati suae per votum Deo consecratae. Turbata est timore mali cujusdam imminentis; nullum vero aliud malum in b. Virginis cogitatione salutationis angelicae occasione aderat, quam virginitatis jactura.

Est sententia s. Augustini[2]) et s. Gregorii Nysseni.[3]) „Angelus, inquit s. Gregorius, partum denuntiat, illa virginitatem complectitur, castitatem praeferens angelicae apparitioni, non quod non esset obediens divinae voluntati, sed quod vellet, si posset, virginitatem servare." Etiam Doctor Mellifluus hanc videtur amplecti opinionem: „Forte enim propterea primo turbata est in sermone ejus, et „cogitabat, qualis esset ista salutatio," quod benedictam sese audisset in mulieribus, quae nimirum benedici in virginibus semper optabat. Et ex tunc quidem cogitabat, „qualis esset ista salutatio" quod jam videretur esse suspecta. Ubi vero in promissione filii manifestum virginitatis periculum videbatur, non potuit ultra dissimulare, quin diceret: „Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco." Si-

---

[1]) In Conc. 1 de Assumpt. [2]) De Annunt. serm. 2. [3]) Orat. de Christi Nativitate. [4]) Serm. inf. Octavam Assumpt.

militer loquitur Richardus a Sto Laurentio:[1]) „Audito hoc verbo „benedicta in mulieribus“ turbata est, quia in Virginibus benedici semper optabat.“ Billuart[2]) eadem tradit. „Verius, inquit, videntur sentire, qui dicunt, eam fuisse turbatam ex eo, quod timeret fractionem voti Virginitatis, quod prius emiserat.“

Quae sententia magis consonare videtur et verbis „cogitabat, non **quanta**, sed **qualis** esset ista salutatio“ nec non iis, quae b. Virgo Angelo foetum sibi annuntianti respondit: „Quomodo fiet istud?“ Verba illa jam supra quidem in demonstranda voti realitate explicuimus, sed hic ad ea, a quibusdam haereticis in sensu honori b. Virginis repugnanti exposita, paucis redire liceat. Quaerimus ergo

2°: Verba „**Quomodo fiet istud?**“ quidnam significent?

a. Lutherus[3]) pluresque ejus asseclae, inter quos praesertim Sarcerius asserere non erubuerunt, Mariam, dum illam proposuit quaestionem, aliquem sensum habuisse incredulitatis: „Proponit, inquit Sarcerius, nobis hic locus exemplum infirmitatis, dubitationis et ignorantiae in Maria, quae verbo et operibus Dei ab Angelo revelatis ex rationis et humanae sapientiae argumentis se opponit. . . . . Maria typum gerit omnium hominum, qui natura se opponunt verbo rationis et humanae sapientiae argumentis.“ Similiter Calvinus[4]) s. Deiparam infidelitatis ream accusat. „Videtur sancta Virgo, scribit, non minus maligne restringere Dei potentiam, quam prius Zacharias. Quod enim praeter communem naturae ordinem est, impossibile esse colligit. Nec vero

---

1) Lib. I, cp. 6. 2) De Annunt. B. Virginis diss. I, art. VI.
3) In postilla evang. de Annuntiat. Cfr. Salmeron l. c. tract. VII.
4) In Harmon. l. IX, 18.

magnopere laborandum est, ut eam purgemus ab omni vitio."

At hoc falsissimum esse patet

α. ex eo, quod Angelus tantum absit, ut eam reprehendat, ut eam de modo, quem postulabat, suaviter instruat. Affert quidem Angelus argumenta dicens, „non esse impossibile apud Deum omne verbum" et ipsam Elisabetham in senectute concepisse; sed hoc non fecit, ut b. Virgo sibi persuaderet, quae nuntiarentur, veritate fundari, sed potius, ut fides animo concepta validius confirmaretur. Ita enim saepius in s. literis, ubi factae fuerint hominibus promissiones, signa adjunguntur, non quod dubitaverint, sed ad magis roborandam veritatem. Isaias v. g. propheta Ezechiae regi liberationem ab inimicorum promittit exercitu et tamen additur ipsi credenti signum. Ita etiam Angelus pastoribus Christi nativitatem nuntians dedit signum, quamvis illi nullatenus dubitaverint de re indicata.

Proponebat Angelus b. Virgini conceptum longe minorem conceptu illi annuntiato, ut in aliquo simili explicaret mysterium, ut miraculum miraculo accumulans gaudium gaudio adjungeret atque ita hoc novo gaudio magis idonea redderetur ad recipiendam ineffabilis illius dulcedinis, quam adventus filii Dei erat allaturus, redundantiam. „Simul autem Angelus, docet Estius,[1]) hoc nuntio cognatae impraegnatae voluit b. Virginem exhilarare, quod bonorum Angelorum est et occasionem ei dare boni operis scilicet cognatam visitandi, salutandi, congratulandi et adjuvandi."

β. Angelus b. Virginem salutat: „Gratia plena, Dominus tecum, benedicta in mulieribus," dum Elisabeth Spiritu sancto plena eam propter fidem laudibus illustrat: „Beata, quae credidisti." — Quomodo ergo s. Deipara nominari poterit incredula?

---

[1]) A. h. l.

γ. Zacharias nullam habebat rationem signum vel exemplum quaerendi; illius enim rei jam multa praecesserunt exempla vg. Sara, Rebecca, Anna etc. Maria vero non postulavit signum, quamvis nullum habuerit saeculis prioribus exemplum, ut virgo pareret. Si ergo Mariae verba similia videntur verbis Zachariae, sensu tamen et mente sunt diversissima. Quare s. Augustinus: „Si verba attendamus, haud ambo crediderunt Zacharias et Maria. Sed nos verba audivimus, Deus potest corda interrogare. Intelligimus charissimi, quoniam Zacharias, quando ait: Per quid cognoscam hoc? Ego sum senex desperando dixit, non inquirendo. Maria vero e contrario, quando ait: „Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?" inquirendo dixit, non desperando. Quum interrogavit, non de promissione dubitavit."

δ. Quod Zacharias re vera dubitaverit, patet ex responsione Angeli et ex punitione dubitanti inflicta: „Eris tacens et non poteris loqui usque in diem, quo haec fiant, pro eo, quod non credidisti verbis meis, quae implebuntur in tempore suo."[2]) Unde d. Ambrosius[3]) verba Zachariae „verba non credentis" appellat, „ac propter eam incredulitatem Zachariae vox erepta est." „In illis verbis Zachariae, asserit s. Augustinus,[4]) non fuisse fidem, sed dubitationem et desperationem, Angelus vidit; b. Virgo vero modum quaesivit, non de Dei omnipotentia dubitavit." Verba ergo Deiparae non sunt verba diffidentis vel dubitantis, sed inquirentis potius et admirantis. „Verbis tuis credo, introducit Arias[5]) b. Virginem loquentem, adventum Messiae, quem tu vocas Altissimi Dei Filium tantopere desideratum, similiter credo. Unum tantum admiror, me designari talis filii matrem, quum ego nullum cognoverim

---

[1]) Hom. 43 inter 50 cp. 5. [2]) Luc. I, 20. [3]) Comment. in Luc. I. [4]) Serm. 291 tom. 5. [5]) De Imitatione B. Virginis.

virum, ex quo concipere queam: virginitatem si quidem meam jam dudum Deo consecravi. Quare vehementer amo intelligere, quemadmodum fieri possit, ut ego et sponsioni meae de virginitate servanda faciam satis et simul concipiam pariamve Dei filium. Haec mea dubitatio est, de qua instrui cupio, ut omnino in me divina voluntas perficiatur.“

Exploratum illi erat procul dubio tum ex divinis literis, tum ex coelesti lumine mentem ejus illustrante, filium Dei naturam humanam pro salute generis humani assumpturum, deinde fore Virginem, quae illum esset conceptura secundum Isaiae prophetae vaticinium, sed modus, quo perficienda erat conceptio, opera nempe Spiritus sancti, illam latebat. „Jam se parituram incunctanter credit, docet Franco Abbas,[1]) modum tamen, quo id fieri debeat, inquirit, quia hoc nec in propheta legerat nec ab Angelo audierat. Non est filiorum Adam ista lex, ut sine viro concipiat mulier, sine patre nascatur puer. Hac lege, hoc ordine omnia ab initio ad nos usque saecula decurrerunt.“ Videns ergo Angelus b. Virginem quaerentem et ob virginitatis jacturam persollicitam, nullatenus vero dubitantem, non negavit, eam instruere ejusque repellere turbationem. Declaravit ideo, quomodo istud fiet, quod quaesivit; declaravit, nihil illi timendum. „Concipies et paries filium ex obumbratione Spiritus sancti, quin virginitas tua aliquid detrimenti patiatur.“

b. Non defuere, qui b. Virginem verbis praecitatis Angelum examinare intendisse putaverint.

Sententia profecto non solum s. Scripturae, sed etiam beatissimae Virginis virtutibus apertissime repugnans! Nonne illa in salutatione angelica fuisse legitur turbata? Numquid b. Virginis modestiam ac humilitatem profun-

---

[1]) Tom. VI, de gratia Dei.

dissimam decuit, Angelum, qui doctior illa fuerit, examinare?

c. Nonnulli interpretes ex responsione Angelo data concludere posse censuerunt, beatissimam Virginem virginitatem ita amasse, ut promptissima fuisset, eam dignitati matris Dei ab Angelo propositae praeferre. De hac sententia infra[1]) fusius disputabitur.

§. 3.

De momento Conceptionis.

Centuriatores Magdeburgenses[2]) sub dubio relinquunt, an Conceptio Christi colloquium Angeli cum Maria habitum consecuta sit. Omnes vero theologi catholici in hoc conveniunt, quod s. Scripturae textu innisi beatissimam Virginem jam concepisse asserant, antequam Angelus ab ea discederet. Legitur enim in s. literis, b. Virginem post discessionem Angeli statim cum festinatione in montana abiisse et Elisabetham cognatam suam visitasse. Haec vero Mariam jam „Matrem Domini mei“ appellat. Non ergo hic quaeritur, nisi quonam temporis momento Conceptio facta sit. Duplex existit sententia.

Sentent. I:

Conceptio facta est, quum Angelus Mariam salutavit: „**Ave gratia plena, Dominus tecum.**“

Contenderunt nonnulli gravissimi auctores, a Spiritu s. Corpus Christi eo momento, quo Angelus b. Virginem primo allocutus fuerit, formatum nec ab Angelo b. Virginis consensum fuisse expectatum.

Cui opinioni favet inter alios Petrus Alexandrinus[3]) ita scribens: „Et verbum caro factum est, et habi-

---

[1]) Cfr. p. II, sect. II, cp. §. 2. [2]) Centur. I, lib. I. [3]) In lib. de divinit.

tavit in nobis; tunc videlicet, quum Angelus sacram Virginem ejusmodi oratione salutavit: „Ave gratia plena, Dominus tecum“ hoc est: Dei verbum (nunc) tecum est. Nam illa Gabrielis salutatio Deum verbum in utero virgineo natum et carnem factum insinuat.“ Consonat s. Chrysostomus:[1]) „Gabriele dicente tibi, Virgo, „Ave“ quum voce incarnatus est omnium Deus in te sacrosancta arca.“

Eadem tradit d. Augustinus,[2]) qui beatissimam Deiparam facit ita loquentem: „Visitavit (Angelus Gabriel) et perturbavit me, salutavit et gravidavit, dixitque mihi: „Ave gratia plena, Dominus tecum.“ Dominus tecum, sed plus quam mecum; in me autem, licet sit Dominus, memet ipsum creavit Dominus. Ita est Dominus tecum, ut sit in corde tuo, sit in utero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam.“ Similia habentur in libro ejus de Symbolo:[3]) „Quando Angelus, inquit, istam Virginem sic salutavit, tunc eam Spiritus sanctus foecundavit, tunc illa femina virum sine viro concepit, tunc repleta est gratia, tunc Dominum suscepit, ut esset in ea, qui fecerat eam.“ Plenissime consentit Petrus Martyr:[4]) „Tunc verbum caro factum est, et habitavit in nobis, quum Angelus virginem salutavit.“ Audiamus etiam s. Cyrillum Hierosolymitanum eandem proferentem sententiam. „Gratia plena, inquit,[5]) quia tecum est universus gratiae thesaurus et totius laetitiae, rex cum ancilla, cum speciosa inter mulieres speciosus forma prae filiis hominum, cum puella impolluta is, qui sanctificat omnia.“[6])

---

[1]) In Liturgia. [2]) De Nativ. serm. 14. [3]) De Symb. ad Catechum. lib. 2 cp. 5. [4]) In lib. de Deitate. [5]) Serm. de Nativ. [6]) Cfr. Nicephor. hist. eccl. lib. 1 cp. 8; Bern. Super Missus hom. 3; Petrus Dam. de nativ. Virg. serm. 3; Laur. Justini. Serm. de Annunt.

Sentent. II:

Conceptio facta est, postquam b. Virgo dedit consensum dicens: **„Fiat mihi secundum Verbum tuum."**

Probatur 1. s. Scriptura.

a. Juxta s. Lucam Evangelistam [1]) Angelus Virginem turbatam ita allocutus est: „Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero et paries filium." . . . „Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei." Angelus ergo, antequam b. Virgo praestitit consensum, semper de re futura loquitur. Si jam ad verba „Ave gratia plena" concepisset, quomodo Angelus eam concepturam esse promittere potuisset?

b. Narrat idem Evangelista: [2]) „Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur." Angelus vero protulit verba: „Vocabis nomen ejus Jesum," antequam b. Virgo respondit: „Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum," sed post priorem Angeli salutationem: „Ave gratia plena, Dominus tecum." Eo ergo momento, quo Angelus haec protulerat verba, b. Virgo nondum conceperat; si jam concepisset, frustra sine dubio interrogasset Angelum: „Quomodo fiet istud?" frustra etiam Angelus modum illi exposuisset conceptionis. Probatur

2. ss. Patrum testimoniis.

„Responde jam virgo sacra", compellit s. Augustinus [3]) b. Virginem cum Angelo colloquentem! „Assensum tuum Angelus praestolatur. Inde est, quod nuntius iste moratur; jam audisti: „Spiritus sanctus superveniet in

[1]) I, 30 sq. [2]) II, 21. [3]) De Nativ. Domini serm. 7.

te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi," ut prolem gignas et virginitatem non perdas. Janua coeli per Adam quondam clausa jam sonuit, per illam nuntius iste processit, Deus in porta est: Angelus, quem moraris, expectat. O Maria, saeculum omne captivum tuum deprecatur assensum. . . . . . Usquequo moraris, Virgo, nuntium festinantem? Intuere Deum in coeli vestibulo me sustinentem. Responde verbum, et suscipe filium. Da fidem, et senti virtutem . . . . „Fiat mihi secundum verbum tuum" nec mora, revertitur nuntius, et nuptialem thronum ingreditur Christus, accepit stolam carnis, in thalamo Virginis, intra thesaurum majestatis sacculus carnis cessit, divinitati sponsatur homo, praemium accipit caro."

Simili modo Doctor Mellifluus[1]) b. Virginem alloquitur: „Expectat Angelus responsum, expectamus et nos, o Domina, verbum miserationis. . . . . Ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. Da, Virgo, responsum festinanter. O Domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant et superi." Subscripsit huic sententiae etiam Laurentius Justiniani[2]) verba „Ecce ancilla Domini" explicans. „Isto unico responso, inquit, complevit coelum gaudio, Angelis omnibus exultationem praebuit, captivo saeculo spem dedit, daemones universos exterruit, astantem laetum fecit nuntium ac detentis in inferno patribus libertatis gratiam repromisit."

Hoc „Fiat" a b. Virgine prolatum mirum in modum extollit s. Thomas a Villanova dicens: „O fiat potens, o fiat efficax, o fiat super omne fiat perpetuo honore venerandum. Nam ad verbum fiat statim in utero Virginis incarnatum est Verbum." Mirabilis profecto virtus

---

[1]) Super Missus hom. 4. [2]) Serm. de Annunt. [3]) Serm. de Annunt.

verbi illius „fiat;“ quod quum protulisset Maria, statim mater Dei facta est! „Ubi virgo bene credula os suum aperuit, ut diceret fiat, inquit Rupertus Abbas,[1] mox juxta dictum Angeli Spiritus sanctus superveniens per apertas fidei januas sese infudit in templum sacri uteri, ut Christi matrem faceret.“ Non enim expectavit Spiritus sanctus, ut quadraginta dierum spatio successive Christi corpus figuraretur; sed postquam Maria dixit: „Fiat,“ Spiritus s. uno quasi momento Christi corpus in b. Virginis utero formavit. „Non paullatim, inquit s. Joannes Damascenus,[2] tacitisque incrementis figura corporis absolvitur, sed uno eodemque momento perficitur.“[3])

Testimonia ss. Patrum pro priori sententia citata, si penitius inspiciantur, sententiae posteriori, vix ac ne vix quidem adversari videntur. Optimo enim jure asserere libet, ss. Patres solummodo docere voluisse, Salvatorem nostrum a beatissima Virgine fuisse conceptum, dum colloquium cum Angelo a salutatione „Ave gratia plena“ incipiens habuerit. Probatur

3. ratione.

Convenientissimum fuisse, ut mysterium hoc grandissimum non perficeretur sine Virginis consensu antea fusius demonstratum est. Verbo „fiat“ factus est mundus; eodem verbo coelestia condidit Altissimus ac terrestria; eodem verbo Maria facta est Dei mater, quo nihil majus nihilque gloriosius. Quid enim Mariae gloriosius esse potest, quam quod sui auctoris sit auctor, origo sui principii ac mater Dei sui, quodque eundem cum Patre aeterno habeat filium, ita ut cum Patre aeterno dicere possit de Christo: „Hic est filius meus dilectus.“

---

[1]) De Oper. Spir. s. l. I, cp. 9. [2]) De orth. fide lib. 3 cp. 2.
[3]) Cfr. Greg. Mag. Moralium lib. 18 cp. 27; Augustin. De sanctis serm. 18.

§. 4.

De loco, quo Annuntiatio facta sit.

Etiam quoad circumstantiam loci, quo Annuntiationis ac Conceptionis D. N. mysteria peracta fuerint, variae inter theologos prostant sententiae, quas paucis attingere liceat. Quaeritur ergo

Quo loco Annuntiationis mysterium peractum sit.

In civitate quadam Galilaeae provinciae, nomine Nazareth, beatissimam Virginem tunc temporis degisse, s. Evangelista verbis testatur apertissimis. „Nec obstat, inquit Billuart,[1]) quod Joseph et Maria utpote Judae tribules debuerint habere domum in Judaea, quae in partitione terrae sanctae obtigerat tribubus Judae et Benjamin, non in Galilaea, quae in sortem tribuum Zabulon et Nephtali cesserat: non obstat, inquam, quia partitio facta a Josue erat possessionum, non habitationum. Poterant ergo Joseph et Maria habere in Galilaea domunculam elocatam, possessiones vero in Judaea. Adde, quod post captivitatem Babylonicam limites possessionum a Josue praescripti, non ita fuerint religiose servati, quin potius omnes susdeque permixti."

Quaerunt theologi, in quanam domo civitatis Nazareth hoc mysterium fuerit peractum: in domo paterna beatissimae Virginis, an in domo s. Josephi?

Omnes fere authores, qui s. Deiparam tempore Annuntiationis nuptam asserunt, affirmant quoque, eam tunc temporis in domum s. Josephi jamdudum fuisse deductam. Hanc opinionem Domini Nostri nec non sacratissimae suae matris honori magis favere, quam sententiam illorum, secundum quos eo momento non extiterint nisi sponsalia inter b. Virginem et s. Josephum, jam supra vi-

[1]) De Annunt. B. Virginis diss. I, a. VI.

dimus.[1]) Ridicula prorsus ac s. textui aperte contraria videntur, quae hac de re in apocrypho Jacobi protoevangelio[2]) legimus: „Maria accepta purpura (et cocco) filavit. Et accepta hydria exiit haurire aquam. Et ecce vox dicens illi: „Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.“ Circumspiciebat autem Maria in dextera et in sinistra, ut sciret, undenam ista vox facta esset. Et tremefacta intravit in domum suam et deposuit hydriam et accepta purpura sedit super sedem suam, ut operaretur. Et ecce Angelus Domini adstitit in conspectu ejus dicens: „Ne timeas, o Maria, invenisti gratiam apud Dominum.“ Et audiens Maria cogitando disceptabat apud se: si concipiam a Deo vivente et pariam, ut generat quaevis mulier?“

Placitum hoc fabulatoris non solum ss. Patrum testimoniis aperte contradicit, sed etiam s. Scripturae. „Non in plateis erat, ait Eusebius Emissenus, non in publico morabatur: intus erat, in penetralibus sola sedebat.“ „Quo ingressus ad eam, interrogat s. Bernardus[3]) de angelo; puto in secretarium pudici cubiculi, ubi illa fortasse clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito.“

Nonne porro s. Evangelista docet, Angelum ingressum fuisse ad b. Virginem? Num ingressus vero fuisset, si eam ad fontem positam allocutus fuisset? Insanam hanc opinionem optime refellit Maldonatus[4]) dicens: „Indicat s. Lucas, Mariam vere fuisse Haalmah, i. e. reconditam illam virginem, quam Isaias praedixerat parituram, quum in penetrali habitaret. Qua de re, qui hodie dubitant haeretici, et apud cognatum aliquem suum cum ancillis laborantem fuisse malunt credere, judaico mihi esse videntur ingenio. Itaque non magis illis, quam apocrypho illius protoevangelii auctori, quod Jacobi

---

[1]) Cfr. pag. 298 sqq. [2]) Num. 10 sq. pag. 91. Edit Fabricii.
[3]) Super Missus hom. 3. [4]) Ad Luc. I, 28.

nomine circumfertur, credendum est, ubi scriptum est, b. Virginem forte ad hauriendam exiisse aquam, quum illi Angelus apparuit. Utrumque enim et Evangelistae et antiquis omnibus repugnat auctoribus.“

§. 5.

De s. Josephi anxietate.

Tribus fere mensibus elapsis ab aedibus s. Elisabethae discedens in domum suam rediit beatissima Virgo. Quam quum gravidam comperisset s. Joseph, quisnam sollicitudinem describere, quisnam anxietatem ejus poterit exprimere gravissimam? Propriae conscius virginitatis, conjugis suae uterum videt intumescentem. Numquid existimabit eam conjugii violatricem? At conjugis virtutes splendidissimae illi fuere pernotae ab ejusque moribus inculpatissimis tam persuasissimus fuit, ut talia ne cogitare quidem potuerit. Videt uterum intumescentem! Quid mirum, quando vel invitus raperetur ad suspicandum? Sed continetur nimiumque inter utrumque pressus ac conflictatus de conjuge dimittenda cogitat. Inquiramus rationes, cur s. Joseph b. Virginem dimittere voluerit. Triplex hac de re exorta est inter theologos sententia.

Sentent. I:

S. Joseph dimittere voluit b. Virginem suspicione ductus adulterii.

Probatur 1. ex s. Scriptura:

a. „Joseph autem vir ejus, inquit Evangelista,[1]) quum esset justus et nollet eam traducere.“ Vox „traducere“ designat vel de loco in locum aliquem transferre vel ignominiose aliquem accusare, infamo ostentui eum habere, infamia afficere. Evangelistam

---

[1]) Matth. I, 19.

prius significare non intendisse, ex eo patet, quod b. Virgo in domo s. Josephi jamdudum habitaverit et nuptiae celebratae fuerint.[1]) Vox graeca „παραδειγματίζειν“ loco citato ergo posteriorem habet significationem.[2])

b. Confirmatur verbis Angeli dicentis:[3]) „Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est“ — quasi s. Joseph non de Spiritu sancto, sed de adulterio natum putaret ideoque timeret, accipere, ne adulterium probare videretur aut quia injuriam sibi illatam ferre nolebat. „Noli timere“ i. e. suspicionem depone; „non modo enim illicito non est violata complexu, inquit Natalis Alexander,[4]) verum etiam supra naturam moremque foecunda est.“

Quam sententiam apertissime tenet s. Justinus ita loquens:[5]) „Joseph, Mariae sponsus, quum prius vellet sponsam suam ejicere, arbitratus ex viri consuetudine, id est ex stupro, gravidam esse, viso ipsi oblato jussus est uxorem suam non ejicere, asserente Angelo etc.“ Nec minus perspicue eadem proponit d. Augustinus. „Attende, inquit,[6]) quemadmodum vir justus Joseph tanto flagitio, quod de uxore fuerat suspicatus, tanta benignitate pepercit: antequam sciret, unde illa conceperat, quia gravidam senserat et se ad illam non accessisse noverat. Restabat itaque certa adulterii suspicio, mariti dolor non vindictam quaesivit, voluit prodesse peccanti, non punire peccantem.“ „Unde Joseph, scribit s. Antistes Macedonio,[7]) cui Virgo Maria Domini mater fuerat desponsata, quum tamen comperisset esse praegnantem, cui se noverat non esse commixtum, et ob hoc nihil aliud, quam adulteram credidisset, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitii fuit.“ Eandem sententiam tuentur

---

1) Cfr. pag. 297. 2) Cfr. pag. 308 sq. 3) Matth. I, 20. 4) Expositio litteralis et moralis s. Evangelii secundum Matthaeum cp. I. 5) In dialogo cum Tryphone §. 70. 6) Serm. 16 de verbis Domini. 7) Epist. 153 cp. 4.

s. Ambrosius,[1]) s. Chrysostomus,[2]) s. Hilarius[3]) et inter recentiores Tostatus Abulensis,[4]) Sanchez,[5]) Sandinus[6]) aliique.

Sentent. II:

S. Joseph ex humilitate b. Virginem dimittere intendit.

Juxta hujus sententiae patronos s. Joseph Incarnationis divinae mysterium revelatione cognovit ideoque maxima permotus reverentia de dimittenda cogitavit conjuge. Sicut s. Petrus dixit magistro suo: „Exi a me, Domine, quia homo peccator sum,“[7]) ita s. Joseph occulte dimittere voluit beatam Virginem, cujus consortio se judicaverit indignum.

Subscripserunt opinioni huic non pauci theologi sanctique Patres, quorum unum alterumve recensere liceat. „Ideo, inquit Origenes,[8]) eam dimittere volebat, quoniam virtutem mysterii et sacramentum quoddam magnificum in ea esse cognoscebat, cui approximare indignum se aestimabat. Ergo humilians se ante tantam et tam ineffabilem rem, quaerebat se longe facere.“ Confert Origenes s. Josephum s. Joannis Baptistae matri, quae praesentis Mariae dignitatem admirando in verba erupit: „Unde hoc mihi, ut veniat Mater Dei ad me?“[9]) sic et s. Joseph indignum sese habuit, qui diutius cum illa habitaret. „Dimittam eam, inquit, et a longe faciam eam et a cognatione mea; major est enim dignitas ejus, superexcellit ejus sanctitas nec meae congruit indignitati.“

Consentit cum Origene Eusebius Caesariensis ita disserens:[10]) „Josephus diviniorem Virginis de sancto

---

[1]) Lib. de inst. Virg. cp. 5. [2]) Super Matth. hom. 26. [3]) Super Matth. cp. I. [4]) Sup. Matth. cp. 19 q. 72. [5]) De matrimonio lib. X, disp. 12. [6]) Histor. fam. sacrae pag. 426. [7]) Luc. V, 8. [8]) Super Matth. cp. I. [9]) Luc. I, 43. [10]) Quaest. evang. ad Stephanum q. 1.

Spiritu conceptum novit et eandem augustiorem existimavit, quam ut sibi diutius liceret, cum illa habitare. Recte idcirco Evangelista dicit, a Josepho captum esse consilium clam sponsam dimittendi neque diffamatam a se neque objectam vulgi sermonibus. Bene igitur ab Evangelista dici videtur, quod eam diffamare noluerit. Non enim ait, nolens eam infamare, sed diffamare, quorum vocabulorum multa est differentia. Sicut enim non idem significat „scribere“ et „proscribere,“ „putare“ et „imputare,“ „rogare“ et „abrogare,“ sic neque „diffamare“ et „infamare.“ Namque „infamare“ facit, ut cogitemus de publica hominis malefici patefactione ac delatione; „diffamare“ autem patefaciendi tantummodo notionem habet.“ Sic ille.

Fusius prosequitur d. Bernardus eandem sententiam, quam a veteribus patribus propositam esse affirmat. „Quare, inquit,[1]) voluit dimittere eam? Accipe et in hoc non meam, sed Patrum sententiam: propter hoc Joseph voluit dimittere eam, propter quod et Petrus Dominum a se repellebat dicens: „Exi a me Domine, quia homo peccator sum,“ propter quod et centurio a domo sua eum prohibebat, quum diceret: „Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.“ Ita ergo et Joseph indignum et peccatorem se reputans dicebat intra se, a tali et a tanta non debere sibi ultra familiare praestari contubernium, cujus supra se mirabilem expavescebat dignitatem. Videbat et horrebat divinae praesentiae certissimum gestantem insigne: et quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expavit Petrus potentiae magnitudinem, expavit centurio praesentiae majestatem. Exhorruit nimirum et Joseph sicut homo hujus tanti miraculi novitatem, mysterii profunditatem et ideo occulte voluit dimittere eam. Miraris, quod Joseph praegnantis sese consortio Virginis judicabat

---

[1]) Sup. Missus hom. II.

indignum, quum audias et s. Elisabeth ejus non posse ferre praesentiam, nisi cum tremore quidem et reverentia; ait namque: „Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?"

Exprimitur eadem opinio in revelationibus s. Birgittae.[1] „Postquam consensi nuncio Dei, inducit illa beatissimam Virginem loquentem, Joseph videns uterum meum virtute Spiritus s. intumescere, expavit vehementer, non suspicatus contra me aliquid sinistrum, sed recordatus dicta Prophetarum praenunciantium filium Dei nasciturum de Virgine, reputabat se indignum tali servire matri, donec Angelus in somnis praecepit, sibi non timere, sed cum charitate mihi ministrare."

Audiamus etiam Archiepiscopum de Capite fontium hac de re ita loquentem: „Talis certe erat timor iste, inquit,[2] respectu arcae novi Testamenti in sancto Josepho, ut in eadem domo cum illa non auderet manere: qualis in patre ejus Davide quondam extitit, quum veteris Testamenti arcam in domum inducere suam, licet id percuperet, ausus non fuit. De quo scribitur:[3] „Quomodo ingredietur ad me arca Domini? et noluit divertere ad se arcam Domini in civitatem David, sed divertit eam in domum Obededom Gethaei." Quod autem per arcam illam significata fuerit sanctissima Virgo, testatur s. Bernardus."[4] Et paulo inferius: „Bene audierat Joseph, Virginem parituram Christum, et putavit forsan, hanc Virginem debere esse sponsam suam Mariam, alias cur ei Virgo non ab eo cognoscenda dabatur in uxorem, nisi sub spe et expectatione futuri miraculi? Ut quid nuptiae absque spe prolis. Timor ergo Josephi reverentialis et admirationis fuit, non autem de Virginis castitate dubius."

---

[1]) Lib. VII, cp. 25. [2]) De virginit. Mariae p. 194. [3]) 1 Paralip. XIII. [4]) Serm. incip: Ave Maria.

Sentent. III:

S. Joseph nihil mali de b. Virgine suspicatus est; latuit eum tantummodo Incarnationis mysterium et rem concredidit divinae providentiae.

Sententiam hanc communiorem, inter duas alias medium tenentem et utramque respuentem, sequitur inter alios d. Hieronymus.[1]) Sibi enim objiciens: „Si quis fornicariae conjungitur, unum corpus efficitur, et in lege praeceptum est, non solum reos, sed etiam conscios criminis obnoxios esse peccati,“ quomodo, inquit, Josephus, quum crimen celaret uxoris, justus scribitur?“ Ad quod respondet: „Sed hoc testimonium Mariae est, quod Josephus sciens illius castitatem et admirans, quod evenerat, celat silentio, cujus mysterium nesciebat.“

Huc spectat quoque testimonium Authoris operis imperfecti. „Quoniam auditio verborum Mariae, inquit,[2]) et consideratio vitae ejus mala suspicari de ea non sinebat Josephum: consideratio autem conceptionis ejus non permittebat, eum ad plenum bona aestimare de ea: et sic animus ejus inter utrasque partes fluctuabat: et tenere eam timebat, et tradere eam non audebat, propter hoc necessaria fuit revelatio divina.“ „O inaestimabilis Mariae laus, exclamat idem author l. c.! Magis credebat (s. Joseph) castitati ejus, quam utero Virginis, plus gratiae, quam naturae; conceptionem manifeste videbat, et fornicationem suspicari non poterat; possibilius esse credebat, mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare.“ Neque aliter loquitur s. Petrus Chrysologus:[3]) „Sponsus quid faceret ad ista? Accusaret de crimine? Sed erat ipse innocentiae testis. Culpam diceret? Sed erat ipse custos pudoris. Urgeret adulterium? Sed erat ipse virginitatis assertor. Quid

---

[1]) Sup. Matth. cp. I. [2]) In Matth. hom. I. [3]) Serm. 145.

faceret ad ista? Cogitat dimittere, quia non poterat vel foris prodere vel intus, quod evenerat, continere. Cogitat dimittere et dicit Deo totum, quia, quod homini diceret, non habebat."

Consonat s. Bernardinus Senensis ita scribens:[1]) „Quaeritur, an Joseph crediderit Virginem de adulterio gravidam? Ad quod dicendum, quod circa hoc tres sententiae sanctorum et aliorum doctorum quasi contrariae reperiuntur. Chrysostomus et Augustinus volunt, quod crediderit hoc. Secundi, ut Origenes et alii volunt, quod crediderit, eam concepisse de Spiritu sancto, et quod ex multa reverentia illam fugere volebat. Tertii vero dicunt, quod vir iste utraque parte concessus et pro utraque parte allegans neutri parti simpliciter adhaerebat, sed stabat mente attonitus et suspensus. Nam ex una parte erat fortissimum argumentum naturae ex tumefactione uteri; ex altera parte pugnabant omnia, quae de Virginis sanctitate viderat et audierat, et ex stupore utriusque partis simul sumptae volebat occulte dimittere eam, tamquam rem sibi ignotam et suum judicium transcendentem. Adhaereo tamen magis huic sententiae tertiae. Si vero de primis duabus oporteret alteram eligere, plus assentirer primae propter verba Matthaei et Augustini, quibus secunda opinio non plene satisfacit."

Tertiae opinioni etiam Ecclesia favere videtur de s. Josepho canens:[2])

„Almo quum tumidam germine conjugem
Admirans dubio tangeris auxius,
Afflatu superi Flaminis Angelus
Conceptum puerum docet."

S. Joseph de b. Virginis innocentia persuasissimus fuit; scivit enim, voto virginitatis eam obstrictam, vita moribusque omnino inculpatam, angelica puritate et

---

[1]) Tom. 3 serm. de s. Josepho art. 2 cp. 1. [2]) In hymno festi ad Vesp.

omnibus aliis virtutibus ornatam. Quomodo ergo firmo judicare potuisset judicio, eam votum violasse adulteriumque commisisse? Huc accedit, quod s. Joseph, si b. Virginem ob adulterium dimittere voluisset, eam juxta legem [1]) cum libello repudii debuisset dimittere nec occulte eam dimittere potuisset.

Mysterium Incarnationis s. Josepho prorsus ignotum fuisse ideoque non ob humilitatem seu ob reverentiam erga beatissimam Virginem eam dimittere voluisse, luce clarius ex verbis Angeli ad s. Josephum apparet. „Joseph, fili David, inquit, [2]) noli timere, accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.“ Angelus eum primus docet mysterium de conceptione miraculosa, ergo s. Joseph illud antea nescivit. Si s. Joseph dimittere voluisset b. Virginem, quam a Spiritu s. conceptam sciverit, Angelus ad repellendum ejus timorem prorsus inepte dixisset: „Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.“ S. Joseph tunc certissime respondisset: Imo propter hanc causam eam dimittere obligor; indignum enim me habeo familiari cum tali persona insignissima contubernio.

Opinio haec magnam quoque ascribit s. Josepho imprudentiam. Si enim conceptione miraculosa cognita b. Virginem voluisset dimittere, non solum grandissimum illud mysterium omnibus notum facere, sed etiam publico intendisset exponi opprobrio ac contemptui conjugem suam

---

[1]) „Si acceperit homo uxorem et habuerit eam et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam foeditatem: scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua.“ Deuter. XXIV, 1. Libellum hunc publice coram judice et in forma judiciaria datum fuisse, teste Becano (Analogia veteris ac novi Testamenti pag. 425 edit. Leodiensis) verisimile est, quia datus fuit coram testibus et quia apud Romanos repudium fiebat coram judice, ut patet ex jure civili tit. de divortiis, ubi etiam haec formula apud Romanos usitata „res tuas curato, res tuas tibi habeto“ describitur. [2]) Matth. I, 20.

dilectissimam, quam omnes autumassent meretricem. Quomodo castissimus sponsus, ita si egisset, dignus haberi potuisset, qui ab Evangelio judicaretur justus?

§. 6.

De s. Josephi justitia.

Quaestionem hanc cum praecedente paragrapho quam intime cohaerentem silentio praetereundam non esse judicantes inquiramus

Cur s. Josepho nomen „justi" attributum sit.

Justum testante s. Thoma[1]) generatim id dicitur, quod regulae suae, cui debet commensurari, adaequatum est et commensum adeoque non particularem tantum eam virtutem, quae unicuique, quod suum est, reddit, verum etiam virtutum omnium collectionem justitiae nomen sortitur. „Justitia, inquit d. Chrysostomus,[2]) nil aliud est, quam omnium mandatorum plena custodia." Justus ergo erat s. Joseph, quia omni virtutum genere et speciatim charitate, omnium aliarum virtutum regina, in qua secundum d. Augustinum omnis christiana justitia consistit, instructus ac ornatus.

Virtutem hanc s. Evangelista non probat, sed notam manifestamque praesupponit. Noluit enim s. Joseph virginem traducendo infamare. Potuit id quidem, sed charitas prohibuit, ne fecerit. Justus erat, quia duo intendit, consulere nempe sibi, ne cohabitaret gravidae et consulere conjugi, ne vituperaret eam. Propterea medium elegit, dimittere eam occulte i. e. recedere ab ea nihil dicens. Oculi sui videbant uterum tumescentem et judicabant eam adulteram, quacum si vellet manere, putaretur consors peccati. Virginis e contra pernota sanctitas et angelica puritas animum impediebant, quominus

---

[1]) II sect. q. LXXX art. unic. [2]) In Matth. hom. 12.

judicium ferret. Consultum esse putavit, rem Deo committere seque ab uxore separare, donec eventus rei aperiat veritatem. Sic etiam sensit Glossa ordinaria:[1] „Sciebat, illam esse inculpabilem, sed unde vel quid esset, ignorabat, et ideo mediam elegit viam effugiendi, ut neque rei incognitae consentiendo se reum faceret, quae vera virtus est, quum nec pietas sine justitia nec sine pietate justitia sit.“

Qua in virtute s. Joseph patrum veteris Testamenti justitiam longe superavit. Audiamus Isolanum hoc ita demonstrantem: „Primo quidem, inquit,[2] Noe, Abraham et Isaac praecipui fuere justitia inter Patres veteres; sed hi fuere figura Joseph; ergo Joseph figuratus praestantior erat justitia. Praeterea Abel dictus est, quia ejus sacrificium respexit Deus et quia simplex, ut habetur in Genesi[3]) et ut ait d. Augustinus,[4] in eo exordium accepit civitas Dei; sed Deus non solum accepta sibi munera Joseph ostendit; sed etiam domum, verba, mores simplicitatem, prudentiam exercitiumque ejus manuale, domum ejus sibi habitationem deligens et se ejus filium putari non aufugiens. Itidem d. Josephus terminus fuit omnium Patrum justorum veteris Testamenti primusque inter Patres novi. Ergo illius justitia censenda est praecelluisse justitiam Patrum veteris Testamenti. Praeterea Cherubim custodivit divino praecepto paradisum terrestrem et lignum vitae, ne hominum quispiam ingrediatur, praecipue Adam ac ex eo nati; sed in figurato per paradisum terrestrem, scilicet b. Virginem ac per lignum vitae, scilicet Christum, Joseph custodivit Deo instituente; ergo justitia ejus apud Deum clarior fuit inventa, quam justitia Patrum antiquorum. Praeterea antiquis Patribus Deus praecepit, Josepho vero idem subjectus Deus obtemperavit; Josephi ergo justitia incomparabiliter superior. Itidem qui laudantur Patres veteres

[1]) In Cap. I. [2]) II, p. cp. V. [3]) Gen. IV, 4. [4]) De civit. Dei I.

a sacris codicibus, ipsi pariter in aliquibus defecisse describuntur, ut patet in Noe bibente vinum, in Abraham descendente in Aegyptum cum Sara uxore, quam rogavit, ut diceret se esse sororem, ut bene sibi esset in domo Pharaonis propter eam,[1]) in Loth quoque ebrio et in multis aliis Patribus a sacris literis laudatis: Joseph vero justus ab Evangelio praedicatur et in nullo defecisse describitur."

Ad aliam quaestionem cum praecedente connexam, utrum nempe s. Josephi justitia justitiae omnium Patrum et sanctorum novi Testamenti praeferenda sit, celeberrimus Suarez ita respondet: „In hac comparatione, inquit,[2]) non existimo esse temerarium, nec improbabile, sed pium potius et verisimile, si quis fortasse opinetur, Sanctum hunc (Josephum) reliquos omnes in gratia ac beatitudine antecellere, quia ex Scriptura nihil est, quod repugnet neque in Patribus aliquid reperio, et si quae sunt generales locutiones, quibus Apostoli praeferri videantur, intelligi possunt facere comparationem regulariter cum aliis Sanctis et non excludere speciale aliquod privilegium et praesertim loqui de posterioribus Sanctis: non vero de his omnibus, qui cum Christo vixerunt et ipsis Apostolis contemporanei fuerunt. Nam licet haec revelata non sint et ideo incerta sint et soli Deo ac Beatis cognita; possumus tamen non nihil probabilibus rationibus aut indiciis conjectari." Confirmantur haec doctrina Doctoris Angelici dicentis:[3]) „Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii. Christus est principium gratiae, secundum divinitatem quidem authoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter." Huic vero principio post s. Deiparam nullus fuit propinquior, quam s. Joseph, tertium in

[1]) Gen. XII, 13. [2]) Tom. II, in III, p. q. XXIX, a. 1 disp. 8.
[3]) III, p. q. XXVII, a. 5 in corp.

abundantia gratiae locum obtinens. Cui ergo, exclamamus mirantes, cui similem faciamus Josephum, putativum patrem, nisi tibi Christo Domino ac Virgini tuae?

Pictores et geographi hoc habent in suis artibus mirabile, quod grandiora quaevis objecta intra minutissimum effingere et quasi abbreviare possint spatium. Pictores enim maximum quemque colossum in exiguae telae particula delineant et geographi totum orbem terrarum in unico papyri folio includunt. Mirabili autem hac arte respectu sancti Josephi supremus artifex Deus usus est, quippe qui omnes ejus perfectiones et excellentias in brevissimum redegerit compendium easque in unico „Justi" titulo collegerit. Humani oculi pupilla tam exigua est, ut nec ciceris excedat magnitudinem; nihilominus pupilla, licet minutissima, continet et includit in se ipsa per repraesentationem, ut s. Thomas dicit, lunam, stellas, solem et omnia, quae ei objiciuntur, corpora. Idem dicamus necesse de hoc „Justi" titulo; minimus quidem est, si literas aspicias, continet tamen sublimissimas ac eminentissimas perfectiones ita, ut nihil in hoc mundo majus nihilque augustius inveniri possit.

§. 7.

De ratione agendi b. Virginis erga s. Josephum maxima anxietate correptum.

Duplex sese hic offert quaestio paucis saltem verbis tractanda. Num scilicet b. Virgo mysterium in se peractum s. Josepho revelaverit et, hoc si negandum, cur illa tam altum observaverit silentium erga conjugem suum castissimum tantopere sufferentem nec eum anxietate et moerore liberaverit. Quaerimus ergo

1°: Num b. Virgo conceptionis miraculosae mysterium s. Josepho revelaverit.

Asseruere nonnulli scriptores, s. Deiparam conjugi suo, quum eum tam anxium vidisset, mysterium illud detexisse. Ita docuerunt Proclus [1]) et s. Athanasius. [2]) „Tristitia confusus Joseph, inquit infensissimus Arianorum antagonista, in itinere beatae Virgini objicere hujusmodi coepit: Quae tua tandem sententia est, o Maria? Nonne tu es, quae immarcessibilem virginitatis rosam te conservaturam voveras? Ubi nunc continentiae thalamus? Ubi impollutus pudicitiae et integritatis tuae lectus? Ubi pudibunda illa tua facies? . . . . Beata autem Virgo respondebat Joseph: „Quid me, velut impudicam condemnas? Expecta paululum, o Joseph, et Pastores tibi facient fidem; Magi te confirmabunt, stella te arguet, Angeli te excitabunt. Ne deneges fidem verbis meis, o Joseph. Ubi peperero, tum quae sim, cognoscar: nunc probra audio, tum beata dicar.“ . . . .

Inter scriptores latinos celeberrimus Parisiensis cancellarius, Joannes Gerson, eandem opinionem hisce expressit verbis: [3])

„Tum Virgo intuitu solito plus supplice, vultum
Librans ad sponsum simplex convertit aitque:
Chare Joseph, cui sum Domino sponsata volente;
Est mihi secretum, quod pandere convenit et te
Participem fieri, nos uno magnificemus
Ore Deum, voto simili ratione parique:
Sponsa potest dilecta loqui quodcunque placebit.“

Ab omnibus fere theologis optimo jure rejicitur opinio haec et quidem ex causis jam supra allegatis. Sermonem s. Athanasio ascriptum Montfauconius [4]) non

---

[1]) In Orat. VI. [2]) In hom. inscripta: In descriptionem Virginis n. 6. [3]) Dist. IV, col. 759. [4]) Multum enim abhorret hoc opusculum ab Athanasii gravitate et stili energia; multa etiam pro opusculi brevitate insueta vocabula hic exstant.

immerito spurium habet et s. Athanasio abjudicandum esse censet.

Beatissima Virgo maximo quidem dolore ob sancti conjugis suspicionem affecta ardentissime confidebat Deo ac in eum honoris sui curam jactabat haud ignorans illud s. Scripturae:[1] „Jacta super Dominum curam tuam et ipse te enutriet et non dabit in aeternum fluctuationem justo.“ Quaeritur

2°: Cur b. Virgo non aperuerit s. Josepho rei veritatem.

Dicendum testante s. Bernardino Senensi,[2] quod talia non sunt revelanda, nisi quantum se extendit voluntas Dei; proinde b. Virgo illud tacuit, firmiter tenens, quod sicut illud secretum fuerat revelatum beatae Elisabeth,[3] sic revelaretur aliis tempore competenti secundum beneplacitum voluntatis Dei. „Hoc licet verum sit, respondet s. Bernardino Tostatus,[4] tamen putandum est, quod Virgo obligaretur omnino facere, quia licet regulariter tacere deberet, si tamen putaret, vitam suam aut famam defendere revelando illud, quia aliter periclitaretur, poterat licite ea revelare. Si quis non posset defendere jus suum, nisi veras laudes suas proferendo, potest se ipsum licite laudare. Sic patet de b. Paulo,[5] ubi se volebat defendere contra quosdam falsos apostolos, qui contendebant, se habere majorem potestatem, quam Paulus, ex quo periclitabatur evangelium; ideo ipse laudavit se ibi tam de revelationibus, quam de laboribus, quam de potestate a Christo tradita, ostendendo se excedere in immensum omnes illos. Si ergo Domina nostra putasset, defendere posse famam suam coram Joseph revelando istud secretum, posset revelare.“

---

[1]) Ps. LIV, 23. [2]) Serm. de s. Josepho art. 2 cp. 1. [3]) Luc. I. [4]) In Evang. Matth. q. XII. [5]) 2 Cor. XI et XII.

Sed nihil sponso suo aperuit putans forsitan, id illi a se persuaderi non posse; excedebat enim omnino naturam. Virgo ergo, quae conscientia gaudebat delicatissima, noluit revelare, „sacramentum regis abscondere, bonum est,“ [1]) ne regem Deumque suum offenderet, nobisque revelavit tacendo animi sui fortitudinem, patientiam invincibilem nec non profundissimam humilitatem totam sui curam in Deum projiciens.

B. Virgo coelestis conceptus non certiorem reddidit s. Josephum, quia se honoremque suum Deo magnae curae futurum sciebat. „Si enim, inquit Barradas,[2]) de Susanna, quum ab impiis hominibus adulterii accusaretur,[3]) dicitur „erat cor ejus fiduciam habens in Domino,“ quid de parente Dei dicendum est? Equidem erat cor ejus fiduciam summam habens in Deo, qua veluti anchora sic stabiliebatur, ut ne tenuis quidem trepidationis vel perturbationis fluctus illud permoveret. Potuit Josephi ipse vultus virginei serenitatem modestiamque illis diebus admirari, quae recti mentem consciam satis indicabat. Adultera femina virum timet, fugit, eo viso exalbescit, ventris tumorem tegit ac premit: Virgo contra nec virum timuit, nec fugit, neque eo viso unquam exalbuit, nec ventris tumorem aut pressit aut occultavit, Dei providentiae se totam commisit.“

Ex peculiari assistentia a Spiritu s. beatissimae Virgini et s. Josepho exhibita provenit, quod in libro de meditatione vitae Christi a Doctore Seraphico conscripto legimus: „Joseph patienter, inquit,[4]) hanc magnam transibat injuriam, non se vindicans, sed pietate victus cedere volens; occulte volebat eam dimittere, Virgo autem humiliter tacebat et occultabat donum Dei. Potius volebat reputari vilis, quam ipsum Sacramentum Dei propalare et de se aliquid loqui, quod ad jactantiam putaretur pertinere. Rogabat autem Dominum, ut ipse

---

[1]) Tob. XII, 7. [2]) Tom. I, lib. 8 cp. 5. [3]) Dan. XIII. [4]) Cp. 6.

remedium apponere dignaretur et hanc sibi et viro suo tribulationem auferret."

§. 8.

De ratione agendi Dei erga s. Josephum tantis tribulationibus obnoxium.

Deus omnia suaviter disponens maximam illam s. Josephi tribulationem ex causis permisit justissimis nec prius eum instrui voluit, quam periculum imminuerit dimissionis. Tunc legavit Angelum, ut amantissimum s. Deiparae conjugem sua liberaret anxietate. Inquiramus

1°: Cur Deus s. Josephi tribulationem permiserit.

Triplicem rationem affert s. Bernardinus Senensis.[1]) Permisit enim Deus hanc tribulationem

a. propter majorem certitudinem, scilicet tanti operis. Quando etenim audimus, quod vir Mariae sic discretus, sapiens atque justus omnia haec diligenter consideravit ac vidit: et secundum quod rationalis ratio dictat, sic dubitavit et tamen postmodum ita firmiter credidit, quod et ipsam in conjugem tenuit, et Christum ut Filium, plus movemur ad fidem, quam si diceretur, quod ab initio simpliciter hoc susceperit, juxta sententiam s. Gregorii, qui ait: „Quod minus Maria mihi praestitit, quae cito credidit, quam Thomas, qui diu dubitavit."

b. Propter majorem confirmationem. Prout enim in nobis ipsis plenius experimur, dubitationem fortium praecedentes motus fortius nos acuunt ad veritatis inquisitionem, et quanto postmodum per manifestationem et illuminationem veritatis fortius et sensibilius expelluntur, tanto perspicaciores et firmiores in ipsa veritate efficimur: et quanto plus in nostra tentatione nostras

[1]) Serm. de s. Jos. art. 2 cp. 1.

indigentias et molestias et divinae gratiae necessitatem probamus, tanto in nobis humiliores et Deo et beneficiis ejus gratiosiores sumus et contra tentationes consimiles cautiores et ad custodiam gratiarum nobis impensarum affectuosiores et diligentiores existimus: et in hoc ipso discimus compati et mederi his, qui dubitant et vacillant.

c. Propter majorem exercitationem. Hoc est ad observandum et ostendendum simul ordinem gratiae et providentiae Dei. Licet enim Deus primo in nobis initiet sua dona, non tamen ea perficit et conservat, nisi prius laboribus et tentationibus fatigemur et per tentationum triumphos gratias consummatas promereamur. Constat enim, quod ipsi Joseph gratia summa erat, effici Virginis sponsus et quodammodo Christi pater, ac semper familiarissime cum eis stare. Proinde post inchoationem hujus doni debuit per tentationem exercitari atque probari et approbari. Quaeritur

2°: Cur Deus s. Josephum certiorem fecerit idque angelica revelatione.

Ad depellendos s. Josephi timores Deus remedium adhibere non tardavit et justis de causis sponso castissimo conceptum b. Virginis supernaturalem nuntiavit,

a. „ne justus homo, inquit magnus Aquinas,[1]) ignorans faceret rem injustam ex proposito justo, quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

b. Propter honorem ipsius matris; nam si dimissa fuisset, apud infideles turpi suspicione carere non poterat.“

Angelus vero eligitur nuntius,

a. ut intelligens Joseph sanctam conceptionem diligentius et reverentius se haberet, quam prius. „Postquam ab Angelo certificatus est, quod conceperat de

---

[1]) In Catena sup. I, Matth.

Spiritu sancto, inquit s. Bernardinus Senensis,[1]) humiliori ac reverentiori modo conversabatur cum sponsa sua: unde major perfectio generabatur in eo. Et si nos miseri ex cohabitatione sanctorum virorum, qui respectu Virginis nihil sunt, saepe tamen proficimus: quantum aestimandum est, hunc cum sacra Virgine profecisse. Dixerat enim Propheta:[2]) „Cum sancto sanctus eris et cum viro innocente innocens eris."

b. Aliam rationem, cur s. Joseph ab Angelo instrueretur, affert d. Augustinus. „Ab Angelo, inquit,[3]) corrigitur. Quare dignus fuit, ab Angelo corrigi? Quia non erat in illo malevola suspicio: quales Apostolus[4]) dicit malevolas suspiciones nasci inter fratres. Malevolae suspiciones sunt calumniantium; benevolae suspiciones sunt gubernantium. Licet cuiquam de filio male suspicari; sed de filio non licet calumniari: utique suspicaris malum, sed optas invenire bonum. Qui benevole suspicatur, vinci cupit: tunc enim bene laetatur, quando falsum inventum fuerit, quod male suspicabatur. Talis erat Joseph circa conjugem suam, cui corpore non erat mixtus, sed tamen fide jam fuerat copulatus. Venit ergo et Virgo in falsam suspicionem: sed sicut pro Susanna adfuit in Daniele Spiritus, sic pro Maria adfuit angelus."

Angelus non ante b. Virginis conceptionem s. Josepho apparuit, ut hic nec cogitaret, quae cogitavit, nec pateretur, quae passus est Zacharias, culpam infidelitatis incurrens de conceptione conjugis jam longaevae, uti docet s. Chrysostomus;[5]) incredibilior enim erat res, Virginem posse concipere, quam anum. Ante conceptionem s. Joseph non oportuit instrui nec mens ejus videbatur disposita ad instructionem percipiendam angelicam; praeparata vero erat ad lumen divinum suscipiendum, quum de dimittenda uxore cogitaverit.

---

[1]) Serm. de s. Josepho art. 2 cp. 1. [2]) Ps. XVII, 26. [3]) Serm. 349 alias 2. [4]) 1 Tim. VI, 4. [5]) Super Matth.

„Mittit Deus medicum ad aegrotum, inquit Maldonatus,[1]) nec antequam incipiat, nec postquam mortuus desinat aegrotare. Divina enim est providentia, quae aegrotare unum permittit hominem, ut multis ex ejus morbo medicinam faciat. Ea fuit, quae Petrum et Thomam permisit circa fidem cadere, ne nos caderemus. Ea expectavit, donec Joseph de Mariae Virginitate dubitaret, ne ipsi dubitaremus.“

Cap. II.

DE CIRCUMSTANTIIS VISITATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS.

§. 1.

De causis hujus Visitationis.

„Et discessit ab ea Angelus,“ refert s. Lucas Evangelista.[2]) „Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda.“ Unica prorsus ac singularis haec beatissimae Virginis visitatio, sive considerentur personae, et visitans et visitata — mater enim Dei Altissimi venit ad matrem Ejusdem praecursoris —, sive maxima illa attendamus beneficia, quae hujus visitationis occasione omnipotens exhibuerit Deus. Jure ergo expendendae sunt rationes, quibus permota hoc longum arduumque triginta leucarum iter s. Deipara susceperit. Audiamus primo rationes a nonnullis theologis catholicis nec non a quibusdam haereticis adductas, quae honori b. Virgini debito apertissime repugnant.

---

[1]) Sup. Matth. cp. I. [2]) I, 39.

Sentent. I:

B. Virgo experiendae ac probandae fidei causa hoc iter instituit.

Ita aperte docuit Theophylactus: „Abiit, inquit,[1]) et gaudens de bono cognatae et volens, ut prudentissima majore certitudine certior reddi, num vera dixisset, qui apparuerat ei, ut ex hoc nec de suo dubitaret; prudens enim quum esset, timebat, ne forte deciperetur, et non ut incredula, sed ut diligens rem explorare volebat.“ Respondet apprime Theophylacto Salmeron:[2]) „Parum constanter auctor loquitur, quia modo de dictis Angeli illam dubitantem facit, modo subdit, illam non fuisse incredulam. Et paullo ante in illud: „Ecce ancilla Domini“ declarat, verba illa: „Quomodo fiet istud,“ non fuisse incredulitatis, sed desiderii addiscendi modum. Nam si discredidisset, neutiquam dixisset: „Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.“ Parum etiam honorifice de sanctissima Deipara loquitur, cujus fides laudata fuit ab ipsamet Elisabetha. Et quum illam jam Spiritus sanctus obumbrasset, in eaque Deus factus homo fuisset, jam supremo genere certitudinis erat illius mysterii conscia, quare nec timebat decipi, nec dubitabat ullo modo; nec ulla experientia certior reddi volebat, quum omnis experientia evidentiae naturalis sit certitudo, quae longe minor est, quam certitudo fidei; nam haec verbo Dei nititur, ut illa sensuum cognitioni.“

Theophylacto jungit Serry[3]) Euthymium eadem docentem. Quam sententiam tenuit inter alios Calvinus.[4]) „Neque etiam quibusdam subscribo, ait, qui gratulandi causa venisse putant: probabilius enim mihi videtur partim augendae confirmandaeque fidei suae, partim illustrandae ultro citroque gratiae Dei, habitam

---

[1]) In cap. I, Luc. [2]) L. c. tom. III, tract. X. [3]) Exercit. 28 num. 3. [4]) In harm. evangel.

ab ea fuisse rationem. Nec vero est, quod absurdum dicamus, quaesitam ab ea fidei confirmationem fuisse ex miraculi conspectu, quod Angelus non frustra illi in medium proposuerat."

Sententia beatissimae Virgini profecto maxime injuriosa! Omnimodam enim praebuit fidem verbis angeli nec ullatenus de sua et multo minus de Elisabethae dubitavit impraegnatione. Majus et difficilius credens, quomodo de minori ac faciliori dubitare poterit? Quid, s. Deipara dubitasset ac re ipsa experiri voluisset, quod Angelus nuntiaverat? Numquid ignoravit s. virgo a Spiritu sancto semper illuminata, quod sexcentos post annos d. Gregorius[1]) scripsit: „Fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum?" Quare Angelus sterilis Elisabethae conceptum b. Virgini nuntiaverit, jam supra dictum est. „Numquid forte, interrogat Doctor Mellifluus,[2]) dubiam adhuc et incredulam oraculo, recentiore voluit confirmare miraculo?" „Absit, respondet, sed ideo sterilis cognatae conceptus Virgini nuntiatur, ut, dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur."

Aliam attulit rationem acatholicus Brentius. „Maria, inquit, visitavit cognatam suam Elisabetham, ut verbo Angeli obediret, et sacramentum, quod Angelus nuntiaverat, re ipsa experiretur, et rursus Elisabeth confirmat fidem Mariae."

Ubinam talis mandati angelici mentio facta est? Mariae fides profecto non tam languida erat, ut Elisabethae debuerit roborari ac confirmari monitis! Num Elisabetha celebrasset Mariae fidem verbis illis persolemnibus: „Beata, quae credidisti," si fides illa non fuisset eximia et dubitationis commixtione labefactata?

---

[1]) In Evang. hom. 26. [2]) Super Missus hom. 4.

Sentent. II:

B. Virgo ex speciali Spiritus s. instinctu ad inserviendum s. Elisabethae hoc iter suscepit.

Causae, quae pudicissimam ac solitudinis amantissimam Virginem in publicum velut evocarunt, supernaturales fuerunt et naturales.

Supernaturales, inquam; suscepit enim b. Virgo hanc visitationem ex speciali Spiritus sancti instinctu. Ipse Christus in b. Virginis utero jam conceptus, eam ad cognatam impulit visitandam, ut munus suum auspicaretur, salvum nempe faciendi populum a peccatis eorum seque verum Salvatorem demonstrandi, quando clausum adhuc in utero Joannem occasione illius visitationis ab originali liberavit peccato.

„Abiit beatissima Virgo cum festinatione“ et hoc non sine mysterio. Ille enim festinam eam reddidit, qui nominatur „Accelera spolia detrahere — festina praedari.“ [1]) Festinabat Christus in Virgine ad Joannem sanctificandum, ad eum quasi primum spolium hosti diabolico eripiendum.

Festinabat Virgo charitate impulsa ardentissima. Cujus divini amoris flammas ex divini Verbi conceptu vix senserat et ecce, penetralia domus suae, quibus semper assueta, repente deserit celerique gressu per montium properat aspera. Noluit sibi soli sacros divini amoris ignes possidere, sed et cognatam suam Elisabetham praegnantem ejusque filium illorum participes facere illisque amoris demonstrare signa.

Magna differentia inter amorem mundanum et divinum! Dum enim amor mundanus cor possidet, alterum ad amandum non admittit; amor vero divinus, si cor inflammavit, non satiatur nec quiescit in solo Dei amore;

---

[1]) Isai. VIII, 3.

verum inquietus est, donec inveniat sodales, quibus se possit communicare.

Naturales quod attinet rationes, beatissima Virgo, cognatae suae Elisabeth de conceptu tam admirabili congratulari illique partui vicinae statuerat inservire. Ita expresse docent ss. Patres.

Audiamus inter alios d. Ambrosium. „Ubi audivit hoc Maria, inquit,[1]) non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuncio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi laeta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit.“ „Didicistis Virgines, monet idem s. Doctor,[2]) pudorem Mariae, discite humilitatem: venit propinqua ad proximam, junior ad seniorem; nec solum venit, sed etiam prior salutavit; decet enim, ut quanto castior virgo, tanto humilior sit, noveritque honorem deferre senioribus: sit magistra humilitatis, in qua est professio veritatis.“ Plenissime consentit ven. Beda: „Intravit, inquit,[3]) Virgo domum Zachariae, non ut verbum Angeli mulieris attrectatione probaret, sed ut mulieri provectae aetatis Virgo juvencula ministerium sedula impenderet.“

§. 2.

De comitatu b. Virginis.

S. Evangelista quum hac de quaestione nihil docuerit, b. Virginem perrexisse solam vel aliquam matronam habuisse sociam, quidam existimant theologi. Solam ivisse, congruit mysterio, quod tunc Deus volebat esse in occulto; ivisse eam cum comite, aliqua prudenti gravique femina, Virginis pudori ac honestati convenit. Aliis e contra videtur improbabile, s. Josephum, sponsum et custodem, ejus comitem non fuisse. Inspiciamus argumenta, quibus utraque nitatur sententia.

---

[1]) In h. I. lib. II, in Luc. n. 19. [2]) In Luc. lib. II, n. 22.
[3]) Hom. de Visit.

Sentent. I:

S. Joseph b. Virginem comitatus est.

Sequentibus potissimum rationibus haec opinio probatur:

1. Beatissima Virgo nupserat s. Josepho, ut ab illo adjuvaretur; adjutorio vero fuisset destituta, si ad s. Elisabetham sola profecta esset. Sponsi munus, quod s. Joseph jam gerebat, postulabat comitatum. „Abiit autem, inquit Salmeron,[1]) non sola, sed comitante eam viro suo; nam ob eam potissimum causam desponsata cum illo erat, ut ministerium et consolationem ab eo acciperet, et ut testem pudicitiae et puritatis haberet, et denique, ut de Virginis impraegnatione homines ignari divini mysterii, nihil sinistri cogitare possint aut suspicari.“

2. Indecens prorsus videtur, b. Virginem ivisse sine sponso, maxime quia alium habere non potuit comitem, utpote virgo pauperrima. „Statim post filii conceptionem, tradit Suarez,[2]) eadem fortasse die, ut Evangelista innuit, comite sancto Josepho, ut decentius et verisimilius ab omnibus prudenter judicatum est, in montana perrexit Virgo.“

Cui opinioni favent praeter eos, quos jam citavimus, authores s. Bernardinus Senensis,[3]) s. Bonaventura,[4]) Cajetanus,[5]) Alfonsus Vivaldus,[6]) Isidorus de Isolanis,[7]) Morales,[8]) Carthagena,[9]) Sylveira,[10]) Josephus Valdivieso[11]) etc., quorum hic ita scribit: „Ratio officiumque sancti Josephi atque authoritas nos credere cogunt, visitationi s. Mariae et Elisabeth eundem interfuisse. Non

---

[1]) L. c. tom. III, tract. 10. [2]) In III, p. tom. II, disp. XIII. [3]) Serm. I, de s. Josepho. [4]) Meditat. vitae Christi cp. V. [5]) In III, p. q. XXIX, a. 2. [6]) In baculo sacerdotali cp. 15 n. 50. [7]) De donis s. Josephi cp. 6 p. II. [8]) L. c. lib. IV, tract. I, n. 9. [9]) De ss. arcanis, lib. VI, hom. I, n. 7. [10]) Tom. I, cp. 6 q. 8. [11]) Cant. 9, fol. 115.

enim ratio recta consentit, Joseph, quamvis occasione, sponsam divinitus acceptam dereliquisse ac passum fuisse, Virginem tantam sine se longum iter subire. Amplius Joseph ad hoc rationabiliter cogebatur, ut pro nova affinitate novis congratularetur affinibus, quum praecipue nobiles essent, et magnae apud Judaeos opinionis Zacharias et Elisabeth. Ad haec officium ac conjugium Joseph erga b. Virginem cogunt nos, idem asserere: officium quidem, quoniam a Deo institutus fuit tutor ac ministrator b. Virginis, quod licet magis magisque cognovisse s. Josephum non ambigamus, post primam apparitionem Angelicam, suggerente tamen divino Spiritu, Virginem non derelinquebat. Non ergo novus gubernator in tam longo itinere sponsam sibi creditam dereliquit.“ Hactenus ille.

Etiam doctissimus Benedictus XIV. huic ipsi opinioni favere videtur. „Valde verisimile existimamus, scribit,[1] b. Virginem in itinere solam non fuisse; comitem vero illi fuisse Josephum, tuto affirmari non potest.“ Citat dein plures scriptores, qui s. Josephum socium fuisse asseruerunt vg. Saxium[2] et Ayala.[3]

3. Tempore illo, quo beatissima Virgo iter suscepit, festum Paschatis, quo „omne masculinum in conspectu Domini (Hierosolymis) apparere debuit“, proxime instabat. Quomodo ergo credendum, s. Josephum paucis diebus, postquam Maria abiit, elapsis ad festum paschale ascendisse? Nonne potius asseramus necesse est, s. sponsum b. Virgine in domum Zachariae deducta exinde remeasse Hierosolymam?

---

[1]) L. c. cp. V, n. 4. [2]) De laud. Mariae p. I. [3]) In pict. christ. lib. IV, cp. 5 n. 4.

Sentent. II:

S. Joseph non fuit comes b. Virginis.

Haec sententia, quam inter alios propugnant Cornelius a Lapide,[1]) Tostatus,[2]) Azorius,[3]) Liranus,[4]) Lancilotus,[5]) Billuart,[6]) gravissimis fundatur rationibus.

1. S. Evangelista nil prorsus memorat, quod s. Joseph b. Virginis comes fuerit; ubi vero simul iverunt, in s. paginis s. Joseph nominatur: uti patet vg. ex capite secundo Matthaei,[7]) quum peregrinaverunt in Aegyptum; „accepit (Joseph) puerum et matrem ejus.“ S. Lucas narrat, Josephum a Galilaea ascendisse in Judaeam, „ut profiteretur cum Maria,“ Josephum et Mariam singulis annis in die festo ascendisse. Quando vero b. Virgo visitavit cognatam suam, ne minima quidem s. Josephi fit mentio.

2. Si s. Joseph comes fuisset et b. Virginem in domum Zachariae duxisset, tunc etiam prodigia hac in domo patrata vidisset et salutationem illam maternitatem divinam b. Virginis apertissime significantem audivisset: „Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui; et unde hoc mihi, ut mater Domini veniat ad me?“[9]) Haec salutatio statim in primo ingressu facta est, et quidem magna voce „exclamavit (Elisabeth) magna voce.“ Ergo s. Joseph, si b. Virginem in Zachariae domum duxisset, etiam maternitatis divinae mysterium verbis praecitatis expressum audire debuisset. Hanc vero salutationem non audivit ipsumque mysterium non prius habuit cognitum, quam ab Angelo in somno ei apparente monitus fuerit. Alias non intendisset dimittere b. Virginem, quam post reditum viderit gravidam.

---

[1]) A. h. l. [2]) In Evang. Matth. cp. 1. [3]) L. c. q. 7. [4]) In Matth. cp. I. [5]) In vitic. Mariana pamp. 10. [6]) L. c. diss. II, a. 5. [7]) Matth. II, 21. [8]) II, 5. [9]) Luc. I, 42 sq.

3. Si s. Joseph visitationi praesens fuisset et colloquio b. Virginis cum cognata sua, praedicasset sine dubio non minus, quam Elisabeth miracula illa grandissima et s. Evangelista circumstantiam hanc certo certius memorasset.

4. In hoc casu etiam non solum praesumendum esset, quod s. Joseph b. Virginem reduxerit, sed etiam per totum tempus cum illa manserit. Rationes, quas adversarii adducunt pro comitatu in abiendo, valent etiam pro comitatu in redeundo ac pro eo, quod s. Joseph tribus mensibus in domo Zachariae moraretur. At hoc vix credi potest; nam

a. tanto tempore s. Joseph advertere debuisset, sponsam suam esse gravidam; quod vero non advertit, nisi post ejus reditum in Nazareth.

b. Pauperem novimus s. Josephum et propriis laboribus sibi victum comparantem. Num ille ergo poterat tantum temporis spatium impendere in suscipiendo tali itinere, quod eum per tres menses a domo et ab officina sua separavit?

Ad argumenta contra hanc sententiam proposita respondemus:

α. Etiamsi s. Joseph b. Virginem non comitatus fuerit, ideo tamen illa non omni consolatione omnique ministerio fuit destituta. Antiqui testamenti arca nulla sera nulloque ferreo instrumento fuit clausa, sed, ut animadvertit perpulchre Clemens Alexandrinus,[1]) semet ipsam religione custodiebat: nonne jure optimo de beatissima Virgine asserere possumus, illi, arcae longe excellentiori et pretiosiori, nullum fuisse, saltem ex hac ratione, necessarium comitem. „Aderant (peregrinanti Virgini) et innumerabiles Angeli, censet Salmeron,[2]) quibus praeceptum erat, ut Domino suo ac Conditori, reginaeque Angelorum omnium inservirent secundum

---

[1]) Stromat. lib. V. [2]) L. c. tract. X, tom. III.

illud: „Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.“ [1]) Nam si Tobiam juniorem abeuntem ac redeuntem in profectione a patre suo imperata Raphael Angelus est comitatus: quanto aequius erat tenerioris sexus puellam et matrem Messiae effectam, in itinere, instinctu Spiritus sancti perficiendo, Angelos illam assectari atque comites individuos se ejus praestare ministerio?

β. Si adeo indecens fuisset, quod b. Virgo peregrinationem ad Elisabetham sola susceperit, s. Evangelista sine dubio quidquam notasset; non enim scrupulum de minima indecentia b. Virgini imputanda relinquere voluit. Sed praesumi potest docente Cornelio a Lapide, attributam illi fuisse sociam itineris gravem aliquam matronam.

γ. Judaei quidem ex lege tenebantur tempore habitationis in Palaestina tribus quotannis vicibus: in festis Paschatis, Pentecostis et Tabernaculorum Hierosolymas peregrinari.[2]) Quia vero tempore illo, quo b. Virgo abiit in montana, festum Paschatis instabat, lex omnes Judaeos ad peregrinationem Hierosolymitanum obligans etiam s. Josephum inducere potuit, jam tunc peregrinationem suscipere, praesertim quum b. Virginem simul comitari valuerit. Attamen hoc de comitatu nullum elucet s. Scripturae vestigium et ex gravissimis, quas attulimus, rationibus probatum est, s. Josephum in hoc itinere comitem b. Virginis non fuisse.

§. 3.

De temporis spatio, quo b. Virgo in s. Zachariae domo perstiterit.

„Mansit autem Maria, referente s. Luca Evangelista,[3]) cum illa (Elisabetha) **quasi** mensibus tribus.“

---

[1]) Ps. XC, 11. [2]) Cfr. Exod. XXIII, 15; XXXIV, 19. Deut. XVI, 16. [3]) I, 56.

Quibus verbis permoti, docent non pauci interpretes, b. Virginem non per integros tres menses mansisse apud Elisabetham nec ejus partum expectasse, sed ante s. Joannis nativitatem rediisse eam declarant. Alii vero iique gravissimi auctores b. Virginem non rediisse autumant, nisi post s. Praecursoris nativitatem. Inspiciamus utriusque sententiae rationes.

Sentent. I:

Beatissima Virgo ante s. Joannis nativitatem rediit.

Probatur 1. ex s. Scriptura.

a. Tempore, quo Maria abiit in montana, Elisabetha sexto tantum mense, qui poterat esse inchoatus, uterum gestabat; Maria vero apud illam non tribus mensibus completis seu integris, sed „**quasi** mensibus tribus“ mansit; atqui feminae non parere solent, nisi circa decimi mensis initium. Ergo b. Virgo non expectavit s. Joannis nativitatem, quam procul dubio non fuisse immaturam, sed debito tempore factam credendum est. Huc accedit, quod beatissima Virgo post angelicam annuntiationem ad cognatam suam proficisci non distulerit, sed protinus iter suscipere festinaverit, quod clarissime illa Evangelii verba indicant „exurgens Maria abiit cum festinatione.“

b. Veritas hujus sententiae ex contextu Evangelii absque praejudicio inspecti patet. S. Lucas enim ita refert:[1] „Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium.“ Ergo tempus pariendi sequebatur b. Virginis reditum.

c. Si b. Virgo tempore nativitatis s. Joannis adhuc

[1]) I, 56 sq.

in Zachariae domo versata est, quare s. Evangelista hanc praesentiam non significavit? Mentionem facit et vicinorum et cognatorum, qui gratulandi causa venerunt, numquid Mariae penitus oblivisci potuit?

Probatur 2. ratione.

Indecens omnino videtur, beatissimam Virginem tanta puritate tantaque sanctitate exornatam mulieri astitisse parienti. Quare ita scribit Nicephorus:[1]) „Quum autem in moribus esset, ut virgines, quum partus gravidae mulieri et jam parturienti immineret, secederent, tertium cum ea (Elisabetha) versata mensem domum suam revertitur.“

Alii alias reditus ante nativitatem suscepti rationes nobis suppeditant. Audiamus v. g. Titum Bostrensem Episcopum.[2]) „Mansit autem, inquit, Maria cum illa quasi mensibus tribus.“ Hoc est tantisper, dum tempus partus Elisabethae appeteret. Rediit autem, quia circa Elisabethae partum magna hominum multitudo ad Zachariae aedes confluxura erat; Virgo autem sanctissima virgineo quodam pudore tenta hominum conspectum declinabat.“ Eadem fere leguntur apud Theophylactum:[3]) „Quia paritura erat Elisabeth, abscedit Virgo propter multitudinem, qui ad partum conventuri erant. Indecens autem Virgini in talibus versari. Quod autem, quum paritura esset Elisabeth, reversa sit Virgo, manifestum hinc est, quod mense sexto concepti praecursoris venit Angelus ad Mariam et mansit illa cum Elisabeth tribus circiter mensibus.“ Cur Maria non interfuit, quando Elisabeth peperit filium? Cur tanti gaudii, tantae exsultationis festivitatem non spectavit? Cur discessum suum non distulit, donec videret infantem, quem vidisse gaudium fuit? „Bene actum, optime provisum est, respondet Rupertus,[4]) ut postmodum ventura multitudine ad illud

---

[1]) Hist. eccl. lib. I, cp. 8. [2]) In Luc. I. [3]) In Luc. I. [4]) In Luc. hom. IX.

nativitatis Joannis gaudium reverteretur in domum suam, ne prius ab illis deprehenderetur in utero habens, quam ab ipso beato Josepho.“

Quum ergo ad Elisabethae partum futurus fuerit magnus tum cognatorum tum vicinorum concursus, ut ei congratularentur, visum est sanctissimae Virgini, quae jam alias hominum turbam fugere solita fuit, cordis sui solitudini se committere.

Sentent. II:

B. Virgo post nativitatem s. Joannis rediit.

Sententia haec, quam tenent Origenes,[1]) s. Ambrosius,[2]) v. Beda,[3]) Toletus,[4]) Sandinus,[5]) Torniellius,[6]) Azorius,[7]) Cornelius a Lapide,[8]) Estius,[8]) Calmetus,[8]) Salmeron,[9]) Maldonatus,[10]) quaeque multum placuit s. Petro Damiani[11]) et Doctori Seraphico,[12]) probatur

1. s. Literis.

a. Ex s. Lucae Evangelio constat, s. Elisabetham sex per menses, forsitan jam completos, fuisse gravidam, quum Angelus b. Virgini apparuit. Dixit enim ille: „Ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis **sextus** est illi, quae vocatur sterilis;“ quae verba sensum important, menses istos fuisse finitos aut fere finitos. Ita Ecclesia ea intellexit celebrans festum nativitatis s. Joannis praecise tribus mensibus post festum Annuntiationis elapsis. Huc accedit, quod Evangelista innuat, b. Virginem non statim post discessum Angeli in montana abiisse: „exurgens enim dicitur in **diebus illis,**“ sed

---

1) In Luc. hom. IX. 2) In Comment. lib. II, n. 29 sq. 3) In Comment. 4) Super Luc. cp. I, Annot. 134. 5) De Maria Virgine cp. IV, pag. 362. 6) Annales sacri hom. II, ad annum 1451 n. 5. 7) Instit. moral. p. II, l. I, cp. 33. 8) A. h. l. 9) Tom. III, tract. XV. 10) A. h. l. 11) Serm. XIII, de nativ. s. Joannis. 12) In Meditat. vitae Christi.

post aliquot dies. Adde, quod multae feminae jam ante finem noni mensis pariant.

Abiit quidem b. Virgo „cum festinatione;“ sed hoc non ad tempus refertur, sed potius ad iter, i. e., quando abiit, abiit cum festinatione, quia Spiritus Dei eam urgebat, quia charitas fervens et ardens desiderium inserviendi Elisabethae in aetate provecta praegnanti eam stimulabant.

b. Mansit b. Virgo apud Elisabetham „**quasi** mensibus tribus.“ Adverbium „quasi“ non minuit, sed significat rei veritatem; imo significat numerum non solum paulo minorem, sed etiam paulo majorem. Quod in s. Scriptura particula „quasi“ interdum iis ipsis apponatur, in quibus nihil imminuitur, plurima demonstrant exempla a Trombellio [1]) citata. Nonne Joannes Evangelista Christum Dominum „quasi unigenitum“ [2]) appellat, quum procul dubio sit „unigenitus?“ Nonne s. Marcus numerum hominum, quos Christus septem panibus et paucis piscibus saturaverat, „quasi quatuor millia“ [3]) fuisse tradidit, quum tamen s. Matthaeus expresse dicat, fuisse „quatuor millia exceptis mulieribus et parvulis.“ [4]) Particula ergo „quasi“ nos minime cogit, ut b. Virginem tres menses apud Elisabetham mansisse negemus.

„Sed fac, inquit Trombellius l. c., particulam „quasi“ hic positam esse ad aliquid imminuendum: sic ut aliquid desit integris tribus mensibus, facile haec explicas et cum praesentia Mariae, dum Elisabetha peperit, commode componis, si dixeris, aliquot, licet paucos dies, permansisse Mariam, antequam iter ad Elisabetham susciperet, nonnullos etiam dies in itinere ipso insumpsisse, tot dies tum fortasse mensibus tribus demes, quos demptos vis ab Evangelista Luca particula illa „quasi;“

---

[1]) L. c. p. I, diss. XII, n. 7. [2]) Joa. I, 14. [3]) VIII, 9. [4]) XV, 38. [5]) L. c. n. 8.

et adhuc parienti Elisabethae adesse Maria potuit. Illi enim, qui demuntur dies, non tribus mensibus, qui ab Angelico nuntio ad partum usque Elisabethae fluxerunt, demuntur, sed demuntur ab eo temporis spatio, quod ab adventu Mariae ad partum usque Elisabethae defluxit." Et haec quidem ad priorem difficultatem satis dicta sint.

Quod vero alterum argumentum ex s. Scriptura pro tuenda illa sententia allatum attinet, nihil obstat dicere, quod s. Evangelista prius reditum Mariae narraverit, deinde s. Joannis nativitatem narrare coeperit, quia fieri potuit, ut compleret prius historiam Visitationis b. Virginis, quam de nativitate s. Joannis agere inciperet. „In s. Scripturis, inquit Salmeron,[1]) frequens est usus anticipationum: hinc Evangelista per anticipationis figuram posuit Mariae discessum hoc loco, ut qui esset historiae evangelicae contexendae accomodatior, ut historiam nati Joannis rectius posset contexere."

Sic, ut unum tantummodo proferamus exemplum, s. Lucas in primo evangelii sui capite[2]) de s. Joanne narrat: „Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu, et erat in desertis usque in diem ostensionis suae ad Israel." In capite sequenti vero refertur, quod Augustus decretum emiserit ideoque Joseph cum Maria in Bethlehem ascenderit. Quisnam inde concludet, s. Joannem ante decreti illius exitum in deserto fuisse? Ergo similiter ex eo, quod Evangelista discessum Mariae ante nativitatem s. Joannis posuerit, minime sequitur, Mariam nativitati illi non astitisse, sed antea rediisse. Probatur haec sententia

2. ratione.

Nulla prorsus existit ratio, cur b. Virgo tamdiu apud cognatam[3]) suam Elisabetham mansisset, nisi ut nativitati

---

[1]) L. c. tom. III, tract. XV. [2]) I, 80. [3]) Joachim habuit uxorem nomine Annam illaque sororem nomine Hismeriam, quae genuit Elisabetham et Anna genuit beatissimam Virginem: ita b. Virgo et Elisabeth fuerunt consobrinae, filiae duarum sororum. Elisabeth

s. Joannis futuri Messiae praecursori assisteret. „Videtur absurdum, inquit Vincentius Regius,[1]) tamdiu apud praegnantem mansisse et deinde instante partu discessisse, quasi contempserit natum oculis sanctissimis cernere, quem filii sui praecursorem futurumque prophetam non ignorabat.“ Intempestivus fuisset juxta Salmeron l. c. Virginis discessus eo tempore, quo ejus praesentia salutaris magis erat necessaria; in partu enim mulieres periclitantur, tum maxime aliorum egent solatio. Quomodo ergo Virgo illa prudentissima, si haec non ignorabat, discedere potuisset? Aut quomodo Elisabetha, Spiritu sancto repleta, instante jam partu Matrem Dei, benedictam inter mulieres, abire permisisset? Etiam honor ipsius Joannis Baptistae in lucem edendi suo jure quasi poscebat, ut b. Virgo propter eum majoribus gratiarum donis cumulandum partui assisteret.

At, inquiunt, non decebat partui interesse Virginem tam puram et castam! „Non intelligo, respondet Maldonatus,[2]) cur minus decuerit partui interesse, quam parere, parientem videre consolarique atque adjuvare, quam praegnantem invisere. Ea vero consuetudo, quae affertur, solitas fuisse virgines instante partu discedere, vereor, ne ficta sit. Nos enim inter honestissimas etiam gentes eam consuetudinem non videmus, contrariam vero videmus, ut non solum domesticae partui virgines intersint, sed aliae etiam amicae atque cognatae adveniant aliunde, ut parturae ministrent. Etsi ejusmodi consuetudo forte fuit, non erat necessarium, ut Maria omnes aliarum virginum consuetudines observaret, quia ita virgo erat, ut mater esset.“

---

vocat Mariam cognatam, quia de lege veteri omnes cognati appellantur, qui per virilem vel femineum sexum in cognatione conjuncti sunt. Agnati vero, qui solum per virilis sexum lineam conjuncti sunt in consanguinitate.

[1]) Cfr. Dilucid. theor. Novati l. I, cp. 6. [2]) Comment. in Luc. cp. I, 56.

Si alterius sententiae patroni magnam adventantium frequentiam metuunt, tunc supponunt non supponenda, b. Virginem nempe post s. Joannis nativitatem tamdiu apud Elisabetham permansisse, ut omnes de hoc partu audire et ad felicissimos parentes felicitandi causa sese reddere possent. Sed hoc falsum est; una alterave die post s. Praecursoris nativitatem b. Virginem rediisse libentissime credimus.

Concludamus quaestionem hanc verbis s. Petri Damiani.[1] „Fortassis, inquit, usque in diem nativitatis ejus gloriosa Virgo cum cognata sua morata est, donec puerum natum sinu beatissimo confoveret: et uno pariete remoto, propinquiorem redderet praesentiae Creatoris. Facile autem hoc ex Evangelio conjectare licet, quia jam sex menses a conceptione Joannis defluxerant, quum ad Virginem Archangelus missus est, qui renovationem mundi pudori virgineo nova salutatione portavit. Ex hinc Virgo festinat ad Elisabeth et tribus mensibus praesentia sua cognatae dignatur hospitium, donec noni mensis fine concluso, nativitas imminet Patriarchae."

§. 4.

De urbe, quam s. Zacharias tempore nativitatis s. Joannis incoluerit.

Nihil certi hac de quaestione ex textu biblico eruere possumus. „Exurgens autem Maria, narrat s. Lucas Evangelista,[2]) in diebus illis abiit in montana cum festinatione, in civitatem Judae." „Tantum dicit Lucas, Judae civitatem fuisse, opinatur Maldonatus,[3]) ut, nisi fallor, ostendat, longum fuisse iter, quum Nazareth, ubi Virgo habitabat, in Galilaea, domus vero Zachariae in Judaea esset." Ne ergo mireris, quod diversi diversas hac de re in medium protulerint sententias.

---

1) Serm. XIII, de Nativit. s. Joannis. 2) I, 39. 3) Comment. in Luc. cp. I, 39.

Sunt, qui in urbe Macheron[1]) trans Jordanem sita, ubi s. Praecursor Domini interfectus fuit, vel in Emmaus,[2]) ubi discipuli Dominum post Resurrectionem suam in fractione panis cognoverunt, s. Joannis parentes habitasse velint.

Alii praeferunt Bethlehem;[3]) rursus alii, gravioribus innisi rationibus, urbes Jerusalem vel Hebron Zachariae et Elisabethae domicilio honestatas fuisse asserunt.

Sententiam Jerusalem et Hebron urbibus faventem penitius inspicere sufficiet.

Multi pernobiles scriptores existimarunt, Hieroso-

---

[1]) De hac opinione animadvertit Tillemont (Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique tom. I, pag. 483): „Quelques martyrologes fort anciens marquent la conception de s. Jean au château de Maqueronte (célèbre par sa mort), soit que l'on en fit particulièrement la fête en ce lieu là, soit que ce fut effectivement le lieu de la demeure de Zacarie: ce qui ne parait pas contraire à l'Ecriture. Car Maqueronte était dans un pays de montagnes, non pas à la verité dans la tribu de Juda, puisque c'était au delà du Jourdain dans la tribu de Ruben; mais néanmoins dans le pays de Juda, c'est à dire dans la Judée. [2]) Poza (lib. 1 tract. 11 cp. 5), acerrimus hujus sententiae fautor, ita scribit: „Vetustum adest et ruinosum templum majori ex parte dirutum, quod olim aedes Zachariae parentis Baptistae ibi extiterint, ad quas Virgo Elisabetham salutatura accessisse creditur. Fons aquae vivae, Neptoa olim vocatus, qui ad jactum inde lapidis excurrit, hodie Virginis Mariae vel s. Joannis Baptistae ab indigenis appellatur, in monumentum sacrae peregrinationis. Adest prope Fanum celeberrimum natali Baptistae consecratum eo loco, quo eum fuisse natum memoria est: quae omnia libuit percurrere, ut per manus accepta locorum traditio nostrae sententiae firmamentum sit." At urbs Emmaus, in monte minime posita, inter montana Judaeae recenseri nequit. [3]) „Quae lectio, si vera esset, monet Toletus (in annot. 116 ad I, Luc.), dubitationi non daretur locus: cum eo nomine Bethleem dicta legatur Joa. VI. Nonne Scriptura dicit, quia de semine David et de castello, ubi erat David? Quum vero exemplaria fere omnia, et graeca et latina, habeant civitatem Judae, sicque antiqui Doctores interpretentur, minime censendum est, ibi significari Bethleem."

lymis domum Zachariae fuisse. Calmetus citat Ambrosium, Albertum Magnum, Bonaventuram, sed, ut a Trombellio[1]) notatur, loca, ubi haec tradunt, minime allegat. Quibus authoribus addere potes Bernardinum Senensem[2]) id expresse tradentem; ven. Bedam,[3]) ven. Canisium[4]) haec dicentem: „Domum Zachariae non alibi, quam apud Hierosolymitanos fuisse, non recentiores modo, sed etiam Augustinus et Beda comprobant.“ Etiam Jansenius[5]) huic subscripsit sententiae. „Plerique civitatem Juda existimant, inquit, Jerusalem; quae etsi aliquando fuerit computata cum tribu Benjamin, tamen, postquam David illinc Jebusaeum expulit et in ea suam sedem regiam constituit, coepit annumerari tribui Judae, cui etiam tribus Benjamin semper conjuncta mansit.“ Favet quidem explicationi huic, quod de Zacharia dictum est:[6]) „Ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam“: non autem dicitur: „abiit in civitatem suam, quasi tunc esset in civitate sua, nimirum in Jerusalem.“

Sed plura sunt, quae huic opinioni objici possunt:

Jerusalem urbs, non in regione montana tribus Judae, sed tribus Benjamin sita, semper suo nomine in s. Scriptura solet assignari. Si porro hic significaretur Jerusalem, dicendum foret, Josephum visitationi beatissimae Virginis interfuisse aut saltem domum Elisabethae intrasse. Erat enim Paschatis festum, cui Joseph interesse debebat, vicinum, ut proinde fuisset Mariam comitatus.

Quidam et inter hos praesertim Baronius,[7]) Toletus,[8]) Maldonatus,[9]) Natalis Alexander,[9]) Calmetus,[9]) Cornelius a Lapide,[9]) Benedictus XIV.,[10]) Biluart,[11]) „civitatem Judae“ fuisse putant Hebron. Ex s. Scriptura constat,

---

1) L. c. p. I, diss. XII. 2) In I, serm. s. Joseph. 3) In Luc. lib. I, cp. 7. 4) De Deipara lib. IV, cp. 3. 5) Concord. Evang. cp. 4. 6) Luc. I, 23. 7) In apparatu num. 77 et 78. 8) Annot. 116. 9) A. h. l. 10) De festis B. Virginis cp. V, n. 4. 11) L. c. diss. II, a. 5.

Cariatharbe i. e. Hebron seu Chebron in regione montana Juda sitam et sacerdotibus Aaronis filiis ad habitandum designatam fuisse. Legitur enim in libro Josue[1]): „De tribubus filiorum Juda et Simeon dedit Josue civitates... Cariatharbe patris Enac, quae vocatur Hebron in monte Juda, et suburbana ejus per circuitum.“

Civitas haec multis nominibus erat insignis. „Hebron indigenae, inquit Josephus,[2]) ferunt, non ejus terrae modo civitatibus, verum etiam Aegypti Memphi antiquiorem: denique duo millia et trecenti ejus connumerentur anni.“ „Inde consurgens, scribit s. Hieronymus,[3]) ascendit Chebron, haec est Cariatharbe i. e. oppidum virorum quatuor.“ Ibi enim Abraham, Isaac et Jacob, sicuti Adam, humani generis princeps, conditi sunt.[4]) „Est quercus Mambre juxta Chebron, inquit Baronius,[5]) in qua usque ad aetatem infantiae d. Hieronymi et Constantii regis imperium terebinthus monstratur pervetus et annos magnitudine indicans, sub qua habitavit Abraham.“ Erat ergo civitas Hebron notissima ideoque s. Lucas eam antonomastice appellat „civitatem Juda.“

1. Attamen et haec opinio haud multum placet. Pertinebat quidem Hebron ad numerum urbium tribus Judae sacerdotibus ad habitandum designatarum, sed minime erat sola et unica urbs sacerdotalis. Tribus Juda alias adhuc numerabat, nempe Jether, Esthemo, Holon, Dabir, Ain, Jeta, Bethsames. Quare ergo urbs Abrahami prae omnibus aliis civitatibus sacerdotalibus civitas illa, cujus Evangelista mentionem fecerit, nominatur? Si celebritatis argumentum urgetur, sententia Bethleemiticae civitati favens sine ulla dubitatione plus omnibus aliis valet sententiis. Quomodo porro sacerdotes, praesertim

---

[1]) Josue XXI, 9. 11. [2]) De bello Judaico lib. V, cp. 7. [3]) In epitaphio Paulae cp. 27. [4]) Gen. XXXV, 27. [5]) Apparatus ad Annales eccl. tom. I, pag. 44.

tempore Zachariae, in urbibus sacerdotalibus commorari obligatos fuisse probabitur? Urbs Jerosolyma certissime urbs sacerdotalis non fuit, sed urbs regia; nihilominus plurimi ibi vixerunt sacerdotes, ut luce clarius patet ex secundo Esdrae libro. [1]) Imo licebat sacerdotibus, quaecunque vellent, oppida incolere, quod non obscure his libri Paralipomenon[2]) verbis innuitur: „Sacerdotes autem et levitae, qui erant in universo Israel, venerunt ad eum (Roboam) de cunctis sedibus suis relinquentes suburbana et possessiones suas et transeuntes ad Judam et Jerusalem . . . . et roboraverunt regnum Juda et confirmaverunt Roboam, filium Salomonis, per tres annos.“ Sic v. g. Heli habitabat in Siloe ibique mortuus est; Elcana et Samuel incolebant Ramathaim-Sophim. Arca foederis in domo levitae Abinadab in Cariathiarim posita est; filius ejus Eleazar, qui eam custodiebat, erat sacerdos. Mathatias habitabat in Modin, Simon Machabaeus in Gaza etc. Quid ergo nos cogere potest, ut Zachariae incolatum ad sacerdotalem restringamus civitatem?

2. Nulla nec Zachariae nec Elisabethae nec s. Joannis memoria in civitate Hebron extat. Consuevisse vero Christianos in locis, qui redemptionis nostrae mysteriis celebres sunt, aut sacram erigere aedem aut saltem mysteriorum memoriam cum veneratione conservare, probatione vix indiget. Animadvertit quidem Trombellius:[3]) „Quum loca Hierosolymae proxima Vespasiano primum, tum Hadriano imperantibus eversa sint et prorsus diruta, alioque translati veteres incolae, facile fieri potuit, ut priorum incolarum ideoque Zachariae et Elisabethae memoria deperdita sit, minime sollicitis ea de re novis incolis romanis, ut puto, aut certe graecis vetustae superstitioni addictissimis. Fortassis etiam ideo horum sanctorum memoria periit, quod Hierosolymis aut alia in urbe non nihil ab Hebron remota obierint.“ Haec ille.

[1]) Cp. XI. [2]) 2. Paralip. XI, 13 sqq. [3]) L. c. p. II, diss. XII.

At Muhamedis asseclae hodie Hebron civitatem habitantes Zachariam, quem nominant prophetam, ejusque filium, s. Joannem, magno honore semper afficere solebant. Si ergo hac in civitate s. Domini nostri Praecursor re vera natus fuisset, apud Muhamedanos absque ulla dubitatione hujus facti memoriam invenissemus, sicuti memoria Abrahami, qui ibi habitavit, nobis occurrit.

Sed omnes opiniones allegatae si refelluntur, ubinam locus nativitatis s. Joannis assignabitur? Traditio pervetusta indicat civitatem Aïn-Kârim, olim probabilissime Kerem nominatam, cujus mentionem facit liber Josue.[1]) Civitas Aïn-Kârim sita est in monte aliis montibus editioribus circumdato. Hîc secundum traditionem Christiani priorum saeculorum super locum domus Zachariae et Elisabeth pulcherrimam aedificarunt ecclesiam, postea a Persis sub Chosroa rege destructam. Reaedificatam deinde Daniel, russicae nationis abbas, anno 1113 visitavit et in sua itineris descriptione nativitatis s. Joannis locum accuratissime assignat verbis infra citatis.[2])

---

[1]) Cfr. Vers. 70 XV, 60. [2]) „De ce couvent (couvent de s. Croix), inquit, jusqu' à la maison de Zacharie on compte quatre verstes (circa 4½ kilom.). Cet endroit est situé au pied d'une montagne à l'occident de Jérusalem. Une église occupe maintenant ce lieu; on voit, en y entrant à main gauche une petite caverne; c'est là que naquit st. Jean, le Précurseur. Tout cet endroit est environné de murailles. A la distance d'une demi verste de ce lieu on arrive à travers des gorges de rochers, à la montagne, vers laquelle accourut Elisabeth avec l'enfant Jean en s'écriant: „Reçois, o montagne, la mère et l'enfant." Obéissant à cette voix, la montagne l'accueillit et les soldats d'Hérode, qui les poursuivaient, arrivant jusqu' à ce lieu et n'y voyant personne, s'en retournèrent confondus. On voit un enfoncement dans ce rocher jusqu' à présent, et une petite église est adossée au rocher. Au dessous de l'église est une petite caverne, d'où s'écoule une source abondante d'eau vive qui abreuvait jadis Elisabeth et son enfant protégés tous deux sous l'abri de cette montagne par un saint ange. Ils y restèrent jusqu' à mort d'Hérode. C'est une haute montagne recouverte d'une forêt et environnée de ravins. Ce lieu porte le nom d'Orinia." Pèlerinage par Daniel

In regione illa plura hodieque inveniuntur vestigia, quae juxta traditionem s. Joannis Baptistae parentibus, s. Joanne ipso et speciatim beatissima Virgine sacrata fuerunt. Fons v. g. prope Aïn-Kârim existens appellatur fons beatissimae Virginis, ubi b. Virgo tempore, quo apud Elisabetham morabatur, aquam hausisse tradatur. Arabes prope hunc fontem, quem permagni faciunt, saepissime preces recitant. Aliquot minuta a fonte distat sanctuarium Visitationis, ubi b. Virginem visitasse dicunt s. Elisabetham. Indicantur eadem regione rupis, nomen s. Joannis portans, ubi s. Praecursor instantem Messiae adventum annuntiarit; locus sepulcri s. Elisabethae, sicuti antrum, quo Prophetarum maximus ad praedicandum sese praeparavit.

Jam vero quum in oriente melius ac tutius conserventur traditiones, quam in occidente, quumque traditio octo fere saeculorum non interrupta Aïn-Kârim civitatem illam Judae, cujus mentionem s. Lucas in Evangelio suo fecit, significet nec altera parte quidquam nos cogat, ut ad urbem sacerdotalem Zachariae et Elisabethae incolatum coarctemus, hinc praeferimus sententiam, quae in Aïn-Kârim s. Joannis parentes tempore Visitationis b. Virginis moratos asserit.

---

l'Igoumène russe par A. du Noroff. Cum relatione a Daniele facta alia consentit relatio contenta libro anno 1187 composito, cui titulus: „Citez de Jhérusalem.“ „De s. Croix 11 lieux est s. Jehan de bois, la où Nostre-Dame salua Elisabeth et fu s. Jean nez.“ „A partir de cette époque, scribit frater Levinus, qui jam plurimos annos Hierosolymis vivens ac s. loca quotannis perlustrans optime cognoscit traditiones, tous ceux qui ont écrit sur les s. Lieux, ont placé le lieu de la naissance de s. Jean-Bapt. à Aîn-Kârim. Je pourrais citer plus de deux cents auteurs tous unanimes sur ce point.“ Guide-Indicateur des sanctuaires de la terre sainte par Lievin de Hamme O. S. F. tom. II, pag. 23 II. édit.

SECTIO II.

DE S. DEIPARÆ MATERNITATE CONJUNCTA CUM VIRGINITATE.

„Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore,
Nec primam similem visa est, nec habere sequentem."
Sedulius Carm. Pasch. lib. II.

Haud immerito s. Deipara ab Ecclesia in litaniis vocatur „Virgo singularis." Singularis enim apparet in Conceptione; nam „in primo instanti conceptionis suae singulari Omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris generis humani ab omni originalis culpae labe fuit praeservata immunis."[1]) Singularis in Nativitate, in qua „gaudium annuntiavit universo mundo." Singularis in toto vitae cursu; nunquam enim a flagrantissimo Dei amore cessavit. Singularis in Morte; nam expiravit potius amoris divini violentia, quam naturae defectu. At mirabiliori modo singularem sese exhibet virginem in Annuntiationis mysterio, quum Virgo facta sit etiam mater. Tunc non solum singularis, sed ipsa fuit singularitas.

Prorsus enim singulari omnibusque saeculis permirando prodigio gloriam virginitatis conjunxit cum maternitatis honore, quo nihil sublimius nihilque s. Deiparae gloriosius cogitari potest. Gloriosissimum ei, quod virgo fuerit, virginum omnium primiceria, signifera ac regina; gloriosissimum, quod fuerit Christi, Filii Dei unigeniti, mater, quod eundem cum aeterno Patre habuerit filium, quod illa sola cum Deo Patre potuerit dicere filio Dei: „Filius meus es tu,"[2]) quodque Filius alloqui eam

---

[1]) Ita in bulla „Ineffabilis." [2]) Ps. II, 7.

valuerit: „Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me.“ [1]) Sed multo et incomparabiliter gloriosius illi erat, quod duo haec pretiosissima privilegia, maternitatem scilicet et virginitatem, privilegia tantopere dissita seseque invicem, ut videtur, excludentia, in semet ipsa copulaverit.

Sicuti in Christo, filio suo dilectissimo, humanitas et divinitas sese obviaverunt, ita in illa virginitas et maternitas sese osculatae sunt. [2]) In aliis feminis, quamdiu virgo aliqua est, mater non est; quum autem mater facta fuerit, virginitatem amisit. Sed in Maria miraculose factum est, ut virginitas partum non prohibuerit nec partus virginitatem solverit.

„O miraculum ingens, scribit ideo s. Gregorius Nyssenus, [3]) Virgo Mater fit et Virgo permanet, vides opus novum naturae. In aliis feminis, quamdiu virgo aliqua est, mater non est; postea, quum mater facta fuerit, virginitatem non habet: hic vero duo illa nomina simul concurrerunt; eadem enim et Mater et Virgo est.“ „Uti Christus potuit dicere, animadvertit Salmeron: [4]) Sum, quod eram (i. e. Deus), nec eram, quod sum (i. e. homo), modo dicas utrumque (nempe Deus et homo): ita potest Maria de se dicere: Sum, quod eram (i. e. Virgo) nec eram, quod sum (i. e. mater), modo dicas utrumque (nempe mater et Virgo).“

In tanti miraculi admirationem raptus Origenes exclamat: [5]) „Quis unquam ista audivit? quis vidit talia et

---

[1]) Job. X, 11. [2]) „Zwei Ideen, inquit Hettinger l. c. pag. 516, mit dem Christenthum in die Welt getreten und in ihm lebendig, sind in Maria verkörpert, die Idee des Gottmenschen und der Mutter Jungfrau; jene die größte, erhabenste, gewaltigste, diese die zarteste, sinnigste, tief menschliche, wenngleich nicht minder geheimnißvolle, die Liebe der Mutter mit der Reinheit der Jungfrau in wunderbarem Bunde. Sie haben alle unreinen Culte der Mythe gestürzt und eben darum das Weib aus dem Staube erhoben.“ [3]) In Orat. de Christi nativitate. [4]) Tract. in evangel. hist. tom. III, tract. V. [5]) Hom. 39 de diversis.

quis cogitare potuit, ut mater Virgo esset et intacta generaret, quae et Virgo permansit et genuit? Sicut enim quondam rubus comburi videbatur et ignis eum non tangebat; et sicut tres pueri in camino ignis inclusi habebantur, et tamen eos non laedebat incendium, nec odor fumi erat in eis: vel quemadmodum Danieli intra lacum leonum incluso, claustris non apertis, allatum est prandium ab Habacuch: ita et haec Virgo sancta genuit Deum, sed intacta permansit." De hac intima virginitatis cum maternitate conjunctione disserens d. Augustinus dicit:[1] „Hic si ratio quaeritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare, demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse, in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis."

Inter alia miracula, quae divinam virtutem nobis illustrant orbique comprobant, nullum augustius, nullum praeclarius ac celebrius celebratur, quam mortuorum ad vitam resuscitatio. Sed audiamus s. Ambrosium de veritate nostra argumentantem. „Virginem parturire, profitetur,[2]) majus est miraculum, quam mortuum reviviscere. Hoc enim aliquoties, quemadmodum Elia, Eliseo et Paulo precantibus, illud vero semel in orbe factum est dumtaxat, nec in posterum fiet." Cui plenissime assentit Theophylactus scribens: „Majus miraculum est, Christum ex Virgine nasci, quam a mortuis resurgere."

Nullus copiosius et luculentius hoc de argumento disputasse nullusque virginitatem cum maternitate in s. Deipara conjunctam magis strenue vindicasse videtur Doctore Mellifluo. „A saeculo non est auditum, inquit,[3]) ut aliqua simul mater esset et virgo. Quod si et cujus mater attendas, quo te tua super ejus mirabili celsitudine ducet admiratio? Nonne ad hoc, ut te videas non satis posse

---

[1]) Epist. 3 ad Volusianum. [2]) De institut. Virg. cp. 5. [3]) Hom. 1 super Missus.

mirari? Nonne tuo, imo veritatis judicio, illa, quae Deum habuit filium, super omnes etiam choros exaltabitur Angelorum? Annon Deum et Dominum Angelorum Maria suum audacter appellat filium dicens: „Fili, quid fecisti nobis sic?“ Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, et hoc pro magno habent, quod quum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sunt et vocati Angeli teste David: „Qui facit Angelos suos spiritus.“ Maria vero matrem se agnoscens majestatem illam, cui illi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium, nec dedignatur nuncupari Deus, quod esse dignatus est.“ „Nunquam, inquit idem s. Doctor,[1]) nunquam juxta rerum ordinem virginitas, ubi fecunditas praedicatur nec fecunditas, ubi virginitas integre conservatur. Quomodo igitur potuit hoc persuaderi generi humano, universo orbi terrarum, in Maria Virgine semel factum esse, quod factum non fuerat, nec fiet in aeternum, ut virginitas et fecunditas in illa obviaverint sibi?“ „Unum est, scribit admirabunde Mellifluus,[2]) in quo nec primam similem visa est nec habere secundam, gaudia matris habens cum Virginitatis honore. „Optimam partem elegit sibi Maria“[3]): optimam plane, quia bona fecunditas conjugalis, melior autem castitas virginalis, prorsus autem optima est fecunditas virginea seu fecunda virginitas. Mariae privilegium est, non dabitur alteri, quod non auferetur ab ea singulare est: sed continuo etiam indicibile invenitur, ut nemo assequi possit, sic nec eloqui quidem.“

At quid plura? Aenigma inextricabile videri potest testante ven. Canisio,[4]) talem reperiri creaturam, de alterius osse genitam, quae vicissim de sua carne Authorem Patremque suum generet, non ab alio, quam quem peperit, foecundata, et quae eidem simul et

[1]) In Vigilia Nativ. Domini serm. 3. [2]) In Assumpt. Virginis serm. 4. [3]) Luc. X, 42. [4]) De Virgine lib. 2 cp. 1.

filia et sponsa et mater existat. Dicamus ergo cum Pio II:

„Partus et integritas discordes tempore longo,
Virginis in gremio foedera pacis habet.“

Restat, ut s. Deiparae Virginitate ante partum, in partu et post partum probata, illius Maternitatem consideremus et ad quaestiones nonnullas huc spectantes respondeamus: nempe

1. Utrum b. Virgo re vera sit Dei mater.
2. Quidnam de Maternitatis dignitate credendum.
3. Utrum b. Virgo hanc Maternitatis dignitatem meruerit. Hinc disserendum est

Cap. I.

DE MATERNITATIS MARIANÆ REALITATE.

Insurrexere permulti contra hoc dogma haeretici, quorum alii Maternitatis dignitatem indirecte impugnabant aggredientes Christi Domini vel divinitatem vel humanitatem; alii vero hanc dignitatem directe insectabantur vel eo, quod corpus Christi non ex b. Maria formatum, sed e coelo delapsum et per b. Virginem quasi per canalem transmissum fuisse docuerint vel eo, quod, uti Nestorius ejusque asseclae, unionem hypostaticam inter duas in Christo naturas existentem negarint, unionem tantum admittendo moralem. Duas in Christo personas isti haeretice docentes: divinam unam, humanam alteram, consequenter solam personam humanam a b. Maria progenitam esse dixerunt ideoque s. Deiparae denegarunt titulum „θεοτοκος,“ quae non sit, nisi „χριστοτοκος.“

Beatissimam Virginem vere „θεοτοκον“ i. e. Deiparam esse, probatur

1. ex s. Scriptura:

Maternitatis dignitatem Angelus Gabriel b. Virgini

annuntiavit dicens: „Ecce concipies in utero et paries Filium et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.“ [1]) Quod Angelus annuntiaverat et Isaias propheta jam dudum multa ante saecula luculentissime praedixerat, tempore suo impletum esse Evangelium refert. „Factum est autem, scribit s. Lucas,[2]) quum essent ibi (Joseph et Maria in Bethlehem), impleti sunt dies, ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum.“ Quare etiam b. Virginis cognata Elisabeth quum Spiritu s. repleta hoc cognovisset mysterium: „Unde hoc mihi, exclamavit,[3]) ut veniat Mater Domini mei ad me?“

Apostolus porro de Filio Dei dicit: „Qui factus est ei ex semine David secundum carnem“[4]) et „misit Deus Filium suum factum (plures codices graeci habent „genitum“) ex muliere.“[5]) Unde argumentamur: Ea, quae est mater Filii Dei et Domini nostri, re vera est Mater Dei; atqui in locis praecitatis videmus b. Virginem matrem „Filii Dei, Domini nostri“ appellari, videmus Emmanuelem i. e. nobiscum Deum et filium Dei ex Maria Virgine conceptum dici et natum. Competit ergo b. Virgini nomen „matris Dei, Deiparae, θεοτοκος.“ Terminus enim generationis, quum non sit humanitas, sed homo (male enim dicitur: Petrus genuit humanitatem aut humanam naturam, sed bene: Petrus genuit hominem), ideo b. Virgo, quae genuit hominem, qui est Deus, eo quod ipsius humanitas subsistentia subsistat divina, et Deum genuisse censetur.

2. Traditio veritatem hanc nullatenus in dubio relinquit. Symbola fidei (Symb. Apostolorum, Nicae-

---

[1]) Luc. I, 31 sq. [2]) Luc. II, 6 sq. [3]) Luc. I, 43. [4]) Rom. I, 3. [5]) Gal. IV, 4; cfr. Luc. II, 34, 48; Matth. II, 11; Joa. II, 1; XIX, 25, 26.

num, Athanasianum) Jesum Christum Filium Dei unicum, Dominum nostrum, Deum verum, consubstantialem Patri, ex Virgine incarnatum et natum esse docent. In Concilio Ephesino beatissima Virgo Deipara seu ϑεοτοκος conclamatur errorque contrarius ad totius mundi catholici gaudium vivacissimum damnatur. Eandem veritatem definit Synodus generalis quinta[1]) hocce anathemate feriens adversarios: „Si quis abusive, declarat, et non vere Dei genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam; vel secundum relationem quasi homine puro nato, sed non Deo verbo incarnato et nato ex ipsa .... et calumniatur sanctam Chalcedonensem Synodum, tamquam secundum istum impium intellectum, quem Theodoretus execrandus adinvenit, Dei genitricem Virginem dicentem, vel qui hominis Genitricem vocat, anathema sit."

Non defuerunt quidem, qui nomen „Dei Genitricis," beatissimae Virgini tributum, nomen novum fuisse asseruerint aut a s. Cyrillo patribusque Ephesinis invectum. Hanc vero assertionem falsissimam esse, ex eo elucet, quod testantibus Petavio[2]) et Natali Alexandro[3]) jam ante Concilium Ephesinum b. Virginem hoc nomine gloriosissimo constanter decorarint Origenes,[4]) Dionysius Alexandrinus,[5]) Athanasius,[6]) Basilius,[7]) Gregorius Naziansenus,[8]) Amphilochius,[9]) Proclus[10]) aliique plures. Referemus aliqua tantum testimonia:

„Quomodo ais tu, alloquitur Paulum Samosatenum Dionysius, hominem esse eximium Christum, et non revera Deum, et ab omni creatura cum Patre et Spiritu sancto adoratum, incarnatum ex s. Virgine et „Deipara" Maria?" Contra Arianos, infensissimos Christi Domini insectatores, ita argumentatur d. Athanasius: „Hunc

---

[1]) Can. VI. [2]) De Incarn. lib. V, cp. 15. [3]) Hist. eccl. saec. V, diss. 23 ad 2. [4]) In epist. ad Rom, ut Socrates refert lib. VII, cp. 32. [5]) In epistol. ad Paulum Samosatenum. [6]) Orat. 3 contra Arianos. [7]) De humana Christi generatione hom. XXV. [8]) Orat. XXXV, LI. [9]) Orat. IV. [10]) Orat. I.

scopum et characterem sanctae Scripturae esse, nempe ut duo de Salvatore demonstret: illum scilicet Deum semper fuisse et filium esse . . . ipsumque postea propter nos carne ex virgine „Deipara“ Maria assumpta hominem factum esse.“ „Si quis, inquit s. Gregorius Naziansenus, s. Mariam „Deiparam“ non credit, extra divinitatem est.“ „Ac ne illud quidem perspicere potes, inquit idem Doctor,[1]) cujus diversa sit carnalis (eccubi enim alias apud homines „Deiparam“ Virginem nosti?) hujus diversam quoque, atque ab aliis discrepantem esse spiritualem generationem.“ Similiter nominat b. Virginem Dei Genitricem in epistola ad Cledonium: „Etiam ab divinitate separat eos, qui „Dei Genitricem“ Mariam esse non existimant.“

Ex saeculo quinto notamus d. Augustinum ita disserentem: „Nullus, ait,[2]) vobis corrumpat hanc fidem . . . Si enim falsa mater, falsa caro, falsa mors, falsa vulnera passionis.“ S. Cyrillus Alexandrinus[3]) nostram veritatem hisce definit verbis: „Si quis non confitetur, Emmanuelem verum Deum esse, et ob id sanctam Virginem Deiparam; genuit enim illa incarnatum Dei verbum secundum carnem, a s.“ Joannes Antiochenus, alias Nestorii amicus, nomen „θεοτοκος“ a nemine doctorum ecclesiasticorum repudiatum, plurimos ac celeberrimos eo usos esse profitetur. „Nomen hoc „θεοτοκος“, inquit,[4]) nullus unquam ecclesiasticorum doctorum repudiavit. Qui enim illo usi sunt, et multi reperiuntur, et apprime celebres: qui vero illud non usurparunt, nunquam erroris alicujus eos insimularunt, qui illo usi sunt . . . . Etenim si id, quod nominis significatione offertur, non recipimus, restat, ut in gravissimum errorem prolabamur, imo vero ut inexplicabilem illam Unigeniti Filii Dei oeconomiam abnegemus.“

---

1) Orat. XXXV. 2) In Joa. cp. III. 3) In primo Anathematismo. 4) In epist. ad Nestorium.

Quare etiam Theodoretus, qui antea Nestorii errori diu faverat, non potest, quin publice confiteatur,[1] „antiquissimos fidei catholicae praecones ex Apostolica traditione docuisse, matrem Domini Dei Genitricem et nominandam et credendam esse.“ Audiamus ex saeculo sexto Facundum Hermianensem permirabilem hanc veritatem ita explicantem: „Si blasphemum et absurdum est, inquit,[2] quod beata Maria vere et proprie dicitur Mater Dei, sine ulla disceptatione blasphemum et absurdum est, quod Deus Verbum vere et proprie dicitur Filius hominis.“

Nimis dura forse videntur, quae d. Hilarius hoc de dogmate scripsit. „Non ex se, ait,[3] corpori Maria originem dedit.“ At immerito hisce ex verbis deducebat Erasmus, Christum juxta Hilarium non accepisse carnem a b. Virgine; nihil enim aliud s. Doctor significare intendit, nisi Christi corpus naturali et usitato modo non fuisse conceptum et genitum.[4] Probatur

3. rationibus theologicis.

a. Ea vere et proprie est Deipara, quae genuit et peperit eum, qui in ipso ortu suo vere et proprie fuit Deus, quae Deum verum et proprie dictum genuit, quae dedit corpus Filio Dei; atqui ex Conciliis et ss. Patribus ipsa s. Scriptura consentiente ita res se habet respectu beatissimae Virginis.

b. Mulier ex eo dicitur alicujus mater, quod eum conceperit et genuerit. Atqui b. Virgo verum Deum concepit et genuit; quod non solum constat ex regula circa communicationem idiomatum, sed etiam ex s. Scriptura dicente: „Quod ex te nascetur, vocabitur Filius Dei.“

Ut mulier aliqua sit vere mater, non requiritur, ut

---

[1]) In lib. haereticarum fabularum lib. IV, cp. 12. [2]) In lib. I, cp. 4. [3]) De Trinitate lib. 10. [4]) Cfr. Petav. de Incarn. lib. V, cp. 19 n. 5.

producat animam; mulier enim non producit animam nec consequenter existentiam et subsistentiam ab ipsa anima fluentes, sed sufficit, ut concursus passivus ipsius et materia ab ipsa exhibita per subsistentiam animae rationalis subsistant. At concursus passivus b. Virginis et materia, quam ipsa ad humanitatis Christi formationem exhibuit, per subsistentiam et existentiam Verbi divini terminata sunt. Est enim de fide, Verbum assumpsisse corpus et animam cum facultatibus i. e. terminasse totam naturam humanam ex anima rationali et corpore constantem. De fide igitur est, b. Virginem esse Matrem Dei, et hoc credere est vita aeterna: quia, ut inquit Ephesinum, est credere Christum Deum. Qui ergo b. Virginem Deiparam esse negat, consequenter et Christum esse Deum negabit.

Lucidissime hoc de argumento disserit d. Cyrillus:[1]) „Etsi mulieres istae non nisi terrenorum sint corporum matres; nihilominus quum totum animal pepererint, ex anima et corpore compositum, non solam ejus partem peperisse dicuntur. Nec aliquis dixerit exempli causa, Elisabetham, matrem Joannis, carnis esse genitricem, non autem animae. Peperit enim animatum Baptistam; ac si tamquam unum aliquid ex duobus, hominem, anima videlicet ac corpore. Hujusmodi quippiam actum esse fatebimur et in Emmanuelis generatione. Quippe natum est, ut dixi, ex Dei Patris substantia unigenitum ipsius Verbum. Quum autem carnem suscepit eamque propriam sibi fecit, ut filius hominis esset ac similis nostri fieret; tunc minime est absurdum dictu, imo necessario profitendum, illum ex muliere secundum carnem esse genitum; quemadmodum et hominis anima una cum proprio corpore gignitur et unum cum eo reputatur, tametsi natura intelligatur et sit ab eo diversa secundum propriam rationem.“ Ita Cyrillus.

---

[1]) In epistola ad Monachos.

Jam dudum ante eum s. Ignatius dogmatis hujus adversariis responderat,[1]) quod neque ulla mater generet humanitatem; si quidem hominis anima a Deo creatur et de foris advenit corporique infunditur; nihilominus hominum matres vocantur. Plane ergo errant, qui b. Virginem Christi matrem admittentes, Dei tamen genitricem negare audent. Christus enim non in duos dividendus est filios, sed unus idemque est filius Dei et filius hominis. Si ergo b. Virgo genuit filium hominis, uti fatentur Nestoriani, tunc genuit etiam filium Dei.

Ita docuerunt inter alios s. Joannes Damascenus,[2]) s. Augustinus,[3]) s. Thomas,[4]) quos sequuntur Salmeron,[5]) ven. Canisius,[6]) Suarez.[7]) Hanc veritatem tanti fecerunt patres Synodi Ephesinae, ut eam in can. 1. non solum de fide catholica tenendam esse definierint — „si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei Genitricem sanctam Virginem, anathema sit," — sed ut etiam angelicae salutationi verba subjunxerint: „Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis."

Nestorius ejusque asseclae hoc dogma odio insectabantur infensissimo multasque contra illud excogitabant difficultates, quarum potiores penitius inspiciamus et solvamus necesse erit.

a. Quae divinitatem non genuit, inquiunt, non est Mater Dei; sed b. Virgo divinitatem non genuit!

Respondemus distinguendo majorem: Quae divinitatem non genuit neque secundum se neque ut incarnatam, non est Mater Dei, — conc.; quae genuit reduplicative ut incarnatam — neg. Minore eodem modo distincta negatur consequens. B. Virgo genuit Verbum reduplicative, ut incarnatum; sed inde non sequitur, ipsam esse deam, quia non genuit Verbum secundum se. „Nascitur,

---

[1]) Epist. 8 ad Philipp. [2]) De orthodoxa fide lib. IV. [3]) Sup. Joa. cp. II. [4]) III p. q. XXXV, a. 4. [5]) L. c. tract. 29. [6]) Lib. de Virgine III, cp. 22. [7]) II, in III, q. XXVII, a. I, disp. I.

inquit s. Cyrillus,[1]) unigenitus Dei Filius, qui et λογος, sermo vel ratio dicitur. Non quod verbum initium existendi ex partu ceperit; sed quod ejus, quod homo, initium ex illo eodem habuerit partu."

b. Ex una substantia non possunt duae substantiae diversae generari; sed Deus et homo sunt duae substantiae diversae et Christus est utrumque. Ergo homo et Deus etiam ut incarnatus non potest esse a b. Virgine!

Duae substantiae diversae non possunt esse ab eodem vel ab eadem, si separatim generentur, conc.; eadem enim mulier non potest esse Mater hominis et Angeli. Si simul generantur, subdisting: si utraque natura generetur simpliciter, conc.; si una ingenita manens in se solum generetur ratione alterius, cui unitur, neg. Natura divina est ingenita; hinc Deus in tempore nascitur et generatur solum ratione naturae humanae assumptae. Sic distincta minore negatur consequens. Audiamus, quomodo Ferrandus Diaconus respondeat. „Proprie est nata de Patre divinitas pura, inquit,[2]) proprie est nata de matre eadem incarnata divinitas. Et hoc distat inter unius Filii Dei duas generationes, quod in divina generatione nulla fuit humanitas, in humana generatione adunata fuit humanitati proprie nascenti divinitas. Si enim dixero vel dicere voluero, Maria semper Virgo proprie genuit divinitatem, videbitur sub aliquo modo hominem purum genuisse, quem nullo modo ita genuit, quia Verbum caro factum proprie genuit."

c. Ex hoc sequeretur, reponunt Nestoriani, b. Virginem esse consubstantialem Deo; quod quum sit falsum, idem etiam dicendum de antecedenti!

Negamus cum Boucat l. c. sequelam. Mater est filio consubstantialis eodem modo, quo generat, conc.; diverso modo, neg. B. Virgo non genuit filium Dei in

---

[1]) In epist. ad Monachos; cfr. Boucat, theologia Patrum tom. V, diss. III. [2]) In epist. ad Anatolium.

aeternitate nec ipsi tribuit naturam divinam, sed solus Pater aeternus; genuit vero illum in tempore dando corpus, quod unitum fuit divinitati Verbi. Unde dicitur Deipara, non quidem Filii Dei ut sic, sed Filii Dei ut incarnati. Ut autem sit consubstantialis Filio, nempe Christo, sufficit ut concursus ejus passivus terminatus fuerit per hypostasim Verbi divini. Quare b. Virgo non dicitur consubstantialis Verbo secundum se sumpto, sed consubstantialis Christo, qui componitur ex anima et corpore unitis cum divinitate.

His similibusque objectionibus aggrediebantur Nestoriani b. Virginis Maternitatem dividendo unicum ejus filium in duos filios, quorum alterum ex Deo Patre, alterum ex Maria genitum asserebant negandoque unionem hypostaticam inter duas Christi naturas existentem. Admissa hypostatica unione admissoque, eam a primo factam esse conceptu, beatissima Virgo, etsi divinitatem non genuerit, eodem jure Mater Dei appellanda est, quo aliae mulieres filiorum suorum matres appellantur, quorum animas non generaverunt. Ita enim appellantur, quia ad corporum conceptum et formationem concurrunt, quibus formatis vi divini decreti animae uniuntur. Refertur ergo conceptio ad unionem animae cum corpore et ad personam filii. Quum b. Virgo operante Spiritu sancto corpus Christi pari modo conceperit, corpus illud vi decreti divini non tantum anima rationali informari, sed et simul cum illa Verbi divini personalitate terminari et subsistere debuit.

Vidimus ergo, beatissimae Virgini dignitatem Maternitatis re vera competere. Inquiramus nunc, quanta sit Maternitatis dignitas.

Cap. II.

DE DIGNITATE MATRIS DEI.

Dignitas haec sub duplici respectu considerari potest: physice nempe et moraliter. Physice i. e. quatenus physicas formavit relationes Christum inter et Mariam. Maria enim, ut in capite praecedenti demonstravimus, qua vera Deipara ex propria sua substantia ad formandum Dei corpus concurrit et aliqua substantia corporis virginei, ex qua corpus Dei constitutum fuerat, etiam nunc Verbo Dei hypostatice unita perseverat.[1] Moraliter, quatenus Maternitas b. Virginem propter suam intimam cum Deo conjunctionem in excellenti dignitatis gradu constituit. Haec dignitas moralis, quae relationes istas physicas Christum inter et Mariam existentes necessario praesupponit, iterum in duplici sensu exponi potest: scilicet absolute i. e. absque comparatione ad alias dignitates et relative i. e. relate ad alias dignitates.

§. 1.

Dignitas Matris Mariae absolute sumpta.

Qua talis est

1. perfectissima cum tribus ss. Trinitatis personis **affinitas.** Bulla „Ineffabilis" relationem hanc ita exprimit: „Cui (Mariae) Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tanquam se ipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius; et quam ipse Filius substantialiter facere sibi

---

[1]) Cfr. Perrone de resurrect.; Rhodes dignit. Matr. Dei sect. II, §. 2; Tract. theolog. de B. V. M. auctore Societatis Mariae praesbytero. (Lugduni pag. 31)

Matrem elegit; et de qua Spiritus sanctus voluit et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit."

a. Perfectissima affinitas cum persona Patris. „Quis sapiens, interrogat Haine,[1]) negabit intimam unionem inveniri Mariam inter et Patrem aeternum, ubi unicus Filius Patris factus sit unicus Filius Mariae, et quem Pater genuit ab aeterno, Maria genuerit in tempore, alio quidem modo, sed tamen eundem Filium Dei." Deus Pater generat Filium totaliter ex sua substantia sine Matre, item beatissima Virgo totum Filium generat sola sine Patre; Deus Pater est et permanet virgo, gloriosissima Virgo matris gaudia conjunxit cum illaesae virginitatis honore. Ubinam ergo invenitur unio mirabilior, perfectior ac nobilior quam ea, quae inter Deum Patrem et b. Virginem intercessit? Unio haec unione hypostatica excepta omnium unionum sublimissima, quia vinculum unionis, nempe Christus Dominus noster, sublimissimum fuit et nobilissimum.

„Hic se suberigat, inquit Eadmerus,[2]) d. Anselmi discipulus, intimam b. Virginis cum Patre aeterno similitudinem considerans, intentio mentis humanae, et pro posse paucis intendat, quanti penderit omnipotens Deus merita hujus beatissimae Virginis. Intendat, inquam, et contempletur, videat et admiretur unum Filium sibi consubstantialem, coaeternum, omnipotentem, ex sua natura sine initio Deus Pater genuit, et per eum omnes creaturas visibiles et invisibiles ex nihilo fecit. Hunc igitur sibi tam unicum, quam dilectissimum, et in omnibus omnino aequalem, non passus est remanere solummodo suum, sed eundem ipsum voluit in rei veritate esse b. Mariae unicum et dilectissimum et naturalem filium, nec ita ut duo essent, unus videlicet Filius Dei, alius

---

[1]) De Hyperdulia ejusque fundamento pag. 150. [2]) In lib. de excellentia B. M. V. cp. III; cfr. Haine l. c. pag. 150.

Filius Mariae, sed idem ipse qui Filius Dei, in una persona esset filius Mariae, et qui filius Mariae, unus et idem esset in una persona Filius Dei. Quis haec audiens non obstupescet, et quod Deus tale quid velle potuerit, non ultra omne quod dici potest admirabile ducat?"

Copiosissime hoc de argumento disputat s. Bernardinus Senensis. „Sane privilegium hoc (nempe maternitatis), scribit,[1]) isti soli personae ita concessum est, quod sicut impossibile est personae Filii vel personae Spiritus sancti, generare Deum, pro eo, quod in eis non est natura cum primitate fecunditatis nec intellectus, cum actu dicitur aliquod verbum, sive cum fecunditate et potentia ad producendum imaginem, sicut in Patre est. Unde sicut impossibile est Patri producere aliud Verbum pro eo, quod hoc Verbum genitum sit perfectissimum et totam potentiam generandi exhausit in Patre: ita impossibile est, mulierem aliam posse parere Deum, nisi per novam potentiam alicui collatam a Deo: quod certum est, nunquam futurum esse. Potentia enim concipiendi et pariendi Deum, quae naturae humanae copulata fuit, secundum quod dicimus Christum fuisse in lumbis patrum, secundum corpulentam substantiam descendit ab Adam usque ad Virginem. Et fuit impossibile ad actum in aliquam mulierem deduci, nisi in Mariam virginem, quae potentia ita per nativitatem Christi exhausta est de natura humana, quod quicunque diceret aliquam personam divinam esse humanandam in aliquo secundum corpulentam substantiam, esset ut impiissimus haereticus puniendus."

Propter hanc cum Patre aeterno conjunctionem quam intimam beatissimae Virgini competit re vera titulus „primogenitae ante omnem creaturam filiae."[2]) Primogenita erat

[1]) De admirabili gratia et gloria B. Virginis Matris Dei ser. 61.
[2]) Eccli XXIV, 5; cfr. Sedlmayr l. c. p. IV, sect. I, a. 1.

α. titulo creationis, non quoad existentiam physicam et temporalem, sed quoad intentionalem in mente et serie decretorum Dei. Quare ad illam referuntur verba:[1]) „Ab initio et ante saecula creata sum.“ B. Virgo est prima etiam praedestinatione. „Antequam Filius de ea natus est, inquit d. Augustinus,[2]) in praedestinatione noverat Matrem, et quemadmodum noverat ipsam ut Matrem suam, ita elegit ipsam in Matrem totius mundi.“ Apparet b. Virgo primogenita Altissimi filia

β. titulo redemptionis. Consuevit enim divina bonitas pro muneribus, ad quae aliquem elegit, redemptionem illius statuere. Hinc s. Joannes, praecursor Domini Nostri electus, peculiari modo redimatur necesse est. Quare praevenit ejus Nativitatem gratiae suae abundantia, originalis culpae exstinctione. At quanam ratione b. Virginis redemptio singularis erit, si illa non est praeservativa? Hanc enim multo nobiliorem esse redemptione liberativa, supra fusius ostendimus. Quare perbelle Trombellius: „Acceleres, inquit,[3]) quantum velis, gratiae occursum, augeas ejusdem gratiae ubertatem ac munera, commune in essentia erit hoc redemptionis genus cum aliis et tum solummodo singulare ac vere solum, si Mariam in ipso vitae suae exordio et criminis expertem dicas et divinis beneficiis liberalissime cumulatam.“ S. Deipara primogenita est

γ. titulo adoptionis per gratiam; gaudebat enim gratia adoptionis majori et perfectiori, quam omnes sancti Angeli et homines simul sumpti idque jam in primo Conceptionis momento. Quare Angelicus testatur:[4]) „In Matre Dei fuit gratia tali dignitati proportionata.“ Et in alio loco: „Nulli creaturae, inquit, hoc concessum est, nec homini nec angelo, ut esset Pater aut Mater Dei, sed hoc fuit privilegium gratiae singularis, ut non solum

---

[1]) Eccli XXIV, 14. [2]) Tract. VIII, in Joa. [3]) Mariae sanctissimae Vita ac gesta cultusque tom. I, p. I, diss. III. [4]) III, p. q. 7 a. 10.

hominis, sed Dei Mater fieret; et ideo dicitur:[1]) „Mulier amicta sole,“ quasi tota repleta divinitate.“ B. Virgo denique aeterni Patris primogenita nominanda est

δ. titulo vocationis ad haereditatem coelestem. Superans enim omnes creaturas in gratia, superet eas oportet etiam in gloria. Dignissimus s. Bernardinus Senensis, quem hac de re audiamus disserentem. „Certitudinaliter tenendum est, inquit,[2]) quod ipsa sit supra omnem puram creaturam in gloria exaltata, tanquam per se implens et complens unum integrum ac totalem statum, cui secundum rectam rationem altera persona congrue non potest addi, quia nullatenus decet Filium Dei, nisi unam solam Matrem naturalem habere; sed ratio naturalis dictat, quod Mater Regis omnium prima sit in sede regia super omnes ministrorum ordines collocata; unde etiam Ecclesia canit: „Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad coelestia regna.“

b. Perfectissima cum persona Filii affinitas.

B. Virgo est re vera Verbi mater et Verbum verus ac unigenitus b. Virginis Filius. Ita declaravit et definivit Ecclesia in Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano II. aliisque conciliis, ita omnes s. Ecclesiae Patres Doctoresque semper docuerunt, ita totius orbis catholici fideles omnibus firmissime crediderunt temporibus. Vinculum ergo Filium inter et b. Virginem existens vinculum naturale est nominandum. B. Virgo re vera est Mater Christi, quum eum conceperit et pepererit, qui in una eademque persona divina homo et Deus est. Caro enim Christi non prius fuit concepta et postmodum animata et a Verbo assumpta, sed in eodem instanti concepta ac animae Verboque unita.

„Merito itaque beata Maria dicitur pariens parientis,

---

[1]) Apoc. XII, 1. [2]) Tom. III, serm. 3 de gloria B. M. V. a. 2 cp. 1.

scribit s. Petrus Damianus,[1]) oriens orientis, fons fontis vivi, origo principii, quia ex ea prodiit per materiam carnis, qui caput est et initium omnium rerum per essentiam deitatis.“ „Perpendite, inquit,[2]) quam debitores simus huic beatissimae Dei genitrici, quantasque illi post Deum de nostra redemptione gratias agere debeamus. Illud siquidem corpus Christi, quod beatissima Virgo genuit, quod in gremio fovit, quod in fasciis cinxit, quod materna cura nutrivit: illud, inquam, absque ulla dubietate, non aliud nunc de sacro altari percipimus, et ejus sanguinem in sacramento nostrae redemptionis haurimus. Hoc catholica fides habet, hoc sancta Ecclesia fideliter docet.“ „Annon, interrogat perpulchre Mellifluus,[3]) Deum et Dominum Angelorum Mariam suum audacter appellat Filium dicens: Fili, quid fecisti nobis sic?“[4]) Quis hoc audeat Angelorum? Utrimque stupor, utrimque miraculum. Et quod Deus feminae obtemperet, humilitas absque exemplo; et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio.“

Optime hac de relatione inter personam Filii ejusque s. Matrem disseruit etiam Piette, theologus Lovaniensis. „Et quidem, quod magna ponderatione dignum est, inquit,[5]) magis fuit Mater Christi, quam sint caeterae matres filiorum suorum, quia illa verba: „De qua natus est Jesus“ significant, illum ex sola matre natum ac proinde illam solam Christo dedisse omnem carnem et substantiam, quam caeteris filiis dant pater et mater conjunctim; filii enim partem substantiae accipiunt a patre et partem a matre, imo plus accipiunt a patre, quam a matre. Pater enim potior est causa generationis filii quam mater. Quare b. Virgo plus dedit Christo, quam filiis suis dant caeterae matres, quum ipsa quoque

---

[1]) In Nativit B. M. V. serm. 46. [2]) In Nativ. B. M. V. serm. 45. [3]) Hom. I, super Missus n. 7. [4]) Luc. II, 48. [5]) Elucidatio difficiliorum Theologiae quaestionum tom. V. Cfr. Haine l. c. pag. 173.

dederit illud, quod dare solet pater. Proinde ipsa magis est mater Christi, quam aliae matres. Ex quo sequitur, quod b. Virgo magis amaverit Christum, quam caeterae matres amant suos filios et vicissim Christus plus amaverit Mariam matrem suam, quam alii filii amant matres suas: tum quia sola eum genuit modo non naturali, sed supernaturali et divino. Amor ergo, qui in caeteris filiis dividitur in patrem et matrem, in Christo fuit unitus totusque ferebatur in matrem; ac vicissim b. Virgo quasi duplicato patris et matris amore diligebat Christum."

In ordine ad Filium b. Virgo gloriatur etiam nomine „Sponsae." Est enim praecipuum membrum Ecclesiae, quam Christus sibi desponsavit, membrum, quod totius Ecclesiae nomine consensum ad desponsationem dedit. Ita testatur expressis verbis magnus Antiquas. „Congruum fuit beatae Virgini, inquit,[1]) annuntiari, quod esset Christum conceptura, ut ostenderetur, esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam, et ideo per Annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanae naturae."

c. Perfectissima cum persona Spiritus sancti affinitas.

B. Virginem Spiritus sancti sponsam fuisse ac Spiritus s. operatione „virginitatis gloria permanente lumen aeternum mundo effudisse, Jesum Christum Dominum nostrum," s. Scriptura apertissime docet attestantibus antiquissimis Ecclesiae symbolis ac conciliis nec non ss. Patribus ac theologis.

Omnes animae justae licet sponsae sint Spiritus sancti, principaliter tamen b. Virgo; quare ab ea specialiter requisitus fuit consensus per Angelum Gabrielem dicentem: „Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi."[2]) Quam digni-

[1]) III, p. q. XXX, a. 1. [2]) Luc. I, 55.

tatem considerans Pseudo-Ildephonsus exclamat:[1] „Tu sanctae Trinitatis nobilissimus et sanctissimus thronus, tu Verbi Patris incarnati speciosus et virgineus thalamus, tu lapis pretiosissimus in corona Imperatoris aeterni, tu summi Patris filia charissima, sancti Spiritus sponsa amantissima, Angelorum et hominum domina et regina.“ Propter intimam cum Spiritu sancto unionem idem author non immerito interpellat b. Virginem hisce verbis:[2] „Ad omne periculum pietas tua subvenit, et potens est subvenire. Et merito quidem, quum sis Mater Dei, regina mundi, coelorum imperatrix, sponsa Spiritus sancti.“

„Ducat ergo nos Mater ad Filium, alloquimur eam cum s. Petro Damiano,[3] filia ad Patrem, sponsa ad sponsum, qui est benedictus in saecula.“

Ex usque modo disputatis cum multis gravibusque theologis[4]) optimo jure deducimus, beatissimam Virginem accidentale totius Trinitatis esse complementum. Dignissimus est Rhodes, qui hac de re audiatur. „Divina attributa, inquit l. c., mirabili quodam modo licet inspicere in Maria. Infinitatem et universalitatem totius esse imitatur Mariae infinita dignitas. Deus, pelagus interminum, complectitur totum esse; omnia flumina gratiarum intrant in Mariam et non redundat Maria. Actus puritatem et simplicitatem imitatur omnimoda Mariae puritas. Sapientiam exprimit, quia liber est ille grandis, in quo Verbum suum i. e. totam doctrinam suam descripsit Deus Pater; imo eam appellat s. Germanus[5]) „summam divinitus inspiratae veritatis.“ Omnipotentiam suam videtur quodammodo in matrem trans-

---

[1]) Libellus de cor. Virginis cp. III, apud Haine l. c. pag. 228. [2]) Lib. de corona Virginis cp. III, cfr. Haine l. c. p. 228. [3]) Serm. XI, de Annunt. B. M. V. [4]) Cfr. Tract. B. M. V. l. c. pag. 39; Contenson, theol. spirit et mert. tom. III, cp. II; Lazerda Maria effigies Trinitatis; Vega theol. Mar. Palaestra XXXI; de Rhodes de Virg. Maria quaest. II, sect. III, §. 3. [5]) Orat. de Nativ. Virginis.

tulisse Deus, quippe Marianum „fiat" potentius fuit, quam alterum illud „fiat," quo creatus primum a Deo est mundus, ut censent unanimiter Patres. Imo, ut ait Richardus a s. Laurentio[1]) „sola detinet iram Dei, ne statim vindicet nos": unde recte docet, eam Mariae omnipotentiam, quia eadem et communis est Matris et Filii potestas, dicitque cum Filio, „data est mihi omnis potestas in coelo et in terra."

Attributa etiam Dei notionalia et divinas processiones mirabiliter in se transcriptas exprimit Maria: Paternitatem, Filiationem, Spirationem activam et passivam. Generat cum Patre, generatur ut Filius, spirat amorem cum Patre et Filio, spiratur cum Spiritu sancto, quia soboles est amoris. Imo aptissime et piissime nonnulli meditantur Mariam modo quodam licet improprio accessisse veluti quartam divinae Trinitatis personam, quae tres alias, quantum creaturae fas est, exprimat et compleat; sed praesertim tertiam Personam, quae intra Deum infoecunda est, sed totam tamen complet foecunditatem, superveniens in Mariam, quam s. Ildephonsus[2]) eximie appellat „extensionem Spiritus sancti."

Effudit videlicet plenissime se ipsum Spiritus in Mariam, et per eam in nos ulterius effunditur, quia Mariae primarium officium est sanctificatio animarum, qui est character Spiritus sancti. Tota ergo Trinitas in Maria splendet, quam merito propterea Esychius dixit „continere totum complementum Trinitatis," totam videlicet Trinitatem

a. realiter, quia Pater et Spiritus sanctus a Verbo non disjunguntur;

b. in imagine, quia eam totam in se ipsa exprimit, quare vocarunt eam plurimi doctores cum Esychio „complementum Trinitatis": verissime illi quidem, licet non ad mentem Esychii.

---

1) De laudibus Mariae lib. II. 2) Serm. de Assumptione.

Ex hisce colliges

α. plus cognosci Deum in Maria et ex Maria, quam ex omnibus aliis creaturis, neque alibi melius veram Mariae cognitionem hauriri posse, quam ex ipso Deo. Cupis videlicet nosse Deum? Mariam lege ut librum, intuere ut speculum, ut imaginem contemplare. Mariam aestimare vis, mirari, adorare? Ad Deum assurge; nihil est Deo minus, in quo Mariam intueri possis. Colliges

β. solam esse Deiparam, per quam in nobis pingitur perfecta imago Dei, exprimitur similitudo Filii, sigillum imprimitur Spiritus sancti, per gratiam videlicet et amorem, quas divinas dotes sola in nobis Maria scribit, sculpit, consignat: quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.

2. Dignitas Matris Dei ipsam facit omnium dominam ac totius universi reginam.

His nominibus Ecclesia vocat b. Virginem in precibus liturgicis et honorant eam omnes ss. Patres maxime antiquiores. „Si quidem is ipse, ait d. Athanasius,[1] qui ex Virgine natus est, Rex est, et ipse Dominus Deus. Ejusque gratia, quae ipsum genuit, Regina, Domina et Deipara proprie ac vere praedicatur."

Similia tradit s. Joannes Damascenus inquiens:[2] „Profecto vere et proprie Dei Genitrix est et Domina omnibusque creatis imperat, quae ancilla materque exstitit Creatoris."

Ad rem quoque sunt verba d. Anselmi b. Virginem ita interpellantis:[3] „Habet orbis apostolos, patriarchas, prophetas, martyres, confessores, virgines, bonos et optimos adjutores, quos ego supplex orare concupisco. Tu vero, Domina, omnibus iis adjutoribus melior et excelsior es, quia istis et aliis sanctis omnibus, etiam angelicis spiritibus nec non regibus et potestatibus mundi, diviti-

---

[1]) Serm. in Annunt. Deiparae n. 13. [2]) De fide orth. lib. IV, cp. 14. [3]) Orat. 47 ad S. V. M.

bus, pauperibus, dominis, servis, majoribus et minoribus Domina es, et quod possunt omnes isti tecum, tu sola potes sine illis omnibus. Quare hoc potes? Quia mater es Salvatoris nostri, sponsa Dei, regina coeli et terrae et omnium elementorum. Te ergo requiro, ad te confugio, et tu me per omnia adjuves suppliciter peto. Te tacente nullus orabit, nullus juvabit. Te orante, omnes orabunt, omnes juvabunt.“ „Merito ergo, concludimus cum Doctore Angelico[1]), Angelus reveretur beatam Virginem, quia mater Domini et ideo Domina est.“

§. 2.

Dignitas Matris relative considerata.

Dignitas haec sub duplici respectu considerari potest: scilicet adaequate, complete i. e. una cum omnibus aliis dignitatibus ac privilegiis ea contentis — et inadaequate i. e. separata ab his dignitatibus ac privilegiis. Hinc dicimus:

Dignitas Matris Dei adaequate sumpta omnes alias dignitates (excepta unione hypostatica) multum superat.

Audiamus, quomodo auctor tractatus de B. M. V.[2]) hanc thesin demonstret: „Ad argumentum praesuppono, inquit, divinam perfectionem quadruplici ordine participari posse. Primo, ordine naturae, in quo, veluti in vestigio, divinae bonitatis effusus splendor relucet; secundo, ordine gratiae, in quo creatura rationalis divinae fit consors naturae; tertio, in ordine gloriae, in quo quum apparuerit, similes ei erimus, et Deiformes in esse intelligibili efficiemur; quarto demum, in ordine hypostatico, in quo natura creata per unionem substantialem ad esse divinum evehitur. Exinde sic argu-

---

[1]) In Salutat. Angelic. p. 44; cfr. Haine l. c. pag. 125 sqq., ubi plura testimonia citantur. [2]) Art. 2. pag. 53.

mentor: Illa dignitas spectari debet tanquam maxima, ad quam mera creatura evehi queat, quae pertinet proxime ad ordinem unionis hypostaticae; nihil enim perfectius ac praestantius concipi potest, quam ille ordo, quem constituit persona increata. Atqui dignitas Matris proxime pertinet ad ordinem unionis hypostaticae. Et

a. pertinet ad hunc ordinem. Etenim Mater non extra ordinem Filii, quia Matris et Filii una eademque est substantia; inter utrumque datur aliqua identitas. Unde Suarez: „Illa dignitas, inquit, quodammodo pertinet ad ordinem unionis hypostaticae, quia illam intrinsece respicit et cum illa necessariam conjunctionem habet.“

b. Pertinet proxime; namque post unionem hypostaticam vix nexus intimior et affinitas Deo propinquior excogitari potest. Unde d. Augustinus non dubitavit asserere, quod „nativitas unum effecerit Matrem et Filium.“

Maternitas haec conjuncta cum maternitate spirituali omnibusque illis gratiis, quae illam consequuntur, a quanam poterit superari dignitate? Nulla profecto invenitur nec unquam invenietur creatura, quae beatissimam Dei matrem sublimitate antecedere valeat. Si ergo Matrem Dei invenisti et altius ascendere perges, nihil aliud reperies, nisi ipsum Deum.

Hoc est, quod ss. Patres nulli dicendi copiae parcere potuerint, qua b. Virginis dignitatem praedicarent sublimissimam; hoc est, quod s. Doctorum et animos et calamos semper in maximam rapuerit admirationem. Tantae excellentiae est haec Maternitatis dignitas, ut neque humana neque angelica intelligentia investigari neque ulla comparatione cum dignitate creaturae quantumvis elevatae mensurari queat. Hinc s. Eucherii consilium: „Quaeritis, inquit, qualis Mater? Quaerite prius, qualis Filius? Quisquis igitur explorare desiderat, quam sublimis sit magnae Matris dignitas; anteaquam istud attentet,

audeat prius, si tantum animi habeat, divini ipsius Filii dignitatem metiri. Quare ut divinam Maternitatem quis comprehenderet, minus aliquid non sufficeret, quam ut comprehenderet quodammodo Verbum Incarnatum, et quid sit: homo, qui est Deus, Deus, qui est homo, opus illustrissimum potentiae et charitatis increatae, opus, quod ut maximum faceret, se ipsum inclusit artifex. Ille igitur Unigenitus, qui postquam in sinu Patris ab aeterno accepit naturam, quae careret principio, et deinde in sinu Matris assumere voluit naturam, quae haberet principium, ille, inquam, solus intelligere potest immensam sublimitatem dignitatis, ad quam Mater Virgo pervenit." S. Eucherio plenissime consentit d. Gregorius Maternitatis dignitatem ita magnificans: „Si vis Virginem cognoscere, qualis et quanta sit, in ejus Filium oculos conjicito, scribit,[1]) et ex ejus excellentia poteris etiam excellentiam Matris intelligere. Talis ergo Mater talem Filium decet, et e contra talis Filius talem Matrem. Mater dedit Filio humanam naturam, Filius vero Matrem coelesti gratia replevit. Unusquisque ergo dedit, quod habebat." Ne ergo mireris, si Damascenum audieris exclamantem:[2]) „O miraculum omnibus miraculis excellentius! Mulier sublimior Seraphim effecta est, quia Deus visus est Angelis paulo minus minoratus!"

„Nihil est aequale Mariae, scribit d. Anselmus,[3]) nihil, nisi Deus, majus Maria. Deus Filium suum, quem solum de corde suo aequale sibi genitum tamquam se ipsum diligebat, ipsum dedit Mariae: et ex Maria fecit sibi Filium non alium sed eundem, ut naturaliter esset unus idemque communis Filius et Mariae." Nemo copiosius et luculentius de hac Maternitatis dignitate disputasse videtur, quam s. Bernardinus Senensis.

---

[1]) Sup. 1 Reg. [2]) In Nativit. B. M. V. hom. I. [3]) Orat. 52 ad S. V. M.

„Tanta fuit dignitas Virginis, inquit,[1]) ut soli Deo cognoscenda reservetur.“ „Tanta est laus, ait idem scriptor,[2]) quam ei tribuimus, quum dicimus: „Mater Dei,“ quod nec in personis creatis, ut angelicis vel hominibus, nec in personis increatis reperitur haec inexcogitabilis dignitas, scilicet, quod habeat Dei Filium; nisi in una persona divina, quae est Patris, et una persona humana, quae est Matris.“

Deus Pater est Verbi divini Pater quidem, at non Mater, sola Virgo sanctissima Mater est Dei. In coelo Pater generat Filium sibi coaequalem et consubstantialem, plenam sui imaginem atque splendorem: unde qualis Pater, talis Filius. In terris Virgo genuit „natura mirante“ Genitorem suum, qui Deus est et per humanitatem eidem Matri consubstantialis: qualis ergo Mater, talis Filius. Quare optimo jure s. Bonaventura: „Ipsa est, inquit,[3]) qua majorem Deus facere non posset; majorem mundum posset facere Deus, majus coelum posset facere Deus, majorem matrem, quam Matrem Dei non posset facere Deus. Unde d. Bernardus ait: Neque enim decebat eum alia mater, quam Virgo, neque Virginem alius Filius, quam Deus: quia nec major inter matres, nec major inter filios nasci potuit.“ Doctorem Seraphicum nullatenus asserere voluisse, a Deo non posse formari creaturam perfectiorem sub respectu gratiae et naturae, per se patet; infinita enim omnipotentia nunquam exhauritur. Juxta eum et quidem omnibus ss. Patribus attestantibus Deus creaturam perfectiorem ratione dignitatis i. e. majorem matrem seu matrem, quae sit majoris filii mater, facere nequit.

Triplex hic exoritur quaestio, de qua pauca saltem adjungenda. Quaeritur

---

[1]) Serm. V. [2]) Serm. LII. [3]) In speculo B. Virginis prope finem.

1°: Utrum Maternitatis dignitas inadaequate seu incomplete sumpta omnes alias dignitates superet.

Tota difficultas in eo sita est, utrum Maternitatis dignitas antecellat dignitatem, quam gratia sanctificans confert homini, annon.

a. Dignitatem Maternitatis infra dignitatem gratiae sanctificantis seu Maternitatem naturalem vel carnis infra maternitatem spiritus esse, inter alios ss. Patres disertis verbis asserit d. Augustinus. „Cognatio, inquit,[1]) spiritualis cum Christo propinquitati ejus carnali praeponenda. Scriptum est in Evangelio, quod mater et fratres Christi, hoc est consanguinei carnis ejus, quum illi nuntiati fuissent et foris expectarent, quia non possent eum adire prae turba, ille respondit: „Quae est mater mea aut qui sunt fratres mei? Et extendens manum super discipulos suos ait: Hi sunt fratres mei; et quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse mihi frater et mater et soror est.“[2]) Quid aliud nos docens, nisi carnali cognationi genus nostrum spirituale praeponendum; nec inde beatos esse homines, si justis et sanctis carnis propinquitate junguntur, sed si eorum doctrinae ac moribus obediendo atque imitando cohaerescant? Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Nam et dicenti cuidam: „Beatus venter, qui te portavit“ ipse respondet: „Imo beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.“[3]) Denique fratribus ejus, i. e. secundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, quid profuit illa cognatio? Sic et materna propinquitas nihil Mariae profuisset, nisi felicius Christum corde, quam carne gestasset.“ Ita s. Augustinus, cujus sententiae etiam

---

[1]) De sancta Virginitate cp. III, n. 3. [2]) Matth. XII, 46 sqq. [3]) Luc. XI, 27 sq.

ratio suffragari videtur. Dignitas enim matris secundum spiritum seu gratia sanctificans nos per se ipsam sanctificat, excludit peccatum, reddit nos Dei amicos filiosque Dei adoptivos; dignitas vero matris secundum carnem non generat nisi quandam cum Deo vel homine conjunctionem.

b. Ii, qui Maternitatis dignitatem praeferunt gratiae sanctificanti, contendunt

α. dignitatem Matris Dei pertinere ad ordinem unionis hypostaticae, perfectionem vero ordinis superioris incomplete seu solitarie sumptam superare quamlibet perfectionem ordinis inferioris.

β. Maternitatem illam esse conjunctionem naturalem cum Deo; gratiam vero sanctificantem conjunctionem producere adoptionis. Arctissima est conjunctio Virginis cum Verbo incarnato, cui ipsa simul et Matris et Patris officium praestitit. „Ecce miraculum miraculo et prodigium adjunctum prodigio, exclamat stupore defixus s. Petrus Damianus;[1]) si quidem magnus ille Dominus, qui per suam immensitatem rebus omnibus triplici modo inest, per essentiam scilicet, per praesentiam et potentiam, in Virgine aliquo alio modo existit, qui longe, quam comprehendi potest, arctior est et vinculum carnis in immensum superat. Quum Deus in aliis rebus sit tribus modis, in Virgine fuit quarto speciali modo, scilicet per identitatem: quia est idem, quod ipsa.“ „Caro Christi, inquit ideo d. Augustinus,[2]) est caro Mariae.“

γ. Cultus hyperduliae exhibetur b. Virgini praecise, quia est Mater Dei. D. Thomas ita expresse docet. „Exhibetur, inquit,[3]) hyperdulia creaturis, quae habent specialem affinitatem ad Deum, sicut beatae Virgini, in quantum est mater Dei.“

Juxta hujus sententiae patronos gratia sanctificans

---

[1]) Serm. de Nativ. Mariae. [2]) Serm. de Assumpt. [3]) 2. 2. q. CIII, art. 4.

est quidem melior moraliter loquendo, in quantum sanctificat animam, non tamen eminentior sub respectu dignitatis.

„Quidquid vero sit de his sententiis, inquit optimo jure auctor tractatus de B. M. V.,[1]) observare juvat, controversiam vix supponi posse, tum quia repugnat de facto, maternitatem divinam a gratia sanctificante separari, tum quia hae duae dignitates, utpote ad diversos ordines pertinentes, sese mutuo excedunt ac proinde inter se difficile comparantur.“ Quaeritur

2°: Utrum haec beatissimae Virginis dignitas possit dici infinita.

Testante magno Aquinate affirmative respondendum. „Beata Virgo, scribit,[2]) ex hoc, quod est Mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus; et ex hac parte non potest fieri aliquid melius, sicut non potest aliquid esse melius Deo.“ Quare Andreas de Candia beatissimam Virginem appellare non dubitat „divinae incomprehensibilitatis summam“[3]) et Methodius Martyr[4]) „incircumscripti Dei circumscriptionem.“ Quam dignitatem admirans s. Epiphanius b. Virginem hisce alloquitur verbis: „O Virgo sanctissima, inquit,[5]) quae exercitus Angelorum in stuporem deduxisti! Stupendum enim est miraculum in coelis, mulier amicta sole; stupendum miraculum in coelis, mulier gestans lucem in ulnis; stupendum miraculum in coelis, alter thronus cherubicus; stupendum miraculum in coelis, mulieris Filius, qui et ipsius et saeculorum est Pater; stupendum miraculum in coelis, thalamus Virginis habens Filium Dei, Deum sponsum Christum.“

Mirabilia sunt quoque dicta s. Bernardini Senen-

---

[1]) Art. II, pag. 59. [2]) I, q. XXV, a. 6 ad 4. [3]) Orat. de Assumpt. [4]) Orat. de Hypap. [5]) In serm. de Virginitate.

sis. „Quod Deus generet Deum, ait,[1]) nulla requirebatur dispositio; quum ei ex natura conveniret, ut per viam naturae intellectus produceret Verbum per omnia sibi aequale. Sed quod femina conciperet et pareret Deum, est et fuit miraculum. Oportuit enim, ut sic dicam, feminam elevari ad quandam aequalitatem divinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum et gratiarum, quam aequalitatem creatura nunquam experta est. Unde, ut credo, ad illam abyssum imperscrutabilem, omnium charismatum Spiritus sancti, quae in b. Virginem descenderunt in hora divinae conceptionis, intellectus humanus vel angelicus nunquam poterunt pertingere.“

Dignitatis hujus quasi infinitae rationem reddit ven. Canisius ita scribens:[2]) „Si enim, quo altior est Filius, eo dignior mater censenda est, quis jure ambigat, quin Filii infiniti authoritas ac dignitas ad matrem ipsam redundet, ac honorem immensum illi conciliet, quae sola cum Patre Filio aeterno dicere potest: „Filius meus es tu, ego genui te?“[3]) Indicat et Richelius,[4]) Mariam, eo quod veri omnipotentisque Dei Mater vera facta sit, tantam gratiae plenitudinem continere, quantam ne ipsa quidem Virgo, nisi Dei contempletur essentiam, perspicere possit. Richelii familiaris cardinalis Cusanus,[4]) qui saeculo suo inter doctissimos floruit, sapienter monet,[5]) in eo, quod Matrem Dei asserimus, omnem fere laudem contineri atque superari ac idcirco vulgares illos titulos, quibus Maria „Regina coelorum, mater Angelorum et hominum jubilusque prophetarum“ appellatur, ad illam jure referri. Quid multis? Inter omnia nomina, quae purae quidem creaturae competunt, nullum eo majus atque excellentius, praeterquam Dei Matrem nuncupari.

---

[1]) Conc. 61 a. 1 cp. 12. [2]) De Virgin. lib. III, cp. 18. [3]) Ps. II, 7. [4]) De praeconio et dignitate Virginis lib. II, cp. 8. [5]) In dialogo de Annunt. Virgin.

Neque aliter loquitur, ut alios praetereamus scriptores, Barradas.[1]) Humanitas Christi, beatitudo coelestis et sanctissima Virgo juxta illum infinitam quandam habent ex Deo dignitatem. Humanitas Christi, quia a Deo in unitatem suppositi assumpta est; beatitudo coelestis, utpote in Dei visione consistens; Virgo Deipara, quia Dei Genitrix est. Summa humanitas, Christi humanitas. Summum bonum, quod Deus largitur sanctis, beatitudo coelestis. Summa Mater, summa dona postulans, Virgo Deipara.

Ex iis, quae usque modo disputavimus, Maternitatem divinam radicem esse moralem apparet nec non causam finalem omnium praerogativarum b. Virgini concessarum.

Sicuti minora coelorum sidera a lumine solari suam derivant lucem nobis conspicuam, ita privilegia s. Deiparae concessa aliquod agnoscunt principium ac in illud tanquam in causam referuntur. Haec vero est maternitas. Ita docent unanimiter ss. Patres. „Maternitati debetur, ait s. Cyprianus,[2]) plenitudo gratiae.“ Juxta s. Sophronium[3]) b. Virgo praedicatur gratia plena, quia Dei Genitrix electa est. Cui plenissime concordat testimonium d. Hieronymi.[4]) „Sancta Maria, scribit, quia conceperat eum, „in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter,“ plena gratia salutatur.“

Optime exposuit hanc sententiam Doctor Angelicus:[5]) „Dicendum, quod quanto aliquis magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii. Unde Dionysius dicit,[6]) quod Angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis, quam homines. Christus autem est

---

[1]) Concord. tom. I, lib. 6 cp. 2. [2]) Serm. de Nativ. Christi. [3]) Serm. de Assumpt. [4]) Epist. 104 tom. III. [5]) III, p. q. XXVII, art. 5. [6]) Coel. hierarch. cp. 4.

principium gratiae, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter. Unde et dicitur: „Gratia et veritas per Jesum Christum facta sunt.“[1]) Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo prae caeteris majorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere.“ „Beata Virgo, scribit,[2]) quae fuit a Deo electa in matrem, ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit, quam Joannes Baptista et Jeremias, qui sunt electi ut speciales praefiguratores sanctificationis Christi. Cujus signum est, quod beatae Virgini praestitum est, ut de caetero non peccaret nec mortaliter nec venialiter: aliis autem sanctificatis creditur praestitum esse, ut de caetero mortaliter non peccarent, divina eos gratia protegente.“

Quibus verbis d. Thomas apertissime docet, b. Virgini, utpote proxime cum Christo maternitatis vinculo conjunctae, majorem prae ceteris concessam fuisse gratiarum plenitudinem. Maternitas ergo divina principium est omnium gratiarum b. Virgini concessarum, maternitas causa finalis, quare Deus merita tam sublimia, dona tam extraordinaria beatissimae praeparaverit Virgini.

Ave ergo s. Maria, ave Virgo praeclarissima, tot tantisque donis pretiosissimis ac gratiis pulcherrimis te decoratam videmus, quia eum portare gremioque tuo concludere meruisti, quem coeli et coeli coelorum capere non possunt! Quaeritur

3°: Utrum s. Maria pluris fecerit, esse Virginem Deo dicatam, quam esse Matrem Dei.

S. Ecclesiae patres ac doctores in solvenda hac quaestione non consentiunt. Sunt enim, qui asserant, beatissimam Virginem optione data maternitatem divinam praetulisse virginitati illibatae etiam voto confirmatae; alii

---

[1]) Joa. I, 17. [2]) III, p. q. XXVII, a. 6 ad 1.

vero contrarium asserentes, b. Virginem virginitatem Deo dicatam fuisse electuram.

a. Prioris sententiae patroni hanc eo potissimum demonstare ac propugnare conantur, quod dicant,

α. beatissimam Virginem bonum melius et praestantius bono minori praeferre debuisse; maternitatem vero divinam bonum esse omnino praestantius bono virginitatis, quippe quae ad ordinem unionis pertineat hypostaticae.

β. B. Virginem debuisse praeferre eum statum, in quo Deum ardentius diligeret, quum caritas sit perfectionis mensura. Quaenam, interrogant, institui potuerit comparatio inter caritatem, qua gloriosissima coeli regina, utpote mater Dei, nunc flagrat et caritatem, qua arderet, si Virginitatem conservasset illibatam, quin Matris Dei adepta fuerit dignitatem?

b. Qui alteram sequuntur sententiam, s. Scripturam praecipue appellant. Quum enim Gabriel Angelus nomine Dei b. Virgini annuntiaverit, ipsam concepturam pariturامque Altissimi Filium ac matrem fore ipsius Dei, turbata interrogavit: „Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?“ [1])

Non ergo, dicunt illi, tam excellenti dignitati subscribere nec coelesti nuntio voluit praebere consensum prius, quam certior facta esset, integra sua virginitate, salvo virginitatis voto id esse futurum. Ita praecitata s. Evangelistae verba interpretatus est s. Gregorius Nyssenus. „Audi, inquit, pudicam Virginis vocem: Angelus partum nuntiat; at illa virginitati inhaeret et integritatem angelicae demonstrationi anteponendam judicat.“ Consonat d. Bernardus. „Immobile propositum virginitatis, scribit, [2]) quod nec Angelo filium promittente aliquatenus titubavit. „Quomodo fiet istud?“ Neque

---

[1]) Luc. I, 34. [2]) De Assumptione hom. 4.

enim eo modo, quo fieri solet in caeteris, virum penitus non cognosco nec filii desiderio nec spe prolis."

Huc quoque spectant testimonia s. Bernardini Senensis,[2]) Dionysii Carthusiani,[3]) Viegae,[4]) qui textum canticorum „Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis"[5]) explicans scribit: „Cur acervus iste tritici dicitur non plenus, non ornatus, sed vallatus liliis? Sane illud significatur, lilia fuisse pro vallo, quo defenderetur tritici acervus. At inquies, quis unquam tritico vallum confecit ex liliis? Quamve defensionem poterant lilia praestare tritico? Haud dubie maximam et invictam. Primum enim, quod Virginem attinet, nisi ei vallum virginitatis tutum futurum promitteretur ab Angelo, dubium, an Mater Dei esse voluisset, imo non electuram fuisse, esse Dei Matrem, nisi aliud Deum velle intelligeret, sentit d. Bernardinus Senensis probarique potest ex illis verbis Lucae: „Quomodo fiet istud?" Nec prius consensit, quam ei ab Angelo diceretur, „Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi."[6]) Itaque lilia vallaverunt acervum tritici, quia, ut haberemus foecunditatem Virginis, fecerunt virginitatis lilia." Haec ille.

Idem docent ex recentioribus Bouvier,[7]) Nicolas,[8]) de Rhodes,[9]) Contenson,[10]) Drexelius[11]) aliique plures. „Caritas, inquit Contenson, l. c. refutans rationes pro priori sententia allegatas, in gratiam Dei summe dilecti saepe bona in se praestantiora postponit: v. g. melius est amari a Deo, quam amare Deum; visio Dei perfectior est, quam amor, et tamen sancti ex inclinatione caritatis, magis eligunt amare, quam amari, magis diligere, quam

---

[1]) Serm. in Sabb. post Dom. de Passione, de laud. Virginitatis [2]) In lib. de praeconio et dignitate Mariae; cfr. Morales l. c. l. IV. tract. II. [3]) Super Apoc. XII, 2. [4]) VII, 2. [5]) I, 35. [6]) De Incarnatione. [7]) Plan divin vol. II. pag. 167. [8]) L. c. qu. II, sect. 5. [9]) In Mariologia; cfr. tractat de B. M. V. cp. III, §. 4. [10]) Tom. II, fol. 788 §. 2.

videre, quia nimirum caritas in gratiam dilecti potius eligit dare, quam accipere. Per maternitatem autem Maria ingens donum a Deo accipiebat, sed per virginitatem aliquid Deo dabat, corpus nempe et animum suum offerebat in hostiam viventem.“ [1])

Cap. III.

DE S. DEIPARÆ MERITO RELATE AD MATERNITATEM.

Restat, ut hanc scholasticorum quaestionem paucis saltem attingamus verbis deque ea parumper disputemus.

a. Nomen meriti designantis generaliter loquendo operis dignitatem et valorem in ordine ad praemium variis modis nuncupatur. Meretur enim v. g. a. qui opus edit mercedi aequale; b. is quoque, cui propter conventionem quandam merces debetur, quamvis opere ipso sit multis modis praestantior. c. Improprie dicitur mereri, cui neque ob aequalitatem operis, neque ex conventione merces datur, sed ideo solum, quia opus placuit. d. Si opus gratum est et persona propter opus accepta

[1]) „Ist etwas Größeres im Himmel und auf Erden, interrogat rev. Dr. Martin (Schönheiten des Herzens Mariä S. 79 f), als dieser Sohn des Allerhöchsten, als diese Wonne der Engel, als diese Hoffnung der Patriarchen, als diese Erwartung der Völker, als dieser Trost der ganzen Welt! Und doch, staunet ihr Himmel, selbst um diesen größten Preis würde Maria, wäre es in ihre eigene Wahl gestellt, auf ihre jungfräuliche Reinheit nicht verzichten. Denn antwortet sie dem Engel nicht: „Wie wird dies geschehen, da ich keinen Mann erkenne;“ d. h. o wie unaussprechlich groß ist das Gut, das du mir in Aussicht stellst; aber könnte ich dieses große und größte Gut nur dadurch erlangen, daß ich auf die Gott gelobte jungfräuliche Reinheit verzichtete, so würde ich doch, wenn dies, ohne dem Willen Gottes zuwider zu handeln, geschehen könnte, die jungfräuliche Reinheit dieser mir in Aussicht gestellten Ehre und Würde vorziehen!“

quidem, non tamen meretur, ut novum aliquid ejus nomine aggrediar, sed hoc solum, ut quod alioquin facere institueram, per illam faciam, uti loquitur Kosterus[1]) hoc allegans exemplum: Si pauperculus quispiam faber murarius exiguum mihi officium exhibuisset, non meretur ille quidem, ut ejus occupandi gratia novum aedificium extruam, in quo perficiendo ille victum paret; sed hoc tamen mereri videtur, ut si aedificium excitare constituissem, ipsius potius quam alterius utar opera. Existit porro e. juxta citatum auctorem etiam significatio meriti admodum impropria et prorsus passiva, quae ad nullam valeat referri mercedem: si nempe illa res dicitur mereri aut digna esse, cui gratis beneficium alicujus dignatione praestatur. Sic de Crucis ligno canit Ecclesia: „Sola digna fuisti, portare talentum mundi;“ in ligno enim dignitas et meritum non inveniuntur.

b. A theologis duplex assignatur meritum: meritum de congruo et meritum de condigno. Meritum de congruo vocatur illud, quod non habet aequalitatem cum praemio in valore, sed tantummodo quandam cum illo proportionem eo, quod „congruum“ sit dantemque deceat, opus tale remunerari. Fundatur ergo meritum hoc amicitia magis et liberalitate, quam justitia, ut quum rex promoveat militem ad honores, ad nobilitatem vel dominus aliquod ab amico accipiens obsequium, illud praemiat dignitate obsequii valorem centies superante. Meritum ê contra de condigno importat „condignum“ valorem et aequalitatem cum praemio secundum rectam et prudentem aestimationem, ut quum militi detur stipendium.

Meritum de condigno requirit aliquod Dei pactum de acceptando opere ad praemium. Deus enim, utpote independens ab homine, non tenetur ad praemium acceptare ejus opera, quae sibi sub pluribus aliis debeantur titulis, puta titulis creationis, redemptionis etc. Requiritur ideo

---

[1]) De vita et laudibus Deiparae Mariae Virginis, praef. pag. 13.

promissio Dei remunerantis sub conditione talis operis de se aequalis quoad valorem cum praemio, propter quam dicitur, hoc ex justitia tribui. Meritum vero de congruo non ad ordinem causarum efficientium, sed disponentium solummodo pertinens nullam requirit promissionem de essentiali, quum solum fundet debitum decentiae et congruentiae resultans ex dantis bonitate et liberalitate.

c. Duobus modis intelligi potest, b. Virginem meritam fuisse, matrem esse Dei: proxime ac remote. Meruit hanc dignitatem proxime, si illa praemium fuit operibus ejus debitum, ita ut Deus dependenter ab iis dignitatem contulerit. Remote vero meruit maternitatem, si dispositionem tantum meruit requisitam, ut digne fieri posset Mater Dei.[1]) Quibus praenotatis dicimus

§. 1.

B. Virgo maternitatem divinam non meruit de condigno.

Opinati fuerunt nonnulli theologi,[2]) b. Virginem de condigno meruisse maternitatem divinam, duplici praesertim argumento sententiam hanc probare conantes: a. „Quod, uti Viva inquit,[3]) non defuerit proportio geometrica inter merita Virginis et hujusmodi praemium, nempe maternitatem, ex eo fit perspicuum, quia quamvis divina maternitas sit donum excellentissimum, quo majus infra unionem hypostaticam excogitari nequit . . . ., non est tamen donum simpliciter infinitum.“ b. „Nec defuit divina promissio de dando hoc praemio sub conditione onerosa actus fidei et consensus praestiti Angelo nun-

---

[1]) Cfr. tract. theol. pag. 73. [2]) Cfr. Vasquez in III, p. q. II, disp. XXIII. [3]) Damnatarum thesium theologica trutina tom. I, p. 484; cfr. Haine l. c. p. 263.

tianti mysterium Incarnationis." Repugnat tamen haec sententia

1. s. Scripturae. Scribit enim Apostolus: „Si autem gratia, jam non ex operibus i. e. ex meritis; alioquin gratia jam non est gratia;"[1]) summa ergo et excellentissima gratia, nempe Incarnatio, multo minus sub meritum veniet. „Apparuit, dicit idem Apostolus,[2]) benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit." B. Virgo ergo non meruit Incarnationem seu maternitatem divinam, alias non secundum misericordiam, sed secundum justitiam Deus salvos nos fecisset.

2. Conspirant in sententiam hanc omnes fere ss. Patres ac theologi. „Quisquis, inquit d. Augustinus,[3]) in capite nostro praecedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis membris ejus praecedentia merita multiplicatae regenerationis requirat. Neque enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, ut alienus ab omni obligatione peccati de Spiritu et Virgine nasceretur. Sic et nobis, ut ex aqua et spiritu renasceremur, non retributum est pro aliquo merito, sed nobis tributum." D. Augustino plenissime consentit Doctor Angelicus inquiens:[4]) „Neque opera alterius cujuscunque hominis potuerunt esse meritoria hujus unionis ex condigno:

a. Quia opera meritoria hominis proprie ordinantur ad beatitudinem, quae est virtutis praemium, et consistit in plena Dei fruitione. Unio autem Incarnationis, quum sit in esse personali, transcendit unionem beatae mentis ad Deum, quae est per actum fruentis. Et ideo non potest cadere sub merito.

---

[1]) Rom. XI, 6. [2]) Tit. III, 4 sq. [3]) De praedestinatione Sanctorum. [4]) III, p. q. II, a. XI, con.

b. Quia gratia non potest cadere sub merito, quia est merendi principium. Unde multo minus Incarnatio cadit sub merito, quae est principium gratiae secundum illud: „Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.“[1])

c. Quia Incarnatio Christi est reformativa totius humanae naturae; et ideo non cadit sub merito alicujus hominis singularis; quia bonum alicujus puri hominis non potest esse causa boni totius naturae.“ Posita tamen voluntate Dei, quod incarnari voluerit, ss. patres ac prophetae hujus actus accelerationem promeruerunt juxta illud: „Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.“[2]) Dicitur porro apud Danielem,[3]) „septuaginta hebdomadas abbreviatas esse super populum, ut consummetur praevaricatio“ etc propter vota patrum ardentia, quae hoc bonum meruerunt.

Aliae adhuc suppeditant rationes, quibus clarissime evincitur, b. Virginem nullatenus mereri potuisse maternitatem divinam ex condigno.

Meritum enim de condigno requirit, ut supra notavimus, aequalitatem cum praemio, actus vero meritorii b. Virginis, quatenus dignificati per gratiam habitualem, licet praestantissimi fuerint ac excellentiae singularis, non tamen habebant aequalitatem cum ipsa maternitate divina. Maternitas haec enim in sua specie multo praestantior est gratia habituali, utpote spectans ad ordinem hypostaticum, quum ab ipsa persona divina in se accepta speciem sumat; gratia e contra habitualis ad ordinem supernaturalem simpliciter spectat speciem habentem a Deo non nisi in esse objective accepto. Quae autem sunt ordinis inferioris, nequeunt adaequare ea, quae sunt ordinis superioris; quare nec actus super-

---

1) Joa. I, 17. 2) Ps. XI, 6. 3) Dan. IX, 24.

naturales dignificati per gratiam habitualem aequales esse possunt in valore cum maternitate divina.[1])

Ubinam porro praemii operibus reddendi promissio ad meritum de condigno necessaria? Nec in s. Scriptura nec in traditione legimus, promissionem de Christi maternitate operibus b. Virginis retribuenda factam fuisse. Si dices, verba Isaiae:[2]) „Ecce Virgo concipiet et pariet Filium“ promissionem continere seu pactum de praemio operibus meritoriis reddendo, respondemus, ea verba continere seu significare prophetiam, non vero promissionem. Dependebat quidem Incarnationis mysterium a Virginis consensu, sed ille consensus ideo non potest considerari uti causa meritoria hujus mysterii, sed tantum ut conditio sine qua non. Si quis enim statuisset, non dare eleemosynam nisi pauperi seminudo, non sequeretur, seminuditatem esse causam eleemosynae meritoriam, sed tantum conditionem, sine qua non fuisset concessa.

Ergo b. Virgo non meruit ex condigno maternitatem Dei seu, quod Deus ex illa nasceretur et carnem assumeret.

§. 2.

B. Virgo certissime meruit dispositiones, quibus congrue fieret Mater Dei.

Nullum in b. Virgine Incarnationis seu maternitatis meritum agnoverunt Lutherus ejusque asseclae. „Quamvis Virgo Maria, scribit iste,[3]) benedicta sit inter mulieres, quod nulli mulieri unquam talis bonorum a Deo contigit honos; tamen Angelus ipsam in ordinem redigit et omnibus sanctis aliis aequat dicens: „Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.“ Nam aperte dicit: gratiam esse, et non meritum.“ „Haec

---

[1]) Cfr. Sedlmayr l. c. p. IV, sect. I, a. IV. [2]) VII, 14. [3]) In Postilla de evang. Annuntiationis.

ille infelix, subjungit apprime Salmeron,[1] fraudem machinans in voce gratiae, quam tantum pro favore Dei accipit, et non pro donis aliis, quae interius dantur, et pro meritis, quae non nisi ex gratia oriuntur, juxta illud „gratia Dei, vita aeterna,“[2] et „gratiam pro gratia.“[3] Non enim gratiae repugnat meritum, quod ex gratia oritur. Hinc Prosper: „Datur unicuique, inquit,[4] sine merito, unde tendat ad meritum.“ „Deus iis, quos eligit sine meritis, dat, unde ornentur et meritis.“[5] Quare asserimus:

B. Virgo meruit illum puritatis et sanctitatis gradum, ut congrue posset esse Mater Dei.

Hoc expressis verbis docet s. Thomas. „Dicendum, inquit,[6] quod beata Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium: non quia meruit, ipsum incarnari; sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis et sanctitatis gradum, ut congrue posset esse mater Dei.“ Placuit illa per internam Spiritus s. gratiam piaque opera tantopere Deo, ut qui humanam carnem assumendi consilium ceperat, non aliam in matrem eligeret, quam sanctissimam Virginem Mariam.

Ita omnes ss. Patres censuerunt omnesque fere theologi, qui hanc quaestionem suscepere tractandam. Unum alterumve audire sufficiat. „Non quamlibet e vulgo feminam Deus delegit, scribit Justinus Martyr,[7] quae

---

[1]) Comment. in evang. historiam tom. III, tract. VI. [2]) Rom. VI, 23. [3]) Joa. I, 16. [4]) De vocatione gentium lib. II, cp. 2. [5]) L. c. cap. ultimo. [6]) III, p. q. II, art. IX, ad 3. [7]) In quaest. 186 resp. tom. 2. „Wie die Menschwerdung selbst, scribit Oswald l. c. pag. 86, so ist auch die Mitbetheiligung Mariens an derselben durch kein menschliches Verdienst condigne errungen, sondern es wurzelt in der Freiheit der erbarmenden Liebe Gottes gegen das gefallene Geschlecht. Aber in einem andern Sinne, nämlich, ob Maria durch ihre ethische Idealität sich so ausgezeichnet habe, daß unter Voraussetzung der Menschwerdung des Sohnes Gottes von einer irdischen Mutter, unter allen Erdentöchtern, die waren, sind und sein werden, gerade sie zur höchsten Würde, mit der eine bloße Creatur betraut werden kann, erkoren ward, so daß gerade sie

genitrix Christi fieret, sed quae virtute mulieres omnes anteiret: non abs re ejusmodi virtutis nomine matrem suam beatam depraedicari voluit, per quam virtutem honore eo digna habita est, ut Virgo mater fieret.“ S. Justino consonat d. Hieronymus inquiens:[1]) „Propone tibi Mariam, quae tantae exstitit puritatis, ut mater Domini esse mereretur.“

Quibus adjiciendus est s. Basilius. „Quoniam vero ea tempestate, ait,[2]) nulla puritate par, Mariae virginitas inter homines ad effectum sancti Spiritus excipiendum est reperta, et illa jam desponsatione erat occupata, electa est beata Virgo, ita ut nihil detrimenti ex desponsatione accesserit virginitati.“ Similia tradit s. Chrysostomus. „Beata mater, inquit,[3]) ultra omnem humanae naturae modum modestiam ac temperantiam excoluit, et ob id universorum Dominum in utero gestare promeruit.“ Silentio praeterire non possumus testimonium Doctoris Melliflui ita loquentis:[4]) „Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in coelis regali solio, in quo Mariam Filius ejus sublimavit.“ „Quae vel angelica puritas, interrogat,[5]) virginitati illi audeat comparari, quae digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri et habitaculum Filii Dei?“

Notandum porro est ex d. Bonaventura,[6]) virginem Mariam, quae merito congrui digna fuit, ut prae omnibus caeteris mulieribus eligeretur in Dei matrem; postquam electa et ab Angelo de Incarnationis mysterio instructa assensum praestitit, superveniente divino Spiritu talem in animam recepisse ornatum, ut digne mereretur, mater

---

und sie einzig es relativ werth war, Mutter des Herrn zu heißen, in diesem Sinne muß die Frage, in Anbetracht der göttlichen Heiligkeit und Weisheit, ebenso unbedingt bejaht werden.“

[1]) Ad Eustochium de custodia Virginitatis. [2]) Hom. de humana Christi generatione. [3]) In sermone de Domini hypopante. [4]) Serm. 1 de Assumpt. [5]) Serm. 4. [6]) In lib. III, Sentent. cfr. Kosterus l. c.

esse filii Dei, non quidem operum suorum meritis, sed naturam excedentis divinae gratiae dignitate.

Nil ergo mirandum, quod ss. Patres et theologi b. Virginis consensum pulcherrimis praedicarint elogiis. „Plus meruit, confitetur s. Bernardinus Senensis,[1]) gloriosa Virgo in uno suo consensu, scilicet conceptionis Filii Dei, quam omnes creaturae, sive Angeli, sive homines in cunctis suis actibus, moribus et cogitationibus.“ Ad s. Bernardini verba animadvertit Suarez:[2]) „Hoc non videtur alia ratione verum, nisi quia illo meruit maternitatem; unde intelligitur, hoc meritum maxime fuisse positum in illo actu, qui fuit veluti ultima dispositio ad illam formam, quae quum esset proportionata et a persona grata, erat meritoria saltem de congruo.“

Beatissima Virgo amplissime meruit. Optimo ideo jure cantat Ecclesia: „Quia quem meruisti portare;“ „meruisti portare regem coelorum;“ quare etiam nos precamur: „Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis matris Mariae corpus et animam ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur Spiritu sancto cooperante praeparasti etc.“

§. 3.

B. Virgo probabilius meruit de congruo stricto Maternitatem divinam.

Sunt quidem nonnulli theologi, qui meritum stricte congruum b. Virgini denegent, inter quos Tournely[3]) et Le Grand[4]) dicentes, meritum strictum de congruo adesse, quum opus non modo aliquam habeat cum fine convenientiam, sed etiam ex se vel ex mente operantis ad illum rationem dicit. Peccator v. g., qui auxilio di-

---

[1]) Super Salve Regina. Serm. 61 art. 1. cp. 3. [2]) In III, tom. , q. 2. art. 10. [3]) Cursus theologicus tom. I, p. 509. [4]) Tract. de ncarnatione Verbi divini.

vino ad gratiam conversionis perfectae postulandam sibi concesso utitur, ejusmodi gratiam meretur de congruo stricto; convenientia seu congruentia enim quaedam in eo esse concipitur, ut Deus opus, quod gratia sua incepit, eadem gratia etiam misericorditer compleat. Quod meritum vero de congruo late sumptum attinet, docent illi, totum in aliqua convenientia positum esse, ita ut opus nec de se nec ex operantis mente ad finem specialiter referatur. Ex hac meriti de congruo stricte sumpto definitione deducunt, b. Virginem hoc merito gavisam non fuisse: nec enim juxta illos opera b. Virginis ex natura sua nec ex mente operantis, quae ad tantam dignitatem utpote summe humilis non aspirabat quaeque propter verba Angeli mysterium illud sibi annuntiantis turbata fuit, ad divinam maternitatem ut ad finem iis obtinendum referebantur.

Sed ad hoc respondendum, omnia ss. Patrum testimonia supra allata, si sensu accipiuntur obvio et praevio, sententiae nostrae videri faventia. Huc accedit, quod laudabilius ideoque et gloriosius est, praemium mereri, quam obtinere sine merito. Gloriosissima vero quaeque, si alias non repugnant, de s. Deipara jam propter honorem Filii sui asseramus necesse est. Si alias, inquam, non repugnant. An forte repugnat, tale meritum de congruo stricte sumpto b. Virgini ascribere? Quod optimo jure negat Suarez. [1]) Si enim repugnaret, hoc fieret ex eo, quod inter opera b. Virginis et hanc dignitatem non esset proportio. Ad meritum vero de congruo nullatenus requiritur proportio tam exacta, sed sufficit proportio aliqualis, quae certe supponi potest.

At omne meritum, inquiunt, est a Christo, supponit Christum; ergo b. Virgo non potuit maternitatem divinam neque de congruo mereri. Alias meritum b. Virginis esset prius maternitate et Incarnatione, quia esset causa

---

[1]) De Incarn. vol. I, disp. X, sect. 8.

moralis et meritoria actionis, qua conceptus fuit Christus, et etiam posterius, quia esset effectus meritorum Christi et proinde effectus Incarnationis et supponens maternitatem; quum nequeat supponi decretum Incarnationis, quin etiam maternitatis supponatur decretum.

Respondemus cum Gotti[1]) hanc sibi difficultatem proponente, „circa Incarnationem duo fuisse in Deo decreta: a. quo decrevit Incarnationem quoad substantiam et absolute, quo merito Verbi incarnandi omnem gratiam et omne meritum conferre decrevit; b. quo decrevit Incarnationis circumstantias, inter quas praecipua est, quod ex tali muliere, nempe Maria Virgine, carnem susciperet et conciperetur. Licet ergo meritum b. Virginis sit posterius priori decreto, fuit tamen prius secundo decreto et ideo bene potuit, per Christum absolute volitum, mereri circumstantiam, nimirum, ut ex ipsa carnem assumeret.“

Cap. IV.

DE BEATISSIMÆ VIRGINIS PRÆDESTINATIONE.

Cum quaestione de s. Deiparae merito relate ad Maternitatem divinam tam intime cohaeret quaestio de s. Deiparae praedestinatione, ut haec ab illa vix separari queat.

Praedestinatio stricte sumpta ab Angelo Scholae[2]) definitur „quaedam divina praeordinatio ab aeterno de his, quae per gratiam Dei sunt fienda in tempore.“

a. Hac significatione Ecclesia plurimos s. Scripturae textus, qui stricte et eminenter de Sapientia increata personali, de Christo Domino, intelliguntur, etiam figurate

---

[1]) Theologia scholatico-dogmatica tom. III, tract. I, quaest. IV.
[2]) III, p. q. XXIV, a. 1. in C.

ad b. Virginem refert ejusque praedestinationem. Salomon Sapientiam increatam in Proverbiis[1]) ita inducit loquentem: „Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.“ „Ab aeterno ordinata sum et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi et ego jam concepta eram.“ Quae omnia non minus de b. Virgine, quam de Sapientia increata dici possunt. „Ego ex ore Altissimi prodivi, legimus in libro Ecclesiastici,[2]) primogenita ante omnem creaturam.“ „Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.“[3]) „Ab initio et ante saecula creata sum,“[4]) ubi vox „creata“ non tam proprie aptatur Sapientiae increatae, ut Sedlmayr animadvertit,[5]) quum Christus nequeat dici simpliciter creatus, quam s. Deiparae.[6])

b. Consonant ss. Patres, qui b. Virginis praedestinationem apertissimis docuerunt verbis. „Antequam de illa natus esset, inquit d. Augustinus,[7]) in praedestinatione noverat Matrem.“ Neque aliter loquitur s. Joannes Damascenus:[8]) „Quia decretum praedestinationis ex amore tanquam ex prima radice oritur, te ille rerum omnium Deus dignam praenoscens amavit, amatam praedestinavit.“ Lutherus quidem aegerrime tulit, quod Ecclesia verba allegata in officiis suis accomodarit ad

---

[1]) Prov. VIII, 22 sqq. [2]) Eccli. XXIV, 5. [3]) Ibid. V, 12. [4]) Ibid. V, 14. [5]) L. c. p. IV, sect. I, q. II, a. 1. [6]) „Insofern die hier als redend eingeführte Weisheit als vor der Erschaffung aller Dinge persönlich existirend gedacht wird, scribit rev. Dr. Martin (die Schönheiten des Herzens Mariä pag. 6 sq), ist sie die persönliche, ewige, mitschöpferische Weisheit, das ewige Wort des Vaters, also Christus selbst. Es können aber die obigen Worte in einem weniger strengen Sinne auch bezogen werden auf die ewig in Gott unpersönlich existirende Idee der Creatur, d. h. auf das von Gott ewig gedachte Vor- und Musterbild, wonach die Creaturen gemacht sind. Und in diesem Sinne verstanden, wendet die Kirche diese Worte auch auf Maria an. Denn außer Christus, der aber kein bloßer Mensch ist, stellt die Idee der menschlichen Natur am reinsten und vollkommensten an sich dar Maria.“ [7]) In Joa. tract. VIII. [8]) De Nativ. Mariae orat. I.

;. Deiparam. „Coacte, scribit,[1]) Scripturam torquent catholici) in Mariam, quae divinae Sapientiae tantum :ompetunt, ipsi videlicet Christo; hic enim ante saecula 'uit, in quo omnia condita sunt. Quod autem Mariae)eiparae hoc tribuitur, merum mendacium et in Deum ›lasphemia est.“ Latuit eum certissime regula generalis , s. Augustino statuta,[2]) „quod sacra Scriptura tot sensus habeat ab ipso etiam Spiritu sancto intentos, quot iterae congruunt secundum rectam charitatem.“ Quibus ›raemissis
uaeritur

°: Utrum b. Virgo praedestinata fuerit ante vel post praevisum Adae peccatum.

Admisso decreto Incarnationis absoluto[3]) i. e. inependenter ab originali peccato, admittendum videtur, . Virginem absolute praedestinatam fuisse ad Matris ›ei dignitatem. Nam Christus, etiam Adamo non pecınte, non tantum praedestinari debuit ut homo, sed t filius hominis. Quare b. Virgo ad Matris Dei digniıtem absolute praedestinata est. Antecedentis veritas ıcillime probatur. Si enim Deus illum Incarnationis ıodum (scil. ex muliere) non praeelegisset, hoc factum ıisset, quia ille aliquam inclusisset imperfectionem. ullam vero includit imperfectionem, quum nullatenus ədeceat Christum, etiam in hypothesi Adami non pecıntis, viatorem fuisse habuisseque corpus statui nostro :comodatum, tum ut pro nobis mereretur, tum ut

---

[1]) In Postilla de festo Natae Virginis apud Sedlmayr l. c. p. IV, ct. I, q. II, a. 1. [2]) De doctrina Christiana lib. III. cp. 27. [3]) Cfr. ıct. theol. pag. 69. „Es ist eine bekannte theologische Controverse, ribit Oswald (l. c. pag. 210 sq), ob der Sohn Gottes, wenn der ündenfall der ersten Eltern im Paradiese nicht erfolgt wäre, auch dann : menschliche Natur angenommen haben und sichtbar unter uns auf ›den erschienen sein würde. Wir schließen uns der Meinung an, welche ·se Frage bejaht; sie möchte auch jetzt wohl die sententia commuor sein.“

viam ad beatitudinem ducentem suo nobis demonstraret exemplo. Decentissimum porro fuisse, ex virgine nasci et quidem ex virgine nupta, supra fusius demonstravimus. Quaeritur

2°: Utrum b. Virgo ad Matris Dei dignitatem fuerit praedestinata ante vel post praevisa merita.

Resolventes hanc quaestionem auctores minime consentiunt.

a. Nonnulli enim, inter quos praesertim Vasquez,[1]) asserunt, praedestinationem illam post praevisa merita factam, b. Virginem ex meritis fuisse electam tum ad Dei maternitatem, tum ad tantam gloriam, quamvis prius in Matrem Dei, quam ad tantam gloriam fuerit electa.

b. Alii ê contra, vg. Suarez,[2]) Bellarminus,[3]) propugnant praedestinationem ante praevisa merita. „Certum est, inquit Suarez, b. Virginem fuisse ab aeterno electam et praedestinatam, tum ad gratiam et gloriam, tum etiam ad dignitatem Matris Dei, ante omnia illius merita praeterita.“

Sententia haec s. Scriptura fundata Apostolo dicente,[4]) omnem electionem non fieri per debitum seu meritum, sed per gratiam, etiam bullâ „Ineffabilis“ confirmari videtur, ubi legimus: „Deum ab initio et ante saecula unigenito Filio suo Matrem elegisse atque ordinasse, tantoque prae creaturis universis amore prosecutam fuisse, ut in illa una sibi propensissima voluntate placuerit. Qua propter illam, longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque sanctos, coelestium omnium charismatum copia de thesauro Divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper esset libera.“ Neque alio tendit s. Thomas

---

[1]) Tom. I, in III, p. disp. XXIII, cp. 4. [2]) Tom. II, in III, p. disp. 1 sect. 3. [3]) Cfr. tract. theol. pag. 72. [4]) Eph. I, 11.

nquiens: [1]) „Ordinate volens prius vult finem, quam nedia.“ Ergo Deus ordinatissima voluntate intendit lecreto suo b. Virgini prius Maternitatem et tantam loriam concedere tamquam finem, quam intenderit ipsa pecialissima auxilia.

At, inquies, ss. Patres b. Virgini meritum attribuunt elate ad Maternitatem Dei. Ergo praedestinatio ad ianc dignitatem dependebat a meritis illisque erat posteior! „Talis eligitur Virgo de toto mundo, scribit d. Auustinus, [2]) quae tantum haberet meritum, ut Filium)ei in semetipsam susciperet.“

Nullatenus negamus meritum ad maternitatem et gloiam, prout in exsecutione dandam, sed tantum meri- um ad primam et efficacem intentionem ipsius maernitatis Dei, et tantae gloriae prout b. Virgini prae liis attribuendae. Fatemur enim, quod Deus speciaissima gratiae auxilia beatae Virgini dederit, ut mereri otuerit effici Mater Dei exaltarique ad tantam gloriam imul asserentes, quod haec ipsa specialissima gratiae uxilia tanquam media ad promerendam Maternitatem t gloriam et cum mediis etiam ipsum finem, i. e. hanc psam Maternitatem et gloriam gratuito intenderit. Prima rgo intentio, qua Deus et Maternitatem et tantam gloiam b. Virgini conferre decrevit, non dependit a meritis, d modum, quo rex certantibus gratuito aliquid offert in raemium, quod tamen in exsecutione cadit sub meritum. [3])

---

[1]) I, p. q. XXIII, a. 4. [2]) De Nativ. Domini. [3]) Cfr. Sedlmayr c. p. IV, sect I, a. 6.



SECTIO I.

DE BEATISSIMÆ VIRGINIS OBITU ET ASSUMPTIONE.

„Haec est illa dies, qua Christus in aethera Matrem
Sustulit indutam membris: sic credere sanctum est.
Nam nec erat locus in terris, ubi viscera condi
Fas foret, aeternum quae progenuere Tonantem.“
Poeta Mantuanus lib. VIII, Fastorum.

Cap. I.

DE BEATISSIMÆ VIRGINIS OBITU.

Plures hic dilucidandae sunt quaestiones: nempe
1. Utrum b. Virgo vere mortua fuerit.
2. Quo mortis genere mortua.
3. Quonam tempore mortua.
4. Ubinam mortua fuerit et sepulta.

Tractemus quaestiones has singillatim in totidem paragraphis. Quare

§. 1.

Utrum b. Virgo re vera mortua fuerit.

Non defuere, qui eam mortuam fuisse negaverint. Ita Timotheus presbyter,[1]) quocum ex parte consonat s. Epiphanius non quidem absolute mortem negans, sed in dubium eam revocans. „Quodsi, inquit,[2]) falso jactari quispiam a nobis existimat, licet sacrarum vestigia consectari, in quibus nullam de Mariae obitu mentionem

[1]) Orat. de s. Occursu. [2]) Haeres. LXXVIII, §. 11.

reperiet, mortua sit, nec ne, sepulta, an non sepulta fuerit. Ac quum Joannes interim in Asiam profectus sit, nusquam tamen b. Virginem itineris comitem secum illum habuisse significat, sed de ea re penitus Scriptura conticescit: id quod propter admirationis vehementiam factum arbitror, ne hominum animos majorem quemdam in stuporem conjiceret. Ego enim pronuntiare illud vereor, et tacita apud me cogitatione reputans, mihi silentium indico. Quippe haud scio, an de sanctissima illa ac beatissima Virgine obscura quaedam inveniri vestigia possint, quae incertam nobis illius mortis fidem faciant. Nam ex una parte illud occurrit, quod de illa pronuntiat: „Et tuam ipsius animam pervadet gladius, ut retegantur ex multorum cordibus cogitationes.“[1]) Aliunde vero legimus: „Draconem adversus mulierem properasse, quae marem pepererat, et datas ei esse pennas aquilae, et translatam esse in deserto, ne eam draco comprehenderet.“[2]) Quamquam illud non affirmo penitus, neque aut immortalem perseverasse definio, aut utrum mortua sit, confirmare possum. Quippe s. Scriptura mentis humanae captum praetergressa rem in incerto reliquit propter vos illud eximium ac praestans, ne quis carnis propriam ullam ei foeditatem adscribat. Sive igitur mortua sit, nescimus: sive consepulta sit, non tamen ullam est conjunctionem corporis experta: absit, ut illud existimemus.“ Ita s. Epiphanius. B. Virginem vere mortuam esse, probatur

1. ex generali s. Scripturae regula: „Statutum est hominibus semel mori“[3]) — „quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem?“[4]) Ab hac regula vero non est recedendum, nisi ex aliis s. Scripturae locis b. Virginem excipientibus necessitas urgeat. Probatur

---

[1]) Luc. II, 35. [2]) Apoc. XII, 12 sq. [3]) Hebr. IX, 27. [4]) Ps. LXXXVIII, 49.

2. ex universa traditione, quae b. Virginis mortem in toto orbe terrarum celebrat. Martyrologia ven. Bedae, Usuardi, Romanum etc. diem 15. Augusti qua obitus diem adnotant. „Veneranda nobis, Domine, hujus est diei festivitas, scribit s. Gregorius,[1]) in qua s. Dei Genitrix mortem subiit temporalem.“ Eandem sententiam unanimi testantur consensu ss. Patres. Ita v. g. s. Augustinus,[2]) s. Damascenus,[3]) quibuscum consentiunt Andreas Cretensis,[4]) Nicephorus,[5]) Sophronius[6]) aliique.

3. Etiam ratio plura pro hac veritate suppeditat momenta. Nonne b. Virginem Christo Filio tamquam membrum capiti suo conformari decebat etiam per mortem mortemque patienter accipiendo mereri? Nonne alias Matris potior, quam Filii videretur conditio?

At, inquiunt, mors est peccati originalis poena; b. Virgo a peccato immunis nulli subjici potuit poenae peccati!

Respondemus cum Benedicto XIV.:[7]) „Mors considerari potest dupliciter, vel tamquam conditio naturae, quae quum contrariis rebus conflata sit, tandem aliquando corrumpi eam necesse est; vel tanquam peccati Adae poena, qua privilegium illud originalis justitiae amisimus, quod impediebat, ne homines morerentur. Itaque etsi b. Virgo ex hac posteriori causa mori non debuisset, priore tamen morti eam obnoxiam fuisse oportuit.“

S. Epiphanium pro viribus excusare tentat Cardinalis Baronius ita loquens:[8]) „Quum Epiphanius ageret adversus haereticos carnis spurcitiis illam sanctissimam atque omni labe purissimam calumniantes: ipse contra, quo magis illorum procaciam retunderet, eo excellentiae efferre conatus est, ut sicut Henoch olim translatus, vel

---

[1]) In Sacramentario — Missa Assumpt. B. M. V. [2]) Serm. de Assumpt. B. M. V. [3]) De dormitione Virginis. [4]) De dormitione Deiparae orat. I. [5]) Lib. II, cp. 21. [6]) Serm. de Assumptione. [7]) L. c. cap. VIII, n. 4. [8]) Ad annun. 48 §. 11 sq.

Elias igneo curru in sublime elevatus est; sic diceret, ipsam absque obitu e terrenis ad coelestia assumptam fuisse . . . . . Caeterum condonandum illi, si (quod et aliis sanctissimis atque eruditissimis viris saepe accidisse reperitur,) dum ardentiori studio in hostes invehitur, vehementiori impetu in contrariam partem actus lineam videatur aliquantulum veritatis esse transgressus. Catholica quippe Ecclesia nullam de obitu Dei Genitricis dubitationem admittit, sed quam novit humanae fuisse naturae consortem, humanam pariter moriendi necessitatem expertam affirmat.“ Haec Baronius.

§. 2.

Quo mortis genere b. Virgo fuerit mortua.

Nonnulli auctores s. Simeonis oraculo „Tuam ipsius animam pertransibit gladius“[1]) permoti, b. Virginem martyrio vita functam tradiderunt. Quorum mentionem faciens s. Isidorus[2]) ad eandem inclinare videtur sententiam. Incertum enim est juxta illum, „utrum dicta verba pro martyrii gladio dixerit, an pro verbo Dei valido et acuto, prae omni gladio ancipiti.“ Dicimus

1. B. Virgo non martyrio aut violenta morte obiit. Ita referunt ss. Patres unanimiter. „Nec litera, nec historia docet teste d. Ambrosio,[3]) Mariam ex hac vita corporalis necis passione migrasse.“ Eadem repetit ven. Beda[4]) adjiciens: „Unde restat intelligi, gladium illum, de quo dicitur: Et gladius est in labiis eorum: hoc est, dolorem dominicae passionis ejus animam pertransiisse. Quae etsi Christum, utpote Dei filium, sponte propria mori mortemque ipsam non dubitaret esse de-

---

[1]) Luc. II, 35. [2]) De vita et obitu Sanctorum cp. 68. [3]) Ad citata Evangelistae verba lib. II, §. 61. [4]) Ad verba Evangelii praecitata.

victurum, ut sua tamen carne procreatum, non sine doloris affectu potuit videre crucifigi.“ Etiam s. Ildephonsus de dolorum gladio, qui purissimam pertransivit b. Virginis animam, hisce loquitur verbis:[1]) „Quod si gladius ad animam pervenit, quando ad crucem stetit fugientibus Apostolis, quum videret Dominum pendentem, etiam plus quam martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quam moeroris est intus gladio vulnerata.“[2]) Quare scribit Baronius,[3]) „eos non recipi ab Ecclesia catholica, qui tradunt, Mariam Virginem martyrio vita functam esse.“

2. B. Virgo mortua est vi amoris erga Deum. Ita testatur Antonius Spinellius,[4]) complures gravissimos citans theologos, videlicet Damascenum, Nicephorum, Albertum Magnum, Dionysium Carthusianum, et quidem optimo jure. Si enim Doctor Gentium, non hujus vitae pertaesus, sed amore Dei inflammatus, cupiebat dissolvi, profecto multo magis hoc flagrabat amore s. Deipara „superans, ut ait d. Anselmus,[5]) omnium rerum creatarum amores et dulcedines magnitudine amoris in Filium suum.“ Dignissimus, quem hac de morte audiamus, magnus Bossuetius. „Son amour, inquit,[6]) étant

---

[1]) De Assumptione B. M. V. serm. 2. [2]) „Tantus fuit dolor Virginis, inquit s. Bernardinus Senensis, (tom. II, serm. 61 art. 3. cp. 2.) quod si in omnes creaturas divideretur, omnes subito interirent.“ Teste s. Thoma (In IV, Dist. XLIX, q. 5 a 3 — 2a 2ae q. CXXIV, art. 4 ad 1) Maria Virgo Martyr fuit dumtaxat „per quandam similitudinem“ ob summos dolores propter Filium toleratos. Cfr. III, q. XXVII, art. 4 ad 2; Benedictus XIV, de Beatif. et Canoniz. lib. 3 cp. 11 n. 3. [3]) Ad annun. 48 §. 12. [4]) In Maria Deipara cp. 9 n. 18. [5]) De excell. Virg. cp. 4. [6]) Serm. 2 sur l'Assomption. „Nicht physische Krankheit, scribit Morgott loc. cit. pag. 117, die Liebe zu Gott und die Sehnsucht nach ihrem göttlichen Sohne — eine Liebe und Sehnsucht, deren Stärke und Innigkeit kein menschlicher Gedanke ausmißt, hat allmählig schmerzlos ihre Seele vom Leibe gelöset und den Tod herbeigeführt.“ Cfr. Van den Berg: B. Virgo imago Dei et ss. Trinitatis p. 50.

si ardent, si fort et si enflammé, il ne poussait pas un soupir qui ne dût rompre tous les liens de ce corps mortel; il ne formait pas un regret qui n'en dût dissoudre toute l'harmonie; il n'envoyait pas un désir au ciel qui ne dût tirer après soi l'âme tout entière. Je vous ai dit, que sa mort est miraculeuse; je suis contraint de changer d'avis: la mort n'est pas le miracle, c'en est plutôt la cessation. Le miracle continuel, c'était que Marie pût vivre séparée de son bien — aimée ..... Ainsi point d'autre cause de la mort de Marie, que la vivacité de son amour."

§. 3.

Quonam tempore b. Virgo mortua fuerit.

Quoad obitus tempus nihil est comperti ob scriptorum sententias inter se summopere discrepantes, quarum duas potiores penitius hic inspicere sufficiat.

1. B. Virgo mortua est anno 15. post Christi passionem i. e. anno 63. aetatis suae seu anno 48. Nativitatis Domini. De hoc mortis anno Baronius: „Non quasi affirmare velimus, inquit,[1]) hoc ipso anno esse defunctam et in coelum assumptam, sed quod hoc anno ponatur ab Eusebio, nobisque, quonam anno certo decesserit, sit inexploratum." Sententiae huic subscripserunt Dionysius Carthusianus: „Credibilius aestimari, refert,[2]) quod gloriosissima Virgo quindecim circiter supervixerit annis post ascensionem" nec non Marianus Scotus,[3]) Bernardinus de Busto,[4]) Azorius.[5]) Confirmatur haec opinio ex numero globulorum coronae b. Virginis, quae 6 orationibus dominicis et 63 salutationibus angelicis constat in memoriam 63 annorum.

---

[1]) In Annal. ad annum 48. [2]) De laud. gloriosae Virg. Mariae lib. IV, art. 6. [3]) In Chroni. post finem 5. aetatis. [4]) In Mariali par. 12 serm 1 de coronatione Mariae. [5]) Instit. moral. lib. I, cp. 2 q. 5.

2. B. Virgo ad aetatem 72 annorum venit obiitque anno 57 a Christo nato. Rationem, cur tanto spatio post ascensum Filii in coelum permanserit hac in terra, allegant s. Anselmus,[1] ven. Canisius, s. Birgitta, in cujus revelationibus[2] legimus: „Ego quippe post Ascensionem filii mei vixi, visitavi loca, in quibus ipse passus est et mirabilia sua ostendit.“

Hanc sententiam tenent inter recentiores Christophorus a Castro,[3] Suarez,[4] Jacobus Canisius,[5] Spinellius ita argumentans: „Virginis dormitioni, inquit,[6] Dionysius Areopagita se interfuisse testatur[7] cum Apostolis et selectissimis Apostolorum discipulis, Hierotheo, Timotheo et aliis. Sed Dionysius Areopagita conversus est ad Christi fidem ab Apostolo Paulo anno Domini 52, qui erat post ascensionem decimus nonus, ut ad eum annum optime probat Baronius, et verisimile est, aliquot annis in Christiana fide se probasse, ergo saltem ad illud circiter tempus vixit Deipara.“ Ita Spinellius.

---

[1] De excell. gloriosiss. Virginis cp. VII. [2] Lib. VI, cp 61. [3] In historia Deiparae Virginis cp. 20 n. 19. [4] In III, p. tom. II, disp. 21 sect. 1. [5] In sacris meditationibus p. 3 §. 29. [6] In Maria Deiparae cp. VI, n. 9. [7] De divinis nominibus cp. III, ubi ita: ‚Nam et apud ipsos divino spiritu plenos pontifices nostros, quum et nos, ut nosti (alloquitur Timotheum) et plerique ex sanctis fratribus nostris, ad contuendum corpus illud, quod auctorem vitae Deumque ceperat, convenissemus (aderat autem et frater Domini Jacobus et Petrus, supremum decus et antiquissimum Theologorum columen), ubi post contuitum placuit, ut infinite potentem divinae virtutis bonitatem pontifices laudarent omnes, quisque pro captu suo.“ Hunc locum (uti notat Kolvenerius l. c. p. II, ad 15. Aug.), intellexerunt de dormitione Deiparae Juvenalis Hierosoly. epis. in historia Euthymica lib. 3 cp. 40, Damascenus orat. 1 et 2 de dormitione B. M. V., Nicephorus hist. lib. II, cp. 22, Baronius tom. I, Annal. anno Christi 48.

§. 4.

Ubinam b. Virgo mortua fuerit et sepulta.

Duo celebria sunt loca, de quibus disputatur, an sint illa, ubi s. Deipara mortua fuerit et sepulta, Ephesus nempe et Hierosolyma.

1. Epheso honorem hunc attribuunt praecipue Tillemontius[1]) et Serry[2]) probantes

a. ex eo, quod Patres Ephesini Concilii anni 431 habiti in epistola ad clerum populumque Constantinopolitanum scribunt, Nestorium damnatum esse Ephesi, „in qua Joannes Theologus et Deipara Virgo sancta Maria." „Qua loquendi formula, inquit Serry l. c., nil aliud significatum voluere, quam Joannem Theologum et Virginem Deiparam illic esse; subintellecto scilicet verbo „est," quod juxta graecae et latinae grammaticae leges non modo subintelligitur commode, verum etiam eleganter: illic vero esse utique inhumatos, quum alio tunc modo illic esse non possent."

b. Quia, ut constat ex actis Concilii Tridentini, ecclesia magna Ephesi Mariae Virgini dedicata erat et nondum in morem venerat, ut ecclesiae in alicujus sancti honorem consecrarentur, in quibus ejusdem Sancti reliquiae conditae non essent.

c. Quia s. Leo in sua ad Juvenalem Hierosolymitanum epistola, quae de s. locis Hierosolymorum agit, b. Virginis sepulcri mentionem non facit.[3])

2. B. Virginem Hierosolymis mortuam ac sepultam esse, multi testantur theologi. Ita Andreas Cretensis,[4]) Nicephorus, Callistus,[5]) Cedrenus,[6]) s. Joannes Damascenus referens,[7]) Apostolos per orbem praedicationis causa dispersos Hierosolymam convenisse ad Christi ma-

---

[1]) In s. Virginem Annot. 14 et 16. [2]) Exercitat. 65 §. 3 apud Sandinum l. c. pag. 392. [3]) Cfr. Sandinus l. c. pag. 391. [4]) In dormitione b. Virginis orat. 2. [5]) Hist. eccl. lib. XV, cp. 14. [6]) In Compend. hist. pag. 149. [7]) In Dormit. B. M. V. §. 18.

trem morti proximam, ejus morti interfuisse ejusque corpus in horto Gethsemane sepelivisse. Narrat Damascenus quoque, Juvenalem [1]) Marciano et Pulcheriae de detegendo, ubi esset, Mariae corpore solicitis respondisse, eam Hierosolymis mortuam fuisse atque sepultam. Plenissime consentit Baronius. „Haud multum ante tempora Juvenalis, inquit, [2]) sepulcrum Mariae Virginis fuit repertum. Qua enim ratione Epiphanius Hierosolymis saepe versatus, (ut tradit Hieronymus epist. 61 ad Pammachium,) se ambigere ait, an mortua fuerit, si ejus sepulcrum ob oculos omnium positum, perspicuum omnibus factum esset? Vel quomodo de eo mentionem facere Hieronymus epist. 27 praetermisisset, qui relegens cuncta Palaestinae loca, quae s. Paula Roma veniens invisit, et, ut taceam de Christi sepulcro, alia cuncta, quae erant ibi memoria digna, monumenta recenset?“ . . . .

Ad rationes a Tillemontio et Serry prolatas respondemus cum Sandino, [3]) quae sequuntur:

ad a. Labbeus et Harduinus notant ad citatae epistolae marginem, subaudiendum esse „aliquando habitarunt“ — alii „aedes habuerunt.“ Si ibi b. Virginis sepulcrum fuisset, tradita posteritati a Patribus Ephesinis duraret adhuc ejus fama nec s. Epiphanius paulo ante Concilium Ephesinum vivens, celebrem suis temporibus rem ignorans de Mariae morte dubitasset.

ad b. Hoc merum videtur figmentum; Sozomenus enim testatur, [4]) imperante Arcadio Constantinopoli Ecclesiam fuisse s. Stephani, antequam corpus ejus in Palaestina reperiretur.

ad c. S. Leo recensens loca sancta Hierosolymorum nullam mentionem sepulcri b. Virginis facit. — At quid inde sequetur? Verba facere de illo, non pertinuit ad

---

[1]) Juvenalis, primum Episcopus Ephesinus, dein Hierosolymitanus interfuit Conc. Eph. 431 et Chalced. 451. [2]) Ad annum 48 §. 18 sq. [3]) L. c. pag. 393. [4]) Hist. eccl. lib. VIII, cp. 24.

s. Leonis institutum, quippe qui totus fuerit in eo, ut recensitis locis, ubi Christus natus, ubi a Magis adoratus, ubi educatus est, demonstratoque sepulcro, in quo „humana conditione jacuit,“ et monte Oliveti, unde ascendit in coelum, confirmet et evincat, Christum Dominum humanam carnem re vera sumpsisse: ad cujus rei confirmationem sepulcri b. Virginis mentio nihil omnino conferre poterat.

Concludamus cum celeberrimo Benedicto XIV. dicente:[1]) „Nos in utraque controversia tum de anno, tum de loco, quo obiit b. Virgo, nullius partes sequimur, satis contenti, diversas recensuisse sententias et fundamenta, quibus quaeque earum innititur. Illud tamen repetimus, exploratum esse, b. Virginem ex hac vita migrasse, ejus animam a corpore fuisse sejunctam, statimque, nulla vel minima mora interjecta non solum beata visione fuisse praeditam, sed sublatam ad empyreum, et exaltatam esse super choros Angelorum.“

Cap. II.

DE BEATISSIMÆ VIRGINIS ASSUMPTIONE.

Differentiam inter Domini nostri Ascensionem et b. Virginis Assumptionem existentem s. Petrus Damianus hisce praecise describit verbis: „Ascendit, inquit,[2]) Salvator in coelum potestativae virtutis imperio, sicut Dominus et Creator, Angelorum comitatus obsequio, non auxilio fultus. Assumpta est Maria in coelum, sed gratiae sublevantis indicio, comitantibus et auxiliantibus Angelis, quam sublevabat gratia, non natura. Ideoque dies haec Assumptio, Ascensio illa vocatur, quum aliud sit potentia, aliud misericordia, solumque soli sit privilegium Creatori, naturam rerum propria potestate supergredi.“

---

[1]) L. c. cp. VIII, n. 12. [2]) De Assumptione B. M. V. serm. 40.

Terminum porro „assumptionis" non solum iis tribui, qui cum corpore et anima, sed iis etiam, qui nonnisi quoad animam transferuntur in coelum, ss. Patres pluries aperte ostendunt. Ita v. g. s. Gregorius Turonensis[1]) mentionem facit assumptionis sancti Aviti et s. Gregorius Nazianzenus, ut alia praetereamus exempla, de sorore sua Gregoria scribit,[2]) „esse assumptam in coelum." Quaeritur ergo

1. Utrum b. Virgo non solum quoad animam, sed etiam quoad corpus in coelum fuerit assumpta.
2. Quando fuerit assumpta.
3. Utrum b. Virginis Assumptio sit fidei articulus.

§. 1.

Utrum b. Virgo non solum quoad animam, sed etiam quoad corpus in coelum fuerit assumpta.

Gloriosa b. Virginis quoad corpus et animam in coelum translatio veritas certa est nec sine ingenti et petulanti temeritate negari potest. Etiam ipsorum, quos reformatores nominant, nonnulli non potuerunt, quin hanc asseruerint veritatem. „Credimus, testatur Bullingerus,[3]) et Deiparae Virginis Mariae purissimum thalamum, et Spiritus sancti templum, hoc est sacrosanctum corpus ejus, deportatum esse in coelum." Brentius cuique, ut vult, sentire permittit inquiens:[4]) „Potuit fieri, quod sicut Enoch translatus est in corpore, et sicut multa corpora sanctorum resurrexerunt cum Christo, ita et Maria cum corpore translata sit in coelum. Certissimum autem est, quod Maria perpetuam consecuta sit felicitatem." Ita loquuntur illi, qui alias

---

1) De gloria Confessorum cp. 99. 2) In panegyrica ejus Oratione ad Gorgoniam. 3) De Origene erroris cp. 16. 4) Hom. I, in festo Assumptionis Virg.

praeter verbum Dei scriptum nihil in religione valere contendunt, bene scientes, nullam fuisse rationem Assumptionem b. Virginis narrandi in Evangelio, quod non contineat nisi historiam Christi usque ad ejus Ascensionem in coelum, nec in Apostolorum Actis, qui horum tantummodo gesta complectantur.

Ne ergo mireris, quod s. Deiparae Assumptionem veritatem nominaverimus omnino certam, licet s. Scriptura nil de ea memoraverit. „Sunt enim, teste d. Augustino,[1]) quaedam, quae quamvis in Scriptura commemorari ex toto omissa sint, vera tamen ratione creduntur.“ Unde et magnus Aquinas asserere non haesitat,[2]) quod, licet in s. literis non tradatur, Mariam cum corpore in coelum assumptam esse, tamen id a s. Augustino rationabiliter colligi atque probari.

Non vero desunt s. Scripturae loca, quibus Assumptionis veritas, si non comprobatur, tamen aliquatenus innuitur. „Surge, Domine, inquit Psalmista regius,[3]) in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae.“ Quia „tu“ et „arca“ distinctas designant personas et sub termino „arcae“ b. Virgo communi interpretatione intelligitur, hinc nonnulli de Christo ejusque Matre illa intelligunt verba. Ita Nicephorus[4]) et Glycas. „Consimili nimirum modo, inquit Glycas,[5]) et ipsam Dei Matrem ex mortuis resurrecturam fuisse, quo Filius resurrexerat, multo ante beatus ille Davides hujusmodi verbis significaverat: „Surge, Domine, in requiem tuam; tu, inquam, ipse et arca sanctitatis tuae.“ Nam quia norat Davides, eam, quae Christum utero suo gestasset, ac illam ipsam ob causam arca sanctitatis esset atque nuncuparetur, eodem pacto resurrecturam e sepulcro, quo et natus ex ipsa Christus Dei Filius et Deus re-

---

[1]) Serm. I, de Assumpt. Virg. [2]) III, q. XXVII, a. 1. [3]) Ps. CXXXI, 8. [4]) Hist. eccl. cp. 23. [5]) Annal. p. III, apud ven. Canisium l. c. p. IV, pag. 71.

surrexit: idcirco non abs re consimilem utriusque resuscitationem ex mortuis multo ante quasi pictura quadam expressit; etenim ni res ita se haberet, non sane, posteaquam dixerat, „Surge, Domine," subjecisset „et Arca sanctitatis tuae."

Idem comprobatur ex illo Davidico:[1]) „Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate." „Hic enim, advertit l. c. ven. Canisius, Deiparam Matrem semper Virginem designari post Athanasium[2]) Glycas[3]) comprobat, quae corpore post mortem induta, Filio suo proxime assistat, et cum eodem immortali Rege una regnet, non quantum ad aequam administrationem, sed quantum ad eandem humanae carnis substantiam spectat." Quibus s. Scripturae verbis veritas, de qua nobis sermo, saltem innuitur, dum ea

1. communi Ecclesiae sensu apertissimis verbis proponitur et affirmatur. Legimus enim in collecta Sacramentarii s. Gregorii,[4]) s. Dei Genitricem mortem subiisse temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuisse. „Veneranda nobis, Domine, hujus diei festivitas opem conferat salutarem, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen „mortis nexibus deprimi potuit," quae Filium tuum de se genuit incarnatum." „Neque enim, scribit ad haec Benedictus XIV.,[5]) ullus alius tribui potest sensus illis verbis „mortis nexibus," quam ut corporis corruptionem significent, a qua per triumphalem in coelum Assumptionem suam liberata est."

Assumptionis officio inseruit Ecclesia lectiones per s. Joannem Damascenum[6]) et per Doctorem Mellifluum[7]) compositas, in quibus corporea b. Virginis Assumptio

---

[1]) XLIV, 10. [2]) Serm. de sanctissima Deipara. [3]) Annal. p. III. [4]) Ex Codice Gelasiano a s. Gregorio confecto. [5]) L. c. cap. VIII, n. 17. [6]) Ex orat. II, de Dormitione B. M. V., ex lib. de fide orthodoxa cp. 15. [7]) Ex serm. I, sicuti ex serm. IV, de Assumptione B. M. V.

expresse asseritur. Ex quo luce clarius patet, „Dei Ecclesiam, ut Baronii[1]) utamur verbis, propensiorem in eam partem videri, ut una cum corpore assumpta sit in coelum. Nam in hujus diei celebritate illas sanctorum Patrum homilias legendas tradit, quibus ea de Assumptione affirmantur." Ideo etiam audiuntur cantica: „Assumpta est Maria in coelum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum. Maria assumpta est ad aethereum thalamum, in quo Rex Regum stellato sedet solio. Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad coelestia regna."

Nec dissentit Ecclesia graeca in Synodo Hierosolymitana adversus Calvinistas anno 1672 habita de b. Virgine profitens: „Ipsa est procul dubio sanctissima, quae magnum in terra signum quum exstiterit, eo, quod Deum in carne genuit et post partum integerrima Virgo permansit, recte etiam signum esse dicitur in coelo, eo quod ipsa cum corpore assumpta est in coelum. Et quamvis conclusum in sepulcro fuerit immaculatum corporis ejus tabernaculum, in coelum tamen, uti Christus fuerat assumptus, tertio et ipsa die in coelum migravit."

Nonne ergo optime jure cum Cardinali Gotti[2]) contendere possumus: „Communi Ecclesiae judicio, quae in simili materia errare non potest, corporea beatae Virginis Assumptio colenda publice proponitur?" [3]) Probamus

2. ex ss. Patrum Auctoritate.

Vetustissimi primaevae Ecclesiae Patres siluerunt quidem testante Benedicto XIV.,[3]) de corporali b. Virginis Assumptione, dum medio aevi postremaeque aetatis Patres graeci et latini dissertissime eam tradunt. Nec hoc mirum profecto! Exstiterunt enim prioribus temporibus haeretici, inter quos speciatim Collyridiani docentes, b. Virginem divinae fuisse naturae atque ideo

---

[1]) In Notis ad Martyrol. Rom ad 15. Aug. [2]) De verit. relig. Christ. tom. IV, p. II, cp. 41 §. 2. [3]) L. c. cp. VIII, n. 75.

mortis prorsus expertem. Si ergo ss. Patres contra istos similesque haereticos pugnantes corporalem b. Virginis Assumptionem docuissent, propagandi suos errores ansam facillime istis praebuissent.

Sanctorum Patrum, qui b. Virginis assumptae laudes eloquentissime praedicarunt, agmen aperiat d. Augustinus. Considerans sublimissimam s. Deiparae dignitatem non potest, quin exclamet:[1]) „Tam pretiosum thesaurum dignius est coelo servari, quam terra: tantam integritatem merito incorruptibilitas, non putredinis aliqua resolutio sequitur.“ Labente saeculo VI. occurrit nobis s. Gregorius Turonensis, qui Assumptionis solemnitatem primus in Galliam creditur intulisse. „Dominus, inquit,[2]) susceptum Virginis corpus sacratissimum in paradisum deferri jussit, ubi nunc resumpta anima cum electis ejus exsultans aeternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur.“ Eadem tradidit saeculo VII. s. Ildephonsus Toletanus scribens:[3]) „Nec sane illud omittere debemus, quod multi pietatis studio libentissime amplectuntur, eam hodierno die ad coeli palatia corporaliter fuisse sublatam.“

Nec aliter loquitur Andreas Cretensis, qui hoc festum primus apud Graecos celebre fecit. „Sicut non fuit corruptus, inquit,[4]) Mariae parientis uterus, ita mortuae caro non interiit. Partus effugit corruptionem et sepulcrum non admisit interitum. Stat enim sepulcrum inane usque ad hodiernum diem, quod et testimonio approbatum est, et approbat factam translationem . . . . Spectaculum inter omnia, quae spectari possunt, pulcherrimum hodie exsurgens ac coelos omnes late penetrans, eos cum sempiterna illa mente ac spiritu sermones miscet; quos is vel solus vel maxime novit, qui corpus et animam illius primo inter se vinxerat moxque

---

[1]) Lib. unic. de Assumpt. [2]) De mirac. cp. IV. [3]) De Assumpt. Serm. VI. [4]) In Encom. de Dormit. Virg.

soluta indissolubili societatis vinculo inter se rursum colligaverat."

Luculenter probat veritatem hanc etiam s. Germanus. „Tum virginale corpus, scribit,[1]) omni ex parte sanctum, exceptum ad summam incorruptibilitatem vitae illaesum, vivum, spirans, perpetuo imposterum indemne servatur, ut vas, quo Deus exceptus est." Mirabilia sunt quoque dicta s. Joannis Damasceni ita disserentis:[2]) „Hodie sacra et animata arca Dei viventis, quae suum in utero gestavit artificem, requiescit in templo Dei: et ideo choros ducunt Angeli, celebrant Archangeli, throni diem festum agunt, laudant Cherubin, gloriam ejus praedicant Seraphin." Et bene sciens, quod ex Apostolica habemus traditione, scilicet s. Virginis corpus paucis diebus in sepulcro jacuisse et postea vacuum fuisse inventum sepulcrum, alloquens dicit: „Ubi est illud aurum purum, quod manus Apostolorum in te condiderunt? Ubi divitiae illae, quae consumi nequeunt? Ubi tandem desiderabile Virginis corpus?" Quid quaeritis, respondet, in sepulcro illam, quae ad coelestia translata est tabernacula; corpus relictis sindonibus abiit in sublime."

Quod praeclaro suo testimonio roborat s. Bernardinus Senensis. „Sicut non dedit Dominus, inquit,[3]) Sanctum videre corruptionem i. e. Christum, sic et Sanctam suam, de qua natus est Sanctus; sed corpore et anima in coelum est assumpta." Huc quoque spectat magni Aquinatis testimonium. Agens enim[4]) de tribus

---

1) De Dormitione Deiparae serm. 2. 2) In serm. huj. festi. 3) Serm. 51 tom. 1, a. 1 cp. 1. 4) In Exposit. super salut. Angel. „An einer anderen Stelle, scribit Morgott l. c. pag. 118, wo der heil. Lehrer den mystischen Sinn der Dreitheilung der consecrirten Hostie bei der Feier des hl. Opfers erklärt, schließt er sich der Auffassung des Papstes Sergius an: der in den Kelch gelegte Theil bedeute den wiedererstandenen Leib Christi, oder, fügt er bei, „Christum selbst und die seligste Jungfrau oder andere Heilige, wenn es solche gibt, die bereits auch dem Leibe nach in die ewige Seligkeit eingegangen sind" — setzt also die Himmelfahrt

maledictionibus, quae datae sunt hominibus propter peccatum,“ ita scribit: „Tertia fuit communis viris et mulieribus, ut scilicet in pulverem reverterentur. Et ab hac immunis fuit b. Virgo, quia cum corpore est assumpta in coelum.“ Et haec quidem de ss. Patribus dixisse sufficiat.[1])

Communis ergo ss. Patrum ac universalis Ecclesiae doctrina, beatissimam Virginem a corruptione et a conversione corporis humani in pulverem fuisse immunem. Quum enim corruptio haec ac in cineres redactio poena sit peccati originalis, s. Deipara autem a labe illa omnino fuerit libera, hinc nullatenus dubitandum, ipsam etiam ab hac poena exemptam et post mortem una cum anima et corpore in coelum fuisse assumptam. Probatur haec veritas

3. *ex ratione*, speciatim ex dignitate Matris Dei, ex intima cum Christo Filio conjunctione nec non ex Filii in Matrem dignissimam affectu et amore petita.

a. Beatissimae Virginis corpus, si non surrexisset, vel integrum et incorruptum in terra perstitisset, vel in cineres fuisset redactum. At neutrum admitti potest. Neque prius; nullibi enim terrarum corpus invenitur virgineum venerationi expositum, quod s. Deipara certissime mereretur prae omnibus caeteris Sanctis; alias major illis tribueretur praerogativa, quam b. Virgini. Incredibile quoque videtur, Deum permisisse, ut b. Virginis corpus absque honore in occulto et inviso loco tamdiu jaceret. Eam Hierosolymis mortuam et sepultam fuisse, supra demonstratum est. De sepulcro Hierosolymitanus Ar-

---

Mariens als eine ebenso sichere und bekannte Wahrheit voraus, wie die des Herrn selbst.“

[1]) Censente Natali Alexandro (hist. eccl. saec. 2 cp. 4 a 3) nonnulli s. Patres dubitarunt de gloriosa b. Virginis Assumptione, inter quos etiam s. Epiphanius (haeres. 78 §. 11). At hic non de b. Virginis Assumptione, sed de ejus morte dubitat idque ideo, quia nullum mortis vestigium in s. literis invenit.

chiepiscopus Juvenalis tradit, „Apostolos totum triduum ad Mariae Deiparae monumentum perseverasse atque quum clausum illud aperuissent, sepulcralia tantum lintea illic invenisse, intemeratum vero corpus ejus jam translatum nusquam apparuisse.“[1])

B. Virginis corpus sacratissimum non fuit redactum in cineres. Decebat enim divinam aequitatem, ut Deiparae corpus in exitu ejus e vita custodiret immune, quod praeclare probat d. Augustinus[2]) ostendens, ad Domini dignitatem pertinere, Matris suae honorem servare, quum non venerit, legem solvere, sed adimplere, servando illam a corruptione, quum in ipsius esset potestate. „Lex, sicut honorem Matris praecipit, ita inhonorationem damnat: qui enim in vita prae ceteris illam gratia sui conceptus honoravit, pium est credere, singulari salvatione eam in morte et speciali gratia honorasse; potuit enim eam a putredine et pulvere alienam facere, qui ex ea nascens potuit virginem relinquere.“ Exigebat ergo Filii erga Matrem honor, ut quum posset, eam ab omni eximeret dedecore, quale est corporis corruptio. Putredo enim et vermis humanae est opprobrium conditionis, testante d. Praesule l. c., a quo opprobrio, quum Jesus sit alienus, natura Mariae excipitur, quam Jesus de illa sumpsisse probatur; caro enim Jesu est caro Mariae. Ex identitate ergo carnis parentis cum filio probat s. Augustinus corporis b. Virginis incorruptionem. Mater si subjaceret vermibus, quomodo Filius a corruptione posset dici totus liber? Caro filii est caro Matris, quare et Christi et Mariae caro una eademque est caro et hujus carnis una pars non potest discedere a tota carne. Aut ergo tota Christi caro non permansit illibata aut corpus Matris incorruptibile conservatum fuit propter corpus Filii sui.

---

[1]) Apud ven. Canisium l. c. p. IV, sect. II, cp. V. [2]) De Assumpt. B. M. V. serm. IV.

Copiosissime hoc de argumento inter alios scripsit s. Petrus Damianus, cujus verba hic in medium proferre liceat. Indicat,[1] summos Pontifices in suis decretis statuisse, ut, si unus conjugum vitam amplectatur religiosam, alter in saeculo nequeat remanere, quia, quum matrimonii vinculo fuerint una caro juxta illud:[2] „Erunt duo in carne una,“ non aequum aut rationabile putarunt, ut partibus unius carnis tanta violentia ab invicem disjunctis, una in monasterio, altera remaneat in mundo. „Sicuti ergo hoc indecens est, inquit, sic et indecens videri debet, si altera pars carnis virgineae sit in coelo et altera reddatur solo; si parti alteri datum sit, non videre corruptionem et altera solvatur in cineres.“ Quare concludit: „Maria ergo a communi viri et mulieris maledictione facta est immunis, qua dictum est, in cinerem ibis.“

Voluit benignus Dominus, testante Isidoro a s. Aegidio,[3] ut parietes ex lapidibus calce et arena aedificati, in quibus ipse carnem assumpsit humanam et in quibus multis annis in Nazareth moratus est, praeservarentur illaesi et integri, prout usque ad haec tempora videre est in domo Lauretana, ita ut nec voraces temporis dentes nec rapacis manus violentiae nec bellorum aliarumque desolationum injuriae illis officere vel minimum quid abradere queant: quanto ergo congruentius fuit, ut corpus illud sanctissimum, Spiritus sancti sacrarium, „in quo habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter“[4] incorruptionis gauderet privilegio? Maxime quum Salmeron dicat:[5] „Quae jure

---

[1]) De Assumpt. serm. II. [2]) Gen. II, 24. [3]) Corona stellarum duodecim b. Virginis in festo Assumptionis. [4]) Col. II, 9. [5]) Tract. XXXVIII. „Es ist diese Auferstehung und Wiedervereinigung ihres verklärten Leibes mit der Seele, inquit Morgott l. c. pag. 118, nicht so fast ein neues Vorrecht der seligsten Jungfrau, als vielmehr die logische Folge aller ihrer anderen Privilegien, die nothwendige Vollendung ihres ganzen, außerordentlichen, übernatürlichen Wesens und Lebens. In diesem

suo Christo debentur, ex privilegio in Matrem Virginem extenduntur. Si a labe culpae originalis illam, necdum Matrem, servavit, ergo etiam a corruptione, verme et foetoris incineratione." Si eam singulari gratia et benedictione praeveniens, ideo a primi parentis labe servavit immunem, quia futura erat Deipara: quanto magis credendum est, quod illam a corruptionis et redactionis in cineres labe custodierit illibatam, postquam piissimae matris officio fidelissime perfuncta, postquam novem per menses eum in castissimo gestavit utero, postquam flagrantissimo materno eum educavit affectu nec in morte, ubi omnes eum deseruere, ab illo discessit?

„Oportebat, exclamat s. Damascenus,[1]) eam, quae Deum Verbum in suo utero hospitio exceperat, collocari in divinis Filii sui tabernaculis . . . Oportebat sponsam, quam Pater despondit, degere in thalamis coelestibus. Oportebat eam, quae suum Filium in cruce aspexerat, et doloris, quem in partu effugerat, gladium in corde acceperat, videre sedentem cum Patre." S. Damasceno optime consonat Rickelius inquiens:[2]) „Omnino decuit, ut Christus Deus omnipotens Matrem suam dignissimam non in anima solum, sed etiam in corpore, summo veneraretur honore. Hoc enim purissimum est corpus, ex quo Dei Filius suum corpus formatum ad hypostaticum esse divinum assumpsit, et cujus fido ministerio tam frequenter atque familiariter usus fuit. Proinde nullo modo congruit, ut hoc ipsum sacrosanctum corpus vel in terra computresceret, vel sine corruptione tamdiu jaceret, aut alioquin obscurum, occultum, ignotum ac omnis expers honoris, qui sanctorum venerandis reliquiis exhiberi solet, alicubi asservaretur. Quid multis? Si potuit

Sinne haben bereits die hl. Väter die fromme geschichtliche Tradition von ihrem Hingange begründet und die mittelalterlichen Theologen sie festgehalten und fortgeführt."

[1]) Serm. de Dormit. Virginis. [2]) Lib. IV, de laud. Mariae art. 3. et de festo Assumpt. serm. 3. apud ven. Canisium l. c.

Christus, quia omnipotens, a corruptione corporis Matrem suam integram servare; si novit praeterea, quia summe sapiens, qua ratione id ipsum effectum redderet: si voluit demum, quia benignissimus, hoc ultimo beneficio suum studium in honoranda Matre testari: quis ambigat porro, Deiparam hanc accepisse gratiam, tali Matri ac Reginae si non debitam ac certe quidem honorificam, nullique Sanctorum justius deferendam, ac tali Filio in amanda et ornanda Matre maxime congruentem?"

b. Aliam congruentiae rationem suppeditat nobis ven. Canisius. „Etsi mortales omnes, inquit,[1]) sicut ethnici quoque scriptores testantur, naturali quodam felicitatis desiderio teneantur, tamen piorum et Christum sincere amantium manet proprium, ut in hoc mortali corpore peregrinantes et cum verae fidei luce ambulantes, non animae solum felicitatem expectant, sed ad corporis etiam redemptionem et consequentem ejus felicitatem vehementer aspirent; nimirum, ut imagini Filii suique capitis hoc quoque modo conformes efficiantur. Qua in re Maria quidem nihil a sanctis aliis diversum habuit, sed potius hoc ipsum desiderium, ut corpore bearetur, tanto magis in illa peregrinante videtur arsisse, quanto certius de dotibus corporis glorificati cognoscebat, quantoque jucundior erat illi memoria Christi Filii, quocum tam praeclare ageretur in illa gloriosa et augusta suae carnis post mortem resurrectione."

c. Sanctissimam Dei Genitricem una cum corpore in coelum receptam esse, putante Baronio[2]) nec adeo mirum vel novum videri debet, quum, si caetera in illam collata pensentur beneficia, hoc levius videri debeat, quod et aliis plurimis constat divina liberalitate concessum. „Quod si Enoch in sublime raptus et Elias curru coelesti avectus vitam corporis integram conservarunt, Deo in illis mirabiliter operante, cur, interrogat

---

[1]) L. c. pars IV, sect. II, cp. V. [2]) Annal. tom. I, ann. 48.

jure optimo Andreas Cretensis,[1]) cur de Maria dubitemus, quod mortua ex infirmitate, revixerit tamen ex Dei virtute nec viderit corruptionem?"

Hoc de s. Joanne Evangelista inter alios refert Nicephorus.[2]) Juxta s. Matthaeum Evangelistam[3]) „multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis." Plus quam probabiliter hoc intelligitur censente Kolvenerio[4]) de resurrectione ad vitam immortalem, alioquin non satis idonei fuissent testes Resurrectionis, si resurrexissent iterum morituri. Confirmatur ex textu Evangelii, in quo dicuntur tantum „apparuisse multis," non autem conversati esse cum hominibus.

Sententiae huic subscripserunt d. Ambrosius[5]) et s. Anselmus. „Qui resurgente Domino resurrexerunt, inquit d. Anselmus,[6]) Beda testante, etiam cum illo ascendente simul ascendisse credendi sunt. Nec ulla ratione illorum temeritati fides accomodanda est, qui postea illos reversos in cinerem dicunt." Idem tenent Cajetanus,[7]) Jansenius,[8]) Estius,[9]) Canisius[10]) aliique plures. Si haec praerogativa tam „multis corporibus Sanctorum" attributa est, quis Domini Matri eandem denegabit?

„Dominus custodivit introitum tuum, sanctissima Virgo, et exitum tuum." [11]) A duplici enim periculo, cui cuncti mortales se vident subjectos, tu sola fuisti praeservata. Uti in primo vitae tuae instanti a protoparentis noxa originaria fuisti immunis, ita nec pulvis nec corruptio sacratissimum corpus tuum post mortem tangere audebant.

---

[1]) Orat. de Virg. Assumptione. [2]) Hist. eccl. lib. II, cp. 42. [3]) XXVII, 52 sq. [4]) L. c. p. II, pag. 118. [5]) Serm. 74. [6]) Ad Matth. XXVII, 52. [7]) In III, q. 53. art. 3. [8]) Concord. evang. cp. 153. [9]) Ad 1 Cor. XV, 20. [10]) De b. Maria lib. V, cp. V; apud Kolvenerium l. c. [11]) Ps. CXX, 8.

arca illa, tabulas legis lapideas continens, illaesa
:batur summoque in honore habebatur, quanto
u hac pretiosissima decorari debuisti praerogativa,
. illam veteris testamenti arcam praefigurasti nec
legem, sed ipsum legislatorem in castissimo tuo
,i utero?[1])

§. 2.

Quando b. Virgo fuerit assumpta.

i aliam hac de quaestione tenuere tenentque opi-
ı. Fuerunt enim
qui b. Virginem ipso obitus die assumptam
asseruerint, quum Ecclesia eodem die et Mortem
elebret et Assumptionem. Ita inter alios Gretserus.[2])
Alii id factum fuisse putant die ab obitu qua-
esimo i. e. die 23 m. Septembris, quo die advertente
nerio[3]) in quibusdam martyrologiis notatur: „Se-
ı Assumptio sanctae Mariae Virginis.“ Concepta
aec opinio ad similitudinem Ascensionis Jesu Christi,
ie quadragesimo post Resurrectionem suam gloriosus
ıdit in coelum. Verum non eadem utriusque ratio.
ssarium enim aut conveniens erat, Christum ad pro-
am suam Resurrectionem et ad docendos discipulos
ıamdiu post eam hoc in mundo corporalem suam
bere praesentiam; nullatenus autem conveniebat nec
sse erat, b. Virginis corpus tamdiu remanere in se-
ro clausum
:. S. Birgitta refert, corpus Marianum per dies
ndecim in sepulcro permansisse. „Quindecim diebus,
:lat ibi[4]) b. Virgo, corpus meum jacuit in terra se-

---

[1]) Alias rationes videbis in IV. appendice. [2]) In lib. III,
ıment. ad cp. 15 Georgii Codini de Officiis et Officialibus
iae Constantinopolitanae apud Kolvenerium l. c. p. II, pag. 119.
ı. c. p. II, pag. 120. [4]) Lib. VI, Revelat. cp. 62; cfr. lib. VII,
26.

pultum, deinde cum multitudine angelorum fuit assumptum in coelum."

4. B. Virgo post triduum mortis in corpore fuit assumpta juxta sententiam communem, quam recenset Nicephorus [1]) ex Juvenalis, Archiepiscopi Hierosolymitani, historia tenetque inter alios s. Joannes Damascenus. „Non oportebat, inquit, [2]) illud divinum habitaculum, illum fontem, qui exhauriri non potest, coërcere in sinu terrae; sed quomodo, quod ex ea constitit Verbi Dei corpus et integrum et interituí minime obnoxium, tertio die resurrexit ex monumento; ita etiam eripi e sepulcro decebat, et matrem transferri ad filium. Et quomodo ipse ad eam descendit, sic etiam eam illi dilectissimam ad ipsum extolli in majus et perfectius tabernaculum. Certe non minori spatio caro ejus relicta videtur in sepulcro, quam caro filii Dei, sed nec diutius remanere debuit."

Eadem tradit Azorius scribens: [3]) „Communis est sententia, suscitatam a mortuis eam fuisse et in coelum introductam tertio ab obitu die, ut sic constaret, eam vere obiisse et Filio post triduum ex mortuis resurgenti similem fuisse." Neque aliter loquuntur Kosterus, [4]) Christophorus de Castro, [5]) Jacobus Canisius [6]) et Suarez existimans [7]) probabiliorem conjecturam eorum, qui tertio ab obitu die b. Virginem revixisse dicunt. Cui sententiae subscripsit Synodus Hierosolymitana anno 1672 contra Calvinistas habita hisce verbis: [8]) „Ipsa cum corpore assumpta est in coelum. Et quamvis conclusum sepulcro fuerit immaculatum corporis ejus tabernaculum:

---

[1]) Hist. eccl. lib. II, cp. 23. [2]) Orat. II, de Assumpt. [3]) L. c. p. II, lib. I, cp. 20. [4]) L. c. med. XXXIIV. [5]) Hist. Deiparae cp. XXIV. [6]) Meditat. p. IV, §. 55; apud Kolvenerium l. c. p. II, pag. 134. [7]) In III, p. tom. II, disp XXI, sect. 2. [8]) Ex homilia s. Cyrilli in Dormitionem Virginis Deiparae apud Harduinum tom. XI, Conc. pag. 199; cfr. Sandinus l. c. pag. 403.

coelum tamen, uti Christus fuerat assumptus, tertio ipsa die rediviva migravit."

§. 3.

ɪrum b. Virginis Assumptio sit fidei articulus.

Negative respondendum contra Catharinum.[1]

„Quae traduntur ab Ecclesia, scribit ven. Canisius,[2]) ı unius generis esse constat, sed alia ut certa et ex-ɔata dogmata proponi, a quibus citra impietatis notam ıd liceat discedere; alia vero tacito fidelium consensu longaevo Ecclesiae usu corroborata vim quamdam legis ipere, ut nemo, nisi temerarius, illis contradicat. rsus ea, quae ritu cultuque publico celebrat Ecclesia ıedam ejus sunt generis, ut tamquam pia et probabilia to magis credantur, quanto studiosius a doctoribus ›robantur, majoreque consensu fidelium recipiuntur. hanc classem pertinet, quod Deiparam non solum na, sed etiam corpore in coelum assumptam per-eque beatam profitemur."

Ita omnes docent theologi. Audiamus Suarez de estione proposita hisce verbis disserentem:[3] „Sen-ia Assumptionis Virginis in corpore et anima in um non est de fide; quia neque est ab Ecclesia de-a, neque est testimonium Scripturae aut sufficiens itio, quae infallibilem faciat fidem: tamen summae əritatis reus crederetur, qui tam piam religiosamque entiam hodie impugnaret." Plenissime consentit Na-s Alexander negans, b. Virginis Assumptionem esse articulum, et subjungens:[4] „Sed pietatis officio non i nec dubitavi, aut in dubium revocari posse censui, Deipara Virgo redivivo corpore in coelum assumpta

---

) In lib. contra Cajetanum lib. IV. [2]) L. c. p. IV, sect. II, . [3]) III, p. q. XXXVII, a. 4 disp. 25 sect. 2. [4]) Hist. eccl. II, cp. 4 in additionibus.

sit; quinimo eam sententiam omnino amplectendam esse dixi, ut piam ac congruis rationibus longe probabiliorem, quia ut talem amplectitur Ecclesia, adeo ut temeritatis notam non effugeret, qui de illa dubitaret.“ Etsi ergo b. Virginis Assumptio non sit articulus fidei, nullatenus eam vel amplecti vel refellere licet.[1])

Assumpta est Maria in coelum, „exaltata Dei Genitrix super choros Angelorum ad coelestia regna.“ [2]) Admiraris in Angelis primaevam puritatem, in Patriarchis fidem, in Prophetis spem, fervorem in Apostolis, fortitudinem in Martyribus, in Confessoribus justitiam, sapientiam in Doctoribus, in Virginibus integritatem: nonne beatissimam Virginem et quidem jam mundum introeuntem in his omnibus ineffabiliter excellere comperis? Quae quum vivens semper auxisset gratiarum thesaurum seseque ad perfectionis culmen altius semper elevasset, quanam gratiarum abundantia ditata hac ex vita discessit, quam incomprehensibile gloriae promeruit praemium? Non enim est, qui ignoret, gratiae et gloriae privilegia inter se esse correlativa teste angelo Scholae. „Gratia et gloria, inquit,[3]) ad idem genus referuntur; quia gratia nihil est aliud, quam quaedam inchoatio gloriae in nobis.“ Quam veritatem considerans devotissimus Idiota[4]) b. Virginem hisce alloquitur verbis: „Sanctorum omnium privilegia o Virgo! omnia habes in te congesta: nemo aequalis tibi, nemo major, nisi Deus.“

Triplici virginitatis, doctoratus[5]) et martyrii[6]) aureola

---

[1]) Cfr. IV. appendix. [2]) Ita Ecclesia in divino officio. [3]) 2ª 2ae q. XXIV, a. 3. 2. [4]) Tom. III, Bibl. sanct. [5]) „Ihr gebührt das Verdienst der Apostel und Evangelisten als Lehrerin der Lehrer, scribit Morgott l. c. pag. 120. Denn viele von den Geheimnissen, welche die Apostel durch Wort und Schrift der Welt verkündet, konnten sie nur von ihr erfahren, die sie allein wußte, wie namentlich die Botschaft des Engels, ihre wunderbare Empfängniß und dergl.“ [6]) Titulo „regina Martyrum“ donatur in litaniis Lauretanis ab Ecclesia approbatis.

nirabundi videmus ornatam coelorum Reginam, quae Deo cognoscenda reservatur rectiusque nominatur ninum miraculum, quam homo. „Magnum re vera aculum, exclamat d. Chrysostomus,[1]) fuit b. Virgo ia. Quid namque illa majus aut illustrius ullo unm tempore inventum est aut inveniri poterit?". „Quid dicam, quid proloquar, interrogat s. Epiphanius,[2]) pacto praedicabo gloriae apicem? Solo enim Deo pto cunctis superior existi; nam formosior es ipsis rubim, Seraphim et omni exercitu angelico, cui dicandae coelestis ac terrena lingua minime sufficit, vero nec Angelorum."

Ex dignitate prorsus singulari, quam b. Virgo vivens erra habuit habetque triumphans in coelis, sponte specialis cultus illi debitus, de quo sermo erit in one sequenti.

) Serm. in festo Nativ. B. M. V. [2]) Serm. encomiast. B. M. V.

SECTIO II.

DE CULTU BEATISSIMÆ VIRGINI DEBITO.[1])

**„Admitte, virgo o inclyta, hic quando tibi
Verbi parenti, sed supra modum tamen
Legemque solus inter omnes contigit
Honor."**
S. Gregorius Nazianzenus in traegoedia de Christo patiente.

„Cogitanti mihi, inquit ven. Canisius,[2]) ex quo fonte hoc malum proveniat, ut novae religionis[3]) amantes . . . . totum Mariae cultum in Ecclesia tam infense oderint, ac in suis ecclesiis impie abrogarint, duae quidem praecipue causae, satanae invidia, et hominum coecitas ac ingratitudo, venerunt in mentem. Etenim Dei et bonorum omnium adversarius, qui se vera coelestique felicitate privavit, alienae, hoc est sanctorum omnium, et Mariae inprimis felicitati summopere invidet, impatientissimeque fert tantum virtutis, decoris et gloriae, quantum mortales atque coelites in Deipara satis admirari non possunt, in sexu femineo resplendere. Dolet

---

[1]) Cfr. „De hyperdulia ejusque fundamento." Dissertatio historico-theologica auctore Haine. [2]) De Maria Virgine incomparabili libri quinque pars IV, sect. II, cp. VIII. [3]) B. Virginis laudatores inter haereticos albo corvo rariores apparent; attamen reperiuntur hujusmodi. Lutherus v. g. in postilla ad Evang. festi Nativ. B. M. V. sese ita exprimit: „Volumus ei etiam titulum gratiosae Dominae tribuere, nec invidere honorem, quo eam Deus dignatus est." Sed aliis locis idem haeresiarcha blasphemias in s. Deiparam evomere haud erubescit. „Omnes, inquit in postilla majori Dom. I, post Epiph, evangelica fide renati pares ei sumus in honore, tam sancti sumus, atque ipsa, dummodo in Christo canamus." Oecolompadio in conc. de omnib. sctis „Mariae veneratio est cultus idolorum."

eterea superbissimus, tam infeliciter sibi primum cum
ıine certamen successisse, ut qui primam mulierem
ıque semen vicerat ideoque mundi princeps effectus
;, nunc per Mariam ejusque semen non modo devictus,
etiam velut e suo principatu et regno ejectus exsulare
ıtur. Rursus dolet illi, Christum adeoque tres sanc-
mae Trinitatis personas tam impense et ex professo
totam Ecclesiam in hac una muliere, plus quam in
puris creaturis omnibus, glorificari. Dolet insuper,
ıantis cum Christo Matris incomparabilem beatitu-
ım, ac singularem gloriam in multorum animis cum
fico gaudio spiritus toties renovari .... Si de ho-
um coecitate ac ingratitudine dicendum est, quam
ti hodie inveniuntur, qui satanicis praestigiis impediti,
iae .... cultum omnem ridere potius quam probare
nt; quique Ecclesiae in Virgine colenda et honoranda
iose versanti hostiliter adversentur ac petulanter ob-
tent." Sic ille. Antequam cultum b. Virgini exhi-
lum contra Mariomastiges astruamus, nonnulla de
ıs natura ac divisione praemittenda sunt.

.. Cultus sive honor — voces in vulgari sermone
niscue usitatae — juxta d. Thomam[1]) „testificationem
ıdam de excellentia alicujus" importat. „Honor, in-
s. Doctor,[2]) exhibetur alicui propter aliquam ejus
llentiam, et ita est signum et testimonium quoddam
s excellentiae, quae est in honorato." Quae excel-
a quum naturalis aut supernaturalis esse possit,
n cultus duplex distinguitur in civilem, profanum
politicum, et in religiosum seu sacrum.

ii excellentia illa ad civilem hominum societatem
inet aut in rebus naturalibus posita est, dicitur
ıs seu honor civilis. Cultus religiosus est alterius
uperioris generis; exhibetur enim ob dotes supra
em naturam constitutas nominaturque religiosus, non

) 2a 2ae q. CIII, a. 1. [2]) 1a 2ae q. II, a. 2.

quod a religione per se prodeat et eliciatur, uti apprime advertit Vuitasse,[1]) quum religio circa solum Deum versetur aut potius ejus cultum; sed quod a religione imperetur et illius quaedam veluti sit appendix. Eo enim ipso, quod Deum colis, movearis necesse est, ut omnia illius dona, ubicunque sint, et ames et venereris.

2. Cultus et profanus et sacer seu religiosus iterum bifariam distinguitur, nempe in absolutum et relativum. Ille defertur alicui propter excellentiam seu bonitatem intrinsecam et propriam, hic e contra propter excellentiam extrinsecam. Sic etiam aliquid amari potest vel per se, quia in se bonum est, vel propter aliud, ad quod est utile. En amor absolutus et relativus. Sola res intellectualis potest coli cultu absoluto, quia quum homo sit natura intellectualis, non potest prudenter et honeste ac propter suam dignitatem alteri rei propter ejus excellentiam se submittere, nisi sit naturae vel ejusdem vel excellentioris. Res vero non intellectuales possunt cultu relativo coli; quum enim non colantur propter se, excellentia non sistit in illis, sed in ipsas personas, propter quas coluntur, redundat.[2])

3. Cultu absoluto colimus primario Deum, secundario Sanctos ejus, „qui licet excellentiam participatam a Deo seu dotem supernaturalem ab Ente supremo derivatam habeant, re ipsa tamen in suo genere habent eamque sibi meruerunt, quum libere divinae gratiae sint cooperati, sicque juxta verba Concilii Tridentini[3]) „ipsius Dei dona facta sint eorum merita.“ Cultus ergo in illis, donis supernaturalibus decoratis, terminatur absolute, licet in Deum tamquam eorum excellentiae auctorem fontemque redundet. Quo sensu intelligenda sunt s. Hieronymi verba:[4]) „Honoramus servos, ut

[1]) Tractatus de Verbi divini Incarnatione p. II, q. XI, art. II. [2]) Cfr. Theologia speculativa et moralis auctore Preingué tom. VII. disp. VIII, q. 1. [3]) Sess. VI, de Justif. cp. 16; cfr. Haine l. c. pag. 8. [4]) Epist. ad Riparium de errore Vigilantii n. 1.

r servorum redundet in Dominum.“ Cultu e contra ivo honoramus v. g. principis effigiem vel legatos principis gerentes, eodemque modo etiam sanc-n imagines; totus enim cultus iis praestitus ad m refertur prototypon. Audiamus s. Thomam hac e disserentem. „Quia idem motus est in imaginem, it,[1]) in quantum est imago, et in imaginatum, hinc ι communiorem sententiam sacras imagines eodem ı prosequimur, quo earum prototypa, sed relative ım, ita ut veneratio absolute et ratione sui feratur xemplar, et solum respective ad imaginem.“

. Cultus sacer seu religiosus aut supremus est subordinatus. Cultu supremo seu latreu-) — a voce graeca λατρεία — non colimus seu ado-ıs, nisi solum Deum, rerum omnium Creatorem illi-nos totos ut summo bono, fini nostro veroque Do-) subjicimus. Quo de cultu loquitur Malachias:[2]) ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Do-us ego sum, ubi est timor meus?“ Quare s. Damas-us: „Solum, inquit,[3]) rerum omnium procreatorem opificem adoremus et latriae cultu veneremur, ut m natura adorandum.“

Hoc nomine igitur praecellens ille cultus soli Deo nisque personis debitus continetur juxta ven. Cani-m,[4]) quem ut pure praestemus, nulli omnino crea-ιe, quemadmodum ipsi Creatori, talem tantamque jectionem, servitutem, reverentiam, timorem, amorem, orem ac obedientiam, quoad vivitur, exhibere fas est. ım enim omnibus in coelo et terra praeferre et colere venit; unum, inquam, omnibus nobis semper necessa-n, qui solus omni jure omnia sibi vindicat, omnia est, omnia intelligit, omnia efficit, a quo, tamquam no et supremo Domino dependent omnia, ad quem,

---

[1]) Sent. III, dist. IX, q. I, art. 2 quaestiunc. 2. [2]) Malach. I, 6. .pologet. lib. III. [4]) L. c. p. IV, sect. II, cp. XV.

velut finem universorum, spectant omnia; cui demum homo non solum animae, sed etiam corporis, quomodocumque cum ipso agatur, perpetuam debet servire servitutem.

Cultum hunc supremum dum nulli omnino, nisi excellentiae exhibemus increatae, cultus subordinatus excellentiae tribuitur supernaturali creatae nominaturque, si communis fuerit, cultus dulicus. Dulia — δουλεία — enim est reverentia alteri debita propter excellentiam supernaturalem communem in ordine gratiae et gloriae constitutam. Quare dulice veneramur sanctos Dei cum Christo in coelo regnantes, quorum vel orationes postulamus vel imploramus auxilium. Ad duliam quoque reducitur honor piis hominibus adhuc in terris degentibus ob praeclaras virtutes suas exhibendus. Ita expresse docet s. Augustinus inquiens:[1] „Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro evangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tanto devotius, quanto securius post certamina superata: quanto etiam fidentiore laude praedicamus jam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc usque pugnantes.“

Cultum medium inter latreuticum et dulicum, illi inferiorem huic superiorem, quem recepto jam vocabulo hyperdulicum seu ὑπερδουλείαν, quasi majorem δουλεία, nominant, illis attribuimus creaturis, quae propter insignem cum Deo conjunctionem cultum merentur omnino ampliorem, quam communem aliis sanctis debitum.[2]) Virgo utique beatissima, quae de carne sua Dei Filio

[1]) Contra Faustum lib. XX, cp. XXI; cfr. Haine l. c. p. 6.

[2]) Distinctio inter cultum latriae (cfr. Augustinus Civit. Dei lib. X, cp. 1), duliae et hyperduliae testante Grotio (in Matth. IV, 10) usu potius, quam vocum vi nititur, „quod usus primum Judaeorum Hellenistarum, deinde Christianorum, voci δουλείας relicto significatu generali, λατρειας nomen divino cultui assignasset.

enito carnem dederit, quae verum Deum re vera erit ideoque plerisque sublimissimis donata fuerit rogativis, digna censeatur necesse est, quae ab omni- creaturis honorem accipiat divinitati proximum.

dversarii nostri, imprimis Lutherus[1]) et Beza[2]) nctionem hanc inter latriam, duliam et hyperduliam iunt ridentque, „quum hoc discrimen aliquando in criptura confundatur et dulia pro latria vel Dei ı accipiatur neque solis conveniat creaturis." „Sed id quidem, respondet v. Canisius,[3]) saepe autem ıe nomen creaturis assignatur; latria vero, ut servitus soli reddenda, in novo Testamento semper accommo- r."

/erum non scholastici tantum, sed ante illorum ae- m jam s. Augustinus,[4]) ven. Beda,[5]) s. Joannes ıascenus[6]) aliique inter latriam et duliam distin- e docuerunt. „Colimus Martyres, inquit Hippo- sis praesul de utroque cultu diserte disserens, eo u charitatis et societatis, quo et in hac vita coluntur ti homines Dei . . . . . . at illo cultu, qui Graece ιεία dicitur, latine uno verbo dici non potest, quum quaedam proprie divinitati debita servitus, nec co- ıs, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Quum m ad illum cultum pertineat oblatio sacrificii, unde olatria dicitur eorum, qui hoc idolis exhibent, nullo lo tale aliquid offerimus, aut offerendum praecipimus, cuiquam martyri, vel cuiquam animae sanctae, vel uam angelo: et quisquis in hunc errorem delabitur, ipitur per sanam doctrinam, sive ut corrigatur, sive aveatur." Quo autem cultu quove fructu martyres orentur, in eodem capite describit s. Doctor. „Populus stianus, inquit, memorias martyrum religiosa solem-

---

1) In Postilla circa festum Epiph. 2) In adnot. ad cp. IV, h. 3) L. c. p. IV, sect. II, cp. XV. 4) Contra Faustum Mani- um lib. XX, cp. XXI; cfr. Civit. Dei lib. VIII, cp. 26. 5) In IV, Luc. 6) Apol. lib. III.

nitate celebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur atque orationibus adjuvetur: ita tamen, ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memorias martyrum, constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre aut Paule aut Cypriane?

Nisi porro idem sensisset magnus Aquinas, non scripsisset sequentia:[1] „Alia veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad latriam, et alia veneratione quasdam excellentes creaturas, quod pertinet ad duliam." Post pauca innuit, verbum „adorare" et stricte et latius sumi: „Secundum reverentiam ergo, quae creaturae excellenti debetur, Nathan adoravit David: secundum reverentiam, quae debetur Deo, Mardochaeus noluit adorare Aman, timens ne honorem Dei transferret ad hominem.[2] Et similiter secundum reverentiam debitam creaturae excellenti, Abraham adoravit Angelos, et etiam Josue.[3] Quamvis possit intelligi, quod adoraverint adoratione latriae Deum, qui in persona Angeli apparebat et loquebatur. Secundum autem reverentiam, quae debetur Deo, prohibitus est Joannes Angelum adorare.[4] Tum ad ostendendam dignitatem hominis, quam adeptus est per Christum, ut Angelo aequetur; unde ibi subditur: „Conservus tuus sum et fratrum tuorum:" tum etiam ad excludendam idololatriae occasionem; unde subditur: Deum adora." Non est igitur, quod quemquam haereticorum verbum „adorare" offendat. Quoties enim extenditur ad creaturas, late sumitur, — quare secunda Nicaena Synodus: „adoramus, inquit, homines, Angelos et Sanctos."[5]

---

1) 2a 2ae q. LXXXIV, a 1 ad 1. 2) Esth. XIII, 14. 3) Josue V, 15. 4) Apoc. XXII, 8 sq. 5) „Adorationis vox, inquit Kenrick in sua „Theologia dogmatica" vol. II, tract. IX, ad supremum cultum designandum saepius sumitur; aliquando inferiorem cultum religiosum designat: sed latius; etiam pro civili cultu, quo homines

Hyperduliae vero vocabulum eo ipso sensu, quo nunc itur, jam ante s. Bonaventurae tempora usitatum se, Doctor Seraphicus hisce innuit verbis:[1] „Besima Virgo Maria pura creatura est, et ideo ad hoem et cultum latriae non ascendit. Sed quoniam exentissimum nomen habet, ita quod excellentius purae iturae convenire non potest, ideo non tantum debetur ionor duliae, sed hyperduliae. Hoc autem nomen est, d Virgo existens, Dei Mater est. Quod quidem ita tae dignitatis est, quod non solum viatores, sed et iprehensores, non solum homines, verum etiam Angeli n revereantur quadam praerogativa speciali. Ex hoc m, quod Dei Mater est, praelata est caeteris creaturis, eam prae caeteris decens est honorare et venerari. c autem honor consuevit a magistris hyperdulia :ari, et accipitur verbum illud de glossa super I. Reg., i dicitur dulia major et dulia minor."

5. Cultus ex actu triplici efflorescit: nempe ex tu intellectus, qui apprehendit personae excellentiam; in voluntatis, quae illi se subjicit; tandem corporis, i utriusque est signum et expressio: puta laudes, catis inclinatio, donatio munerum. Primus actus per se ltum non constituit; daemones enim cognoscunt Deum, iin eum colant. Nec minus tertii generis opera — mpe externa corporis opera, ad cultum requiruntur. ngeli corpore non praediti colunt Deum. Restat ergo, t cultus praesertim in secundo actu, voluntatis scilicet, llocetur. Voluntas cognitione praevia fundatur et ex a modum suum accipit; tunc in signa erumpit externa,

---

liis obsequium testantur, a vulgato interprete adhibitus est, sicut veteribus plerisque. Apud profanos scriptores orandi et conionandi sensu nonnumquam usurpata est. Veneratio e contra aepe indicat apud antiquos cultum supremum, adeo ut vocum isus plurimum varietur."

[1] In III, sent. dist. IX, a. 1 q. III, tom. III; cfr. Haine l. c. pag. 22.

quae ex mente cultoris dijudicentur necesse est. Patet ergo, verum cultum sine amore nullatenus stare posse. „Pietas, inquit ideo s. Augustinus,[1]) cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando; hoc enim colitur, quod amatur. Unde quia Deus rebus omnibus major et melior invenitur, plus omnibus diligendus est, ut colatur."

In cultu latriae mens concipit Deum ut rerum omnium principium; eo titulo dein voluntas plane se ei subjicit; corpus tandem profert hujusce intimi sensus signa externa in laudes erumpens infinitae majestatis Dei, offerens sacrificia etc. In cultu dulico intellectus nobis repraesentat sanctos ut Dei servos ac ministros eo feliciores, quo melius famulabantur ei. Voluntas hac ratione ducta se demittit eisque se quodammodo propter Deum subjicit; corpus exhibet hujus reverentiae et honoris signa nullatenus ad latriam pertinentia, sed omni potius honori etiam profano communia — v. g. laudationem, inclinationem capitis, genuflexionem etc.

In cultu hyperdulico intellectus nobis repraesentat b. Virginem „dignitate quadam infinita,"[2]) omnibus omnino virtutibus ornatam; matrem, cui nulla aequalis, qua nemo major, nisi solus Deus; „divinae incomprehensibilitatis summam;[3]) „incircumscripti Dei circumscriptionem."[4]) Qua cognitione voluntas varios excitat actus: reverentiae nempe, fiduciae et amoris filialis. Huc accedunt actus externi, quibus sensus interni manifestantur quique actibus externis aliis sanctis exhibitis similes sunt.

Ex dictis apparet, imitationem virtutum nullatenus ad cultus essentiam, sed ad ejus perfectionem solummodo pertinere. Sunt, qui contrarium asseruerint asserantque.[5]) Imitatio illa sine dubio optimum

---

[1]) In Ps. LXXVII. [2]) S. Thom. I, q. XXV, a. 6 ad 4. [3]) Andreas de Candia orat. de Assumpt. [4]) S. Methodius Orat. de Hypap. [5]) Verba Massilionis (serm. sur l'Assumption de la s. Vierge) opinionem hanc saltem supponere videntur. ,,Quiconque aime le monde, quiconque se livre aux désirs de la chair, scribit, quiconque ne rompt

ıs ac ornamentum, pulcherrimus effectus et fructus us hyperdulici. Qui si essentialiter in virtutum ;isteret imitatione, apud pios et sanctos solummodo niretur. At hoc procul absit! Deus bene vertat, ;alis funesta propagetur doctrina!

,Tu peccatorem, quantumlibet foetidum, non horres, despicis, alloquimur cum Mellifluo[1]) b. Virginem, ıd te suspiraverit, tuumque interventum poenitenti le flagitaverit." Quare doctissimus Benedictus XIV.[2]) ıaec verba erumpit: „Nequis tamen obtrectandi cuıs nostra haec aliorsum accipiat, quasi cultum erga Virginem deserendum peccatori esse doceamus, nihilprodesse ejus preces aliosve pios actus, si de sua versione non cogitet, advertendum id ex superioripropositionibus minime consequi; peccatoris enim tio impetratoria est ex mera Dei misericordia, modo se petat necessaria ad salutem pie et perseveranter, docet d. Thomas.[3]) Fieri enim potest, ut infinita misericordia peccatoris oratio exaudiatur, etiam sine posito emendandae vitae, dummodo non tam obstinato animo, ut omne poenitentiae consilium perpetuo abɜrit, piaque devotione et firma fide in oratione pereret, a Deo petens auxilia, quae sibi opus sunt ad ernam salutem consequendam."[4]) Quibus praemissis tuimus thesin:

ıt ses passions criminelles, a beau se déclarer serviteur de Marie; ne le connait pas, elle le regarde comme l'ennemi de son Fils, déteste la confiance qu'il met en elle comme injurieuse à la gion et à la gloire de Jésus Christ."

[1]) Serm. panegyr. ad B. V. M. n. 2. [2]) De festis B. M. V. cp. XV. [3]) 2ª 2ªe q. LXXXIII, a. 6; cfr. Haine l. c. pag. 32. [4]) Cfr. ısuetius (serm. sur la dévotion à la s. Vierge); dirigens verba ad eos, qui officia pietatis erga B. M. V. quidem observant gligendo vero mandata Dei, ait, officia illa ad salutem adipiscenn nullatenus sufficere et subjungit: „Dites toujours vos prières; me mieux vous voir pratiquer des dévotions imparfaites, que

Beatissima Virgo cultu hyperdulico honoranda est et colenda.

Quo excellentiores sunt creaturae, eo excellentius quoque merentur genus cultus et honoris. Hinc b. Virgo, omnes omnino longissime superans creaturas, cultu longe excellentiori colitur. Talis cultus prorsus immunis est ab errore Collyridianorum, qui teste s. Epiphanio s. Deiparam faciebant deam publicoque cultu latreutico adorabant. Nos vero eam colimus ut Matrem Dei, non quod Divinitatem, sed quod suppositum genuerit naturam habens divinam nec non humanam. Et quare? Respondeat

I. s. Scriptura.

Testante Angelo Scholae[1]) sancti Angeli a creationis suae principio Christum fide cognoverunt et a beatitudinis suae principio eundem in Verbo intuiti sunt, quia ad eorum statum maxime spectabat, caput suum ac regem cognoscere. Quae si ita sunt, admittamus necesse erit, s. Angelos ab initio etiam b. Virginem cognovisse; pertinuit enim sine ullo dubio ad eorum statum, eam quoque cognoscere, quae futura eorum esset regina ac domina. Qua vero cognitione Christi et Mariae apud Angelos ita ab initio supposita, sequitur, quod sicut Christus vel fide creditus vel clare in Verbo visus statim ab Angelis adoratus est, ita b. Virgo ab Angelis, simul ac eam cognoverunt, ut Mater Dei fuerit honorata. Ne ergo mireris, si Gabrielis Archangeli audias salutationem, qua b. Virginem turbarit, prorsus mirificam. „Ave gratia plena, Dominus tecum!"[2])

Est „salutatio in sacrario Trinitatis digito Dei conscripta juxta Mellifluum,[3]) quum in consistorio coe-

de vous voir mépriser toute dévotion, et oublier que vous êtes Chrétiens." Cfr. Gallifet — excellence de la dévotion à la s. Vierge.

[1]) Cfr. s. Thom. Suppl. q. XVIII, et XIX; p. I, q. LVII, et CLXII; cfr. Tract. theol. pag. 244. [2]) Cfr. pag. 12 sqq. [3]) Tract.

palatii a notatione majestatis sumpsisset originem, e fortissimis palatii ad deferendum delegata.“ Haec ıtio in s. Scriptura inaudita prorsus ac inusitata ret. Quare optime Benedictus XIV: „Hebraeorum erat, inquit,[1]) ut si qua mulier egregium aliquod us edidisset, eam ita salutarent: „Benedicta tu in ɜribus.“ Ad hunc modum Debbora Jahelem salutavit ɜm Haber, quod Sissaram interfecisset, ut est in Judicum:[2]) „Benedicta inter mulieres Jahel uxor r.“ Et Booz salutavit Ruth illis verbis libri Ruth:[3]) edicta es a Domino filia.“ David itidem Abigail dixit, quae se abstinuit ab internecione familiae l:[4]) „Et benedicta tu, quae prohibuisti me hodie, rem ad sanguinem et ulciscerer me manu mea.“ nullam compertum habemus salutatam hisce verbis nam: „Ave, gratia plena, Dominus tecum.“)isserens de b. Virginis turbatione Origenes scribit:[5])

.udem gloriosae Virginis Mariae; cfr. Haine l. c. pag. 39 sqq. llata inveniuntur testimonia.

) De festis B. M. V. cp. 35. [2]) V, 24. [3]) III, 10. [4]) 1 Reg. .XV, 33. [5]) Opusculo VIII, pag. 75. „Maria ist voll der Gnade, t rev. Dr. Martin in opere suo: „Die Schönheiten des Herzens ä“ pag. 17 sq., heißt: ihr ganzes Wesen ist gleichsam eingetaucht in nade, die Gnade durchströmt alle Kräfte ihrer Seele, ihr Erkennen, Bollen, ihr Empfinden, und sie strömt zugleich aus ihrer Seele über hren Leib und auf alle ihre leiblichen Kräfte und Sinne, sodaß in oder an ihr ist, was nicht von der Gnade getränkt, befruchtet, igt wäre. Aber noch mehr: Maria ist voll der Gnade, heißt zu-, Maria besitzt die Gnade in einem so überschwänglichen Maße, als in reines Geschöpf die Gnade empfangen, sie fassen und besitzen kann, us denn die kirchlichen Lehrer wieder folgende vier Sätze herleiten:

Erstens. Maria übertrifft an Gnade nicht nur alle Menschen, son- auch alle Engel, selbst die erhabensten Cherubim und Seraphim, sie diesen an Naturgaben zwar untergeordnet, aber an Gnadengaben eordnet ist.

Zweitens. Maria hatte schon vom ersten Augenblicke ihres Daseins große Gnaden, daß die geringste derselben größer war, als die größte rößten Heiligen.

„Quia vero Angelus novo sermone Mariam salutavit, quem in omni Scriptura invenire non potui, et de hoc pauca dicenda sunt. Id enim quod ait: „Ave, gratia plena“ (quod graece dicitur κεχαριτωμένη), ubi in Scripturis alibi legerim non recordor; sed neque ad virum istius modi sermo est, „salve, gratia plena.“ Soli Mariae haec salutatio servatur. Si enim scisset Maria, et ad alium quempiam similem factum esse sermonem, habebat quippe legis scientiam, et erat sancta, et prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognoverat, nunquam quasi peregrina eam salutatio terruisset. Propter quod loquitur ei Angelus: „Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam coram Domino.“

Animadvertamus porro cum Haine l. c., ab Angelo priori beatissimam Virginem fuisse salutatam. Mirabilia profecto hac de circumstantia verba profert magnus Aquinas. „Considerandum, inquit,[1]) quod antiquitus erat valde magnum, quod Angeli apparerent hominibus, vel quod homines facerent eis reverentiam, habebant pro maxima laude. Unde et ad laudem Abrahae scribitur, quod recepit angelos hospitio, et quod exhibuit eis reverentiam. Quod autem Angelus faceret homini reverentiam, numquam fuit auditum, nisi postquam salutavit b. Virginem reverenter dicens „Ave“ . . . . Quod autem antiquitus non reverebatur hominem Angelus, sed homo Angelum, ratio est, quia Angelus erat major homine, et hoc quantum ad tria. Primo quantum ad dignitatem: ratio est: nam Angelus est naturae spiritualis . . ., homo vero est naturae corruptibilis . . . Secundo quantum ad familiaritatem ad Deum. Nam Angelus est Deo

---

Drittens. Alle allgemeinen, wie besonderen Gnaden, die jemals einem Geschöpfe verliehen worden sind, hatte auch Maria.

Viertens endlich wiegen die Gnaden, womit Maria geschmückt war, an Größe und Herrlichkeit die Gnaden der Gesammtheit aller übrigen Geschöpfe auf, sodaß Gott Maria nächst ihrem göttlichen Sohne mehr, als seine ganze übrige Schöpfung liebt.“

familiaris, utpote assistens .... homo vero est quasi extranens et elongatus a Deo propter peccatum. — Ideo conveniens est, ut homo revereatur Angelum, utpote propinquum et familiarem regis. Tertio praeeminebat propter plenitudinem splendoris gratiae divinae; Angeli enim participant ipsum lumen divinum in summa plenitudine. Sed homines, etsi aliquid participent de ipso lumine gratiae; parum tamen et in obscuritate quadam. Non ergo decens erat, ut homini reverentiam exhiberet, quousque aliquis inveniretur in humana natura, qui in his tribus excederet Angelos, et haec fuit b. Virgo."

Quid, si Archangelus b. Virginem, excellentia et copia gratiae non solum omnes mulieres, verum omnes creaturas superantem talibus salutare non haesitat encomiis, si sacrosanctae Trinitatis legatus virginem illam singularem, tot tantisque virtutibus decoratam, aspiciendo mandati sibi facti quasi oblitus in pulcherrimas erumpit laudes, quid, inquam, nobis non erit licitum, paranymphi hujus vestigiis insistentes, etiam nostris pauperrimis quidem laudibus eam praedicare omnique, quo possumus, modo venerari? Quid, hoc lege divina vetitum, hoc idololatriam hallucinare non erubescis, haeresiarcha! Profecto, cultus ille, si prohibitus esset atque peccatum, Deus ipse, ignoscas velim, ad hoc committendum nos seduxisset.[1]) Audiamus s. Bernardinum Senensem mariomastigis istis respondentem. „Cogita, inquit,[2]) angelicum exem-

[1]) „Es ist, scribit acatholicus Dietlein in suo „Evangelisches Ave Maria" Halle 1863 VII, ein Verhältniß beständiger Flucht vor der Mutter Gottes, steter Angst davor, ihr auch nur ein Wort des Grußes zu gönnen, welches ihr doch der ewige Vater durch Engelsmund zusandte, um damit den ersten Riß in den alten Fluch zu reißen, der uns von Ihm und Seiner Liebe trennte. Jedem andern Menschenkinde, wenn es in die ewige Heimath vorausgegangen ist, dürfen wir ein Ave pia anima! nachrufen, so oft wir wollen — nur der Mutter nicht; denn das wäre — katholisch." Cfr. Hettinger l. c. p. 494. [2]) Serm. LII, de sal. ang. Opp. tom. I.

plum. Si enim Angeli salutant eam, quanto magis hoc tenetur homo. Ingressus Angelus ad eam dixit: „Ave, gratia plena“ .... Disce ergo ab Angelo salutare Mariam.

Honoris, quem „hyperduliam“ vocant theologi, exemplum videt optimo jure Haine[1]) etiam apud s. Elisabetham, quae ad matris Domini adventum non solum obstupuit, sed verbis etiam suis singularem illi venerationem et reverentiam exhibet dicens: „Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?“[2]) „Quod ait: „Unde hoc mihi?“, notat apposite Origenes,[3]) non ignorans dicit et maxime Spiritu sancto plena, quasi nesciat, quod juxta Dei voluntatem mater Domini venerit ad eam, sed isto sensu loquitur: quid boni feci? quae opera mea tanta sunt, ut mater Domini ad me veniat? per quam justitiam, ex quibus bonis, de qua fidelitate mentis hoc merui, ut mater Domini mei veniat ad me?“

Si ergo s. Elisabetha, Spiritu sancto repleta, non potuit, quin b. Virginem adhuc in terra degentem praeclarissimis suis praedicarit elogiis, benedictam in mulieribus i. e. prae omnibus aliis benedictam, quia magis electam, majoribus gratiae donis refertam eam appellando, tali profecto instruimur exemplo, speciali quodam cultu eximiaque veneratione nunc prosequi eam, ubi ad unigeniti Filii sui thronum elevata ac splendidissimo reginae coelestis diademate decorata est.

Priusquam ad argumentum ex traditione petendum aggrediamur, futiles istas cavillationes ab adversariis excogitatas paucis suscipiamus refutandas.

1. Arguunt nos idololatriae adorantes in beatissima Virgine deam.

At falluntur haeretici ita calumniantes, quia ab orthodoxis b. Virgo nunquam adorata fuit cultu latreutico.

---

[1]) L. c. pag. 47. [2]) Luc. I, 43. [3]) Hom. VII, in Luc.

Scriptores quidem nonnulli de s. Deiparae cultu disserentes verbo „adorare“ promiscue utuntur et usi sunt. Quid inde sequetur? „Ratio potissima, inquit Concina,[1]) adorationis est excellentia seu dignitas personae adoratae. Tot ergo sunt adorationes, quot sunt dignitatum genera.“ Si homini hominem honoratiorem adorare seu colere cultu civili licet, cur denegemus necesse erit Sanctis cultum latriae inferiorem, dulicum, aeque ac hyperdulicum cultum creatae dignitati respondentem, qui in Deum ipsum, omnium bonorum largitorem, refertur et in eo quiescit? Apprime scribit Leibnitzius:[2]) „Generaliter tenendum neque cultum Sanctorum aut reliquiarum probari, nisi quatenus ad Deum refertur, nullumque religionis actum esse debere, qui in honorem unius omnipotentis Dei non resolvatur ac terminetur. Itaque quum Sancti honorantur, hoc ita intelligendum est, quemadmodum in Scriptura dicitur: „Honorificati sunt amici tui Deus“ — „Laudate Dominum in sanctis ejus.“

2. Parcus, inquiunt adversarii, Christus fuit semper in blandis alloquiis aut externis favoribus erga Matrem suam. Verbis, quibus illam allocutus est, non honoris exhibitionem, non singularem observantiam nec grandem de matre existimationem prae se ferunt.

α. „Quid est, respondit parentes quasi reprehendens in templo, quod me quaerebatis? nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?“[3])

β. In Cana Galilaeae deficiente in nuptiis vino mater Jesu, ut sponsorum consulat pudori, summa cum modestia illi dicit: „Vinum non habent.“ Et quomodo respondet Jesus illi, a qua vitam acceperat, quae cum ipso in Aegyptum fugerat, cui se ipsum subdiderat?

---

[1]) In Decal. lib. 3 cp. 1. [2]) System. Theol. pag. 160. [3]) Luc. II, 48.

„Quid mihi et tibi est mulier?" perinde ac si nihil cum illa haberet commune. Respondemus

ad *α*. Christi responsionem in templo datam si rite examinemus, nulla ex parte excusat errorem istorum, qui Mariam in amittendo, in quaerendo, in compellando Filium reprehendunt, quum Christus ea de re nihil pronuntiet. „Cur enim, interrogat optime ven. Canisius,[1] vel reprehendat vel objurget laude dignos, qui non modo praesentis, sed absentis etiam ac potissimum amissi pueri rationem et curam singularem habuere, quemadmodum ipsis injuncti a Deo muneris ratio flagitabat. Tunc vero reprehensione illi merito digni fuissent, si in officio suo torpentes omnem quaerendi curam abjecissent. Adde, quod Christi verba rite perpensa eosdem parentes excusent omnique culpa liberent, quum aperte declarent, id, quod factum erat, non ipsorum negligentia, sed divinae Providentiae dispositione contigisse." Usus est porro Dominus verbis citatis, ut doctores et legis periti cogitarint, eum parentibus majorem et ita esse filium hominis, ut esset etiam Filius Dei ac ita matrem et patrem habere in terris, ut etiam Patrem haberet in coelis illisque ratione carnis assumptae ita esse subditum, ut ratione divinitatis illi Filio suo agnoscerentur esse subditi.

ad *β*. Quod verba occasione nuptiarum a b. Virgine prolata attinet, eo detorquere adversarii non erubuerunt, ut contenderint, b. Virginem per Filii miraculum se voluisse ostentare sibique gloriam acquirere hominum. „Quid Mater volebat? interrogat Oecolompadius.[2] Nonne hoc urget, ut caeteri videant Filium suum longe praestantiorem? Non potuit ignorare quem genuit Filium, quasi diceret Christus: Tu fortasse hoc velles, ut sic prodirem: ut etiam infra ab amicis audit, ut ascendat in Hierusalem, et palam se monstret." Neque alio tendit

---

[1]) L. c. p. IV, sect. II, cp. XV. [2]) In cp. II, Joa.

Brentius ita inquiens:[1]) „Ubi Maria non eum tantum honorem quaerit, qui debetur parentibus, sed etiam ambit honorem Messiae, et cupit esse quasi sociam administrandi ejus officii, quod Christo divinitus mandatum erat: ibi tum Christus durissime eam alloquitur, ut contineat ipsam intra terminos suae vocationis.“ Ita nefastissimi isti debachantur haeresiarchae in s. Virginem virtute humilitatis persplendescentem!

Verba Domini nihil asperum continere, ss. Patres uno quasi ore proclamant. Ita s. Cyrillus[2]) demonstrat, Mariam ex officiosa humanitate et benignitate vini defectum indicasse Christo, qui deinde ac si excuset, quod Matris petitioni non statim annuat, majorem ac meliorem futuri miraculi opportunitatem expectarit. S. Chrysostomus monet,[3]) maternum honorem a Christo non violari, neque haec verba esse loquentis ad Matrem liberius, quum maternus honor Filio curae fuerit, qui etiam Matris impleverit voluntatem, ut matri honorem exhiberet. „Venerabilis Maria, inquit Maximus,[4]) vere, ut Mater Domini in Spiritu futura praenoscens ac Dominicam praevidens voluntatem, sollicite ministros admonuit dicens: „Quodcunque dixerit vobis, facite.“ Sciebat profecto Mater sancta, objurgationem illam Domini Filiique sui non irascentis offensam praetendere, sed miserantis portare mysterium.“

„Inter se loquebantur Mater et Filius, scribit Eusebius Emissenus,[5]) ipsi se intelligebant, ipsi sua secreta noverant, ipsi, quid tum fieri oportebat, et quid postea futurum erat, sciebant.“ Neque alio vergit Albertus Magnus in haec verba erumpens:[6]) „Non hoc Christus ea ira dixit, ut quidam male sentiunt, vel ex indignatione, vel ex contemptu, ut haeretici dixerunt:

---

[1]) In Evang. Joa. hom. 21. [2]) In Joa. lib. II, cp. 23; apud Canisium l. c. p. IV, sect. II, cp. XVII. [3]) In Joa. hom. 20. [4]) In fest. Epiph. hom. I, apud Canis. l. c. [5]) In Evang. Dom. II, post Epiph. [6]) In Evang. Joa. cp. II.

sed humillimus noluit detegere virginitatem Matris, ne per hoc gloriosus in conspectu hominum appareret, antequam per miracula manifestaretur. Et est haec locutio instructoria, quia in divinis, quae Dei sunt, matrem recognoscere non debemus."

At quare Christus b. Virginem appellat mulierem, quare non praefert vocem dulciorem matris? Respondebit Georgius Major, qui alias nobis adversatur. „Utitur voce „mulier," inquit,[1] ad promissionem primam respiciens: „Ipsum semen mulieris conteret caput serpentis,"[2] tanquam appellatione omnium honorificentissima, et soli suae Matri inter omnes mulieres conveniente. Haec enim sola mulier peperit semen, in quo benedicuntur omnes gentes terrae, quam prae omnibus mulieribus orbis terrarum ab initio usque ad finem Angelus Gabriel et Elisabeth hac salutatione et hoc magnifico titulo ornat et dignatur .... Vocat igitur mulierem Filius appellatione et titulo omnium honorificentissimo, et huic soli mulieri conveniente. Haec enim sola mulier seminis benedicti et haec sola propter hoc semen, cujus ipsa mulier, hoc est, mater est et benedicta; caeterae omnes mulieres, nisi per semen hujus mulieris benedicantur, sunt maledictae ... Ita et in cruce pendens Dominus, priusquam exhalaret animam suam, summa στοργῇ et affectu erga Matrem accensus, quam videt orbatam dulcissimo et unico solatio suo, Filio unigenito, et quidem tali Filio, qui et Altissimi Filius est, in hoc, inquam, ardenti erga Matrem affectu et pro ea sollicitudine commendat eam discipulo Joanni: „Mulier, inquit, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua."[3] Haec ille. S. Deiparam cultu hyperdulico colendam esse declarat

---

[1]) In Evang. Dom. II, post Epiph. [2]) Gen. III, 15. [3]) Joa. XIX, 26 sq. „Ich will euch, scribit cl. Dr. Martin in opere suo: „Die Schönheiten des Herzens Mariä" pag. 56 sq., auf eure Einrede nicht entgegnen, daß dasjenige, was euch in diesen göttlichen Worten des Heilandes an sie streng oder hart scheint, durch den Ton seiner Stimme und

II. Traditio.

„Quod universa tenet Ecclesia, scribit d. Augustinus, nec a conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.“ Sed illum s. Deiparae cultum universa tenet Ecclesia nec a conciliis institutus noscitur semperque fuit retentus. Probatur minor negative eo, quod nullus haereticorum sive antiquorum sive modernorum hyperdulici cultus initium hucusque ostendere potuerit. Probatur positive

a. ex Liturgiis, „quae singularum, in quibus usurpantur, ecclesiarum teste Zaccharia[1]) vocem ac testimonium quodammodo exhibent, atque episcoporum, presbyterorum, imo et plebis ipsius suffragia, leges, ritus, effata, dogmata palam faciunt.“

α. Liturgia s. Jacobi,[2]) ubi ita: „Commemorationem agamus sanctissimae, immaculatae, gloriosissimae, benedictae Dominae nostrae matris Dei, et semper virginis Mariae, ac omnium sanctorum et justorum, ut precibus atque intercessionibus eorum omnes misericordiam consequamur.“

β. Liturgia s. Cyrilli Alexandrini: „Memento etiam omnium Sanctorum, . . . praecipue autem sanctae, gloriosissimae Deiparae, semper Virginis, purae et illibatae s. Mariae.“

γ. Liturgia s. Basilii praedicat Christum, „qui ex

---

durch die Anmuth seines Benehmens unendlich gemildert und ausgeglichen worden sei: aber wißt ihr denn nicht, daß in diesen scheinbar herben Worten ihres göttlichen Jesus sich göttliche Geheimnisse verbergen, daß zu den schweren Prüfungen, denen sie nach dem weisesten Rathschlusse Gottes unterworfen werden sollte, auch die zu zählen sei, daß sie von ihrem Sohne als Mutter, wie dieser selbst am Kreuze von seinem göttlichen Vater als Sohn, gleichsam verleugnet ward? Denn wie glänzt nicht gerade in diesen ihren so schweren Prüfungen ihre himmlische Geduld, ihre unvergleichliche Ergebung und Sanftmuth!“

[1]) De usu librorum liturgicorum in rebus theologicis cp. IV, apud Haine l. c. p. 84. [2]) Cfr. Haine l. c. pag. 84 sqq.

Spiritu sancto et sancta Domina nostra Deipara semper Virgine Maria carnem assumens et homo factus est."

δ. Liturgia s. Chrysostomi: „Tutos fac gressus nostros precibus et supplicationibus gloriosae Deiparae et semper Virginis Mariae."

. Inter liturgias occidentales liturgia Romana, a pluribus[1]) s. Petro ascripta, principatum tenet; in illa legitur inter alia: „Libera nos, quaesumus Domine, ab omni malo intercessionibus Mariae Deiparae."

ζ. Liturgia Ambrosiana seu Mediolanensis: „Communicantes et memoriam celebrantes imprimis gloriosissimae semperque Virginis Mariae."

η. Liturgia Mozarabica: „Per virtutem sanctae crucis et per intercessionem beatae Mariae Virginis."

ϑ. Liturgia Gallicana: „Et pro animabus omnium fidelium famulorum . . . in pace Ecclesiae defunctorum, ut eis tu, Domine Deus noster, peccatorum tribuas veniam . . . meritis et intercessionibus Sanctorum tuorum, Mariae Genitricis Domini nostri Jesu Christi."

b. Ss. Patres quod attinet, nulli dicendi copiae nullique sententiarum pepercerunt apparatui, quo b. Virginem hyperdulice i. e. cultu eminentiori colendam praedicaverint. Unum aliumve audiamus.

Teste s. Epiphanio[2]) b. Virgo liber est nulli oculo creato cognitus, ut perfectiones Verbi aeterni legendas nobis exhibeat. „Liber incomprehensus, inquit, qui Verbum Patris mundo legendum exhibet." D. Augustinus eam vocat[3]) visibilem invisibilis Dei imaginem. „Si formam Dei te appellem, digna existi." At nonne excellentiae et dignitati etiam cultus respondeat necesse est? Filii ipsius voluntas est, ut Matrem veneremur, suo nos docens exemplo. „Qui enim dixit: honora patrem

---

[1]) Liturgiam romanam seu latinam ascribit s. Petro inter alios d. Thomas III, q. LXXVIII, a. 2 ad 5. [2]) De laud. Virg. [3]) Serm. de Assumpt.

et matrem, ut decretum a se promulgatum observaret, scribit Methodius,[1]) omnem gratiam et honorem Matri impendit.“ Quidquid honoris et obsequii ab Angelis et hominibus b. Virgini deferri potest, Christus Matri suae dilectissimae et obtulit et offert. Et quia tota gloriae maternae magnitudo in Filium redundat, is non se existimamus satis honoratum, nisi Matrem omnibus, quibus possumus, modis colamus.

Quare omnes creaturae quantumvis elevatae b. Virgini venerationem debent. „Tanta enim, inquit Doctor Seraphicus,[2]) fuit Deiparae dignitas, ut si omnes creaturae, quantumcunque ascenderent in gradibus nobilitatis, essent praesentes, omnes deberent reverentiam Matri Dei.“ „Quid nos tantilli in laudibus Mariae referemus, exclamat idem s. Doctor admirabunde,[3]) quum omnium nostrum membra, si in linguas verterentur, eam laudare nullus sufficere valeret.“ Ingenue fatetur insufficientiam suam modo laudandi debito b. Virginem. „Certe, inquit,[4]) ad hoc opus (laudes Mariae) fateor nimiam omnino esse meam insufficientiam propter nimiam materiae incomprehensibilitatem, propter nimiam scientiae meae tenuitatem, et propter nimiam personae laudandae laudem et laudabilitatem.“

Neque silentio praeterire possumus mirabilia s. Bernardini. „O femina, alloquitur b. Virginem,[5]) ab omnibus et super omnia benedicta: tu unica Mater Dei, tu domina universi, regina mundi, dispensatrix omnium gratiarum, tu Ecclesiae decor, tu omnium virtutum, donorum et gratiarum incomprehensibilis magnitudo: tu templum Dei, tu hortus deliciarum, tu exemplum omnium bonorum, consolatio devotorum, totius salutis radix et ornamentum, tu porta coeli, laetitia paradisi, et ultra quam dici possit, laetitia summi Dei: vere balbutiendo has laudes enunti-

[1]) Orat. de purific. [2]) In I, Sent. dist. XLIV. [3]) In Spec. l. 1. [4]) Ibid. [5]) De concept. B. M. V.

amus, sed supple insufficientias nostras, ut te digne laudare possimus per infinita saecula."

Alios si addidero ss. Patrum textus, videbor fortasse in re hac certissima plus aequo copiosior; sufficiant ergo allegati ad comprobandum, s. Deiparae cultum deberi communi eminentiorem.

Objiciunt adversarii quaedam s. Augustini et s. Hieronymi testimonia. „Non sit nobis, inquit ille,[1]) religio cultus hominum mortuorum, quia si pie vixerint, non sic habentur, ut tales quaerant honores, sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante laetantur meriti sui nos esse consortes." Simili modo d. Hieronymus docet,[2]) nec martyrum reliquias, nec Angelos, nec aliquid creatum adorari et coli posse.

Uterque s. Doctor non denegat sanctis nisi cultum latreuticum. „Ab illo cultu, qui graece λατρεία dicitur, latine uno verbo dici non potest, inquit d. Augustinus,[3]) quum sit quaedam Divinitati propria servitus, nec colimus nec colendum dicimus, nisi unum Deum." Consonat s. Hieronymus docens:[4]) „Quis enim (insanum caput) aliquando martyres adoravit, quis hominem putavit Deum?"

In quantum augetur cujuslibet personae dignitas, in tantum augeatur oportet et honor seu cultus illi exhibendus. Si ergo Sanctis cultus debetur dulicus, s. Deiparae debetur sine dubio cultus dulia major. Haec est incorrupta semperque permanens ss. Patrum doctrina, haec sana mens Ecclesiae catholicae per totum orbem terrarum diffusae. Quaeritur

---

[1]) De vera relig. cp. 55. [2]) Epist. 13 contra Vigilantium. [3]) Contra Faustum Manich. lib. XX, cp. 21. [4]) Epist. 13 contra Vigilantium.

In quonam ratio consistat praecipua, cur b. Virgo colenda sit cultu hyperdulico.

In assignanda hac ratione theologi minime consentiunt; nonnulli eam esse contendunt sanctitatem, plurimi vero iique gravissimi tenent b. Virginis maternitatem. De differentia inter sanctitatem et maternitatem existente quum jam supra fusius tractatum fuerit,[1]) pauca ad solvendam illam quaestionem hic sufficiant.

Optimo jure asseritur, b. Virginem hyperdulice colendam esse, quum sit Mater Dei. Sanctitas majus quidem bonum maternitate nude sumpta, quia est quaedam divinae naturae participatio. Maternitas ê contra communicatione carnis et sanguinis fundatur. At haec divina maternitas teste Pauwels[2]) cumulatius habet, quod fit altioris ordinis:

α. Quia b. Virgo per maternitatem in communicatione humanitatis cum Verbo mediante temporali generatione, fundatam habet cum Deo propinquitatem Deoque conjunctissima est. Quam conjunctionem Angelus Scholae[3]) affinitatem vocat.

β. Gratiae plenitudo b. Virgini collata fuit a Deo qua congrua dispositio ad dignitatem maternitatis; omnes gratiae quasi totidem formant gradus ad maternitatis thronum ducentes. Quare expressis verbis docet d. Augustinus:[4]) „Inde novimus, tantam gratiam Virgini esse collatam, quia Deum meruit concipere et parere.“

γ. Ex maternitate juxta ss. Patrum doctrinam omnia dona supernaturalia, omnia privilegia in aliis Sanctis divisa, in Mariam profluunt conjunctim. Divina maternitas, veluti principium et radix omnium gratiarum ac privilegiorum, se habet ad illa ut prima forma ad suas proprietates. Jam vero quum forma perfectior sit proprietatibus ac dispositionibus suis, etiam maternitas

---

[1]) Cfr. pag. 446 sqq. [2]) Anthologia Mariana Antverpiae 1775 pag. 172. [3]) 2ª 2ªe CXXX, art. 4 ad 2. [4]) Lib. de nat. et grat. cp. 36.

omnibus aliis gratiis omnibusque virtutibus b. Virginis superior fuit.

Audiamus aliquot saltem theologos hac de quaestione disputantes.

Albertus Magnus quadraginta assignat[1]) causas, cur b. Virginem summe venerari debeamus, quarum omnium praecipua et prima ratio cultus hyperdulici est dignitas divinae maternitatis. Eandem doctrinam tenet Dionysius Carthusianus. „Primo igitur, inquit,[2]) Maria honoranda est nobis ratione suae dignitatis, quae dignitas est maternitas, per quam comparentalis est Patri aeterno: id est parens ejusdem Filii, cujus ille est Pater. Per hanc dignitatem mirabilem excellentior omni pura est creatura, et cunctis creaturis praelata, utpote Domina Angelorum, Regina coelorum, Mater et Advocata omnium hominum.“ Nisi porro Doctor Seraphicus idem sensisset, profecto non dixisset:[3]) „Quoniam b. Virgo excellentissimum nomen habet, ita quod excellentius purae creaturae convenire non potest, ideo non tantum debetur ei honor duliae, sed hyperduliae.“

Similia tradidit Doctor Angelicus ad quaestionem, utrum mater Christi sit adoranda adoratione latriae, ita respondens: „Dicendum, quod quia latria soli Deo debetur, nulli creaturae debetur latria, prout creaturam secundum se veneramur. Licet autem creaturae insensibiles non sint capaces venerationis secundum se ipsas, creatura tamen rationalis est capax venerationis secundum se ipsam. Et ideo nulli purae creaturae rationali debetur cultus latriae. Quum igitur b. Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriae, sed solum veneratio duliae, eminentius tamen, quam caeteris creaturis, in quantum est ipsa Mater Dei: et ideo dicitur, quod debetur ei non qualiscumque dulia, sed

---

[1]) De laud. B. Mariae lib. 2. [2]) De visit. B. M. V. [3]) In III, Sent. dist. IX, a. 1 q 3 tom. III. [4]) III, p. q. XXV, art. V, in concl.

hyperdulia." „Maxima reverentia debetur juxta eundem s. Doctorem[1]) homini ex affinitate, quam habet ad Deum."

Nemo hac de dignitate luculentius disseruisse videtur s. Bernardino Senensi. „Prima, inquit,[2]) dignitas seu excellentia Virginis gloriosae, quae ejus gloriam magnam ostendit, maternitas dicta est: maxima nempe excellentia, quod Virgo beata sit Mater Dei, quam quod sit domina creaturarum Dei; hoc enim dependet ab illo sicut ramus a radice. Nam ut dicitur Hebr. I, sicut Filius Dei sedet a dextris Majestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit, quod nomen est, ut sit vere Deus per gratiam unionis: sic et Mater Domini nostri Jesu Christi gloriosa Maria, tanto melior est Angelis effecta, quanto prae omnibus creaturis haereditavit, ut obtineret dignae Matris nomen." Praecipuum ergo cultus hyperdulici motivum existimatur celsissima Matris Dei dignitas, quae eam Deo reddat affinem illique dominium tradat et sceptrum regale. Dignitas haec sublimissima est etiam ratio principalis, cur tam fidenter ad b. Virginem recurramus ejusque imploremus auxilium.

Cap. II.

DE INVOCATIONE BEATISSIMÆ VIRGINIS.

„Petrus Gnaphaeus,[3]) inquit Chemnitius,[4]) in suo episcopatu praecepit Mariae nomen ab omnibus invocari: igitur Maria prius non fuit publice invocata, sed ejusdem invocatio Gnaphaeo auctori debet ascribi." Hunc ratiocinandi modum flacidum jure merito nominat ven. Ca-

---

[1]) 2ª 2ªᵉ q CIII, art. IV, ad 2. [2]) Serm. 61 art. 1 cp. 5. [3]) Petrus Gnaphaeus, Ecclesiae Antiochenae Archiepiscopus et Leonis I, Pont. Max. coaetaneus, quartam Synodum Chalcedone coactam sua aetate vidit. Cfr. Canisius l. c. p. IV, sect. II, cp. XVII. [4]) In Exam. Conc. Trid. circa invocat. Ss.

nisius et inanem, „quum utrumque fieri potuerit, imo et revera factum sit, ut et legem hanc ferret episcopus Antiochenus, et lege antiquior consuetudo eandem sententiam corroboraret.“ Quare ad rem notat d. Hieronymus:[1]) „Multa, quae per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptae legis usurpaverunt.“ Duplex hic exoritur quaestio, quoad liceitatem nempe et necessitatem hujus invocationis. Quaerimus ergo

§. 1.

Utrum invocatio illa sit licita.

Responsio affirmativa est propositio de fide.

„Sancti una cum Christo regnantes, definivit Tridentinum,[2]) orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse, suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere: illos vero, qui negant, Sanctos, aeterna felicitate in coelo fruentes, invocandos esse; aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam; vel pugnare cum verbo Dei adversarique honori unius Mediatoris Dei et hominum Jesu Christi; vel stultum esse in coelo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire.“ Multa jam saecula ante Concilium Tridentinum in plurimis Synodis oecumenicis Sanctorum invocatio usurpata est. Ita s. Cyrillus occasione Synodi Ephesinae[3]) in oratione, quam ibi habuit, s. Joannem invocat. Chalcedonenses patres exclamant: „Flavianus post mortem vivit, martyr pro nobis oret.“ In Synodo Nicaena II:[4]) „Cum timore omnia agamus, postulantes

---

[1]) In Epist. ad Luciferianos. [2]) Sess. XXV, de invocatione Sanctorum. [3]) Conc. Labbe tom. III, col. 1021. [4]) Ibid. tom. VII, col. 542.

intercessiones incontaminatae Deiparae, item sanctorum Angelorum omniumque Sanctorum." Est ergo licitum, Sanctos invocare; ergo a fortiori s. Deiparam invocare licebit. Probamus hoc ex uno alterove testimonio

1. s. Scripturae. Lot[1]) petit ab Angelo, ne evertat urbem Segor. „Suscepi preces tuas, respondet Angelus, ut non subvertam urbem, pro qua locutus es." Si Angeli in terra degentes rogari possunt, quare in coelis triumphantes invocari non licet, quare Angelorum reginam invocare nefas erit? Jacob Angelum et parentes suos invocat[2]) super filiis Joseph dicens: „Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum, Abraham et Isaac. Ad Patriarcharum merita provocare solebant Israelitae. „Recordare Domine, precatur Moyses,[3]) Abraham, Isaac et Israel servorum tuorum!" Quoad hunc supplicandi modum apprime notat Bellarminus:[4]) „Notandum est, quia ante Christi adventum Sancti, qui moriebantur, non intrabant in coelum nec Deum videbant nec cognoscere poterant preces supplicantium, ideo non fuisse consuetum in veteri Testamento, ut diceretur: Sanctus Abraham, ora pro me; sed solum orabant homines ejus temporis Deum et allegabant merita Sanctorum, qui jam obierant, ut illis ipsorum orationes juvarentur."

Et quod Novum testamentum attinet, quoties v. g. Doctor gentium orationibus fidelium sese enixe commendavit! Jam vero si licitum est, viventium intercessionem apud Deum implorare, quanto convenientius videtur, Sanctorum cum Christo in coelis regnantium precibus sese commendare, quanto convenientius, omnium Sanctorum reginam intercessionem precari potentissimam! Hanc s. Scripturae doctrinam semper tenuerunt ac defenderunt

---

[1]) Gen. XIX, 21. [2]) Gen. XLVIII, 16. [3]) Exod. XXXIII, 13.
[4]) In serm. de Dei genitricis laudibus.

2. ss. Patres de Sanctorum et s. Deiparae invocatione disserentes. „O sancta Dei genitrix, exclamat s. Ephrem,[1]) sub alis pietatis et misericordiae tuae protege et custodi nos; non nobis est alia, quam in te, fiducia.“ „Adesto mihi, o Dei Genitrix, orat s. Epiphanius,[2]) o mater misericordiae, in praesenti quidem vitae cursu, hostiles impetus a me avertens, ac in extremo vitae articulo miseram animam meam conservans, et tenebrosos daemoniorum aspectus repellens; in tremendo autem judicii die ab aeterna me damnatione liberans; et postremo in numero sanctorum me referens, atque inaccessae filii tui gloriae haeredem me efficiens.“

„Memento servorum tuorum, alloquitur s. Germanus[3]) b. Virginem, cunctorum commenda preces, fidem confirma, ecclesias ad unitatem coge, imperium trophaeis auge, mundum pace compone, cunctosque a periculis liberans cunctis exora retributionis diem.“ Similiter orat s. Anselmus:[4]) „Mater sancta, mater unica, mater immaculata, mater pietatis et indulgentiae, aperi sinum pietatis et suscipe mortuum in peccatis . . . Hoc unum peto in nomine filii tui: dona mihi misero perennem memoriam nominis tui; sit cibus dulcissimus, cibus suavissimus animae meae.“ „Quaeramus gratiam, monet Doctor Mellifluus[5]) omnes fideles, et per Mariam quaeramus, quia, quod quaerit, invenit, et frustrari non potest.“ Obsignatur eadem doctrina a s. Scriptura nec non a ss. Patribus tradita etiam

3. ratione.

Sancti enim in coelis non minus invocari possunt, quam ii, qui in terra versantur. Quid enim obstare posset? An forse in coelis invocari nolunt? — Sed majori, quam antea, charitate erga homines sunt praediti. An forsitan juvare non possunt? Gratia gaudent excellentiori apud

---

[1]) In serm. de Dei genitricis laudibus. [2]) Haeres. LXXVIII. [3]) Orat. de don. Deip. [4]) Orat. 51. [5]) Serm. de Aquae ductu.

Deum, quam quum hic degerent. An redundabit in injuriam Christi, unius Mediatoris, talis invocatio? Sed quare in Christi contumeliam illa potius redundaret, quam invocationes sanctorum terram incolentium? [1])

„Sancti non audiunt, inquies, preces nostras, praesertim eas, quas corde continemus; „solus enim Deus scrutatur renes et corda.“ [2])

Nolumus, respondemus cum Vuitasse, [3]) ignota re vera esse sanctis et angelis, quaecunque hic aguntur, aut etiam quae animo cogitamus, modo illa cupiamus illis innotescere. Ista autem resciunt aut rescire possunt quadruplici via. Ac a. quidem naturali quadam ac insita vi, quo pacto angeli sibi invicem cogitationes suas, quum libet, significant et mutuo sese intelligunt. [4]) b. Eorum, qui hinc ad superos pergunt, et Angelorum, qui inter homines versantur, relatione. [5]) c. Singulari Dei beneficio, qui ea utpote ad eos spectantia a principio beatitudinis suae sanctis manifestat. [6]) d. Denique peculiari revelatione, quum opus est; qua ratione Samueli consilium Saulis patefecit. [7]) Deus quidem solus propria via

---

[1]) „Jeder Lobpreis Marias, inquit Hettinger (l. c. I. Abth. S. 513), ist zugleich ein lautes Bekenntniß unseres Glaubens an den Gottmenschen; jedes Ave, das im Andenken und Vertrauen an sie gerichtet wird, muß das Gemüth des Betenden zugleich zu dem erheben, der, von Ewigkeit im Schooße des Vaters weilend, um unseres Heiles willen den Schooß der Jungfrau nicht verschmäht hat.“ „Einstens, auf der Hochzeit in Kana, scribit cl. Dr. Martin (Schönheiten des Herzens Mariä S. 11), erflehte sie den verlegenen Brautleuten den Wein. Und noch ist ihr Herz nicht ärmer an Liebe, als damals, da es noch auf Erden schlug. Fühle ich daher, es fehle mir der Wein, jener neue Wein, der die Herzen trunken macht, die heilige Liebe zu Jesus, wohin könnte ich besser meine Zuflucht nehmen, als zum Herzen dieser Mutter der schönen Liebe! Oder wer, dem es an diesem kostbaren Weine fehlte, hätte ihn nicht erlangt, wenn er vertrauensvoll an ihr mütterliches Herz sich wandte?“ [2]) 3. Reg. VIII, 39. [3]) Tract. de Verbi divini Incarnatione p. II, q. 11 a. 2. [4]) Ita s. Hierony. contra Vigilant. [5]) S. Augustinus in libro de cura pro mortuis cp. XXII. [6]) S. Gregorius M. Moral. lib. XII, cp. XXI. [7]) S. Augustinus de Civit. Dei lib. XXII.

noscit cor hominum et scrutatur per se omnium hominum corda; sanctis autem hominibus corda dumtaxat aliquorum patent et quum ipsis hominibus ac singulari Dei beneficio id placet.[1]) Maximum ergo discrimen inter hanc Dei et Sanctorum cognitionem existit. Quaeritur

§. 2.

Utrum b. Virginis invocatio sit necessaria.

Necessarium seu id, „quod docente Aristotele[2]) aliter se habere non potest," est duplex. Aliud dicitur necessarium absolute, quod nullo modo aliter se habere potest, sed est omnino determinatum adesse. Et hujusmodi necessarium est Deus. Aliter dicitur necessarium ex suppositione, quod scilicet est determinatum ad esse supposita aliqua causa; nam determinatio ad esse in creaturis, necessario provenit ex aliqua causa, ut patet. Unde hujusmodi necessarium quadruplex erit juxta numerum causarum . . . . . . Tandem aliquid dicitur necessarium ex fine et hoc divisit d. Thomas[3]) in necessarium simpliciter, sine quo scilicet finis haberi non potest, quomodo cibus est necessarius ad vitam: et in necesssarium ad melius esse, sine quo scilicet finis absolute potest haberi, sed non ita convenienter, diciturque utile, quomodo equus dicit ad agendum." Ita Complutenses.[4])

---

[1]) „O unsere liebe Frau, so groß und mächtig!
Wer Gnaden sucht, und nicht zu dir hineilet,
Dem fehlen Schwingen, die nach Oben tragen.
So mild bist du, daß nicht bloß, wenn wir bitten,
Du uns zu helfen eilst, zu tausend Malen,
Kommst du in Huld zuvor, noch eh' wir bitten.
Du bist voll Mitleid, bist voll heiliger Liebe,
Du strahlst in Herrlichkeit, in dir geeinet
Ist, was die Creatur nur hat an Gutem.
Dante, Paradies XXXIII, 1 ff. Cfr. Hettinger l. c. p. 520.

[2]) V, Metaphs. [3]) III, p. q. LXV, a. 4. [4]) In disp. proveniali ad logicam q. 7, apud Pauwels l. c. pag. 272.

Secundo modo invocatio b. Virginis necessaria ad salutem dicitur, nempe ex suppositione decreti, quo voluit Deus et statuit, ut nulla gratia de coelo descendat in terram, nisi per s. Deiparae transeat manus.

Hujusmodi vero decretum praedicatur a ss. Patribus. „B. Virgo, inquit s. Epiphanius,[1]) praeclarus Marianus panegyrista, non fortuite, aut solum placito, ut quidam putant, sed divina dispensatione nomen accepit, ita ut ipsa quoque vocabuli sui figura magnum quiddam innueret; interpretatur enim maris stella, ut ad aspectum illius dirigere cursum possint et destinatum portum apprehendere. Simili modo, fratres, oportet universos christicolas inter fluctus hujus saeculi confugere ad Mariam, quae superno rerum cardini, Deo proxima est, et ex aspectu exempli ejus cursum dirigere; quod qui fecerit, non jactabitur vanae gloriae vento, nec frangetur scopulis adversorum, nec absorbebitur voragine voluptatum, sed prospere veniet ad quietis aeternae portum.“ Similia audimus ex ore Ernesti, Pragensis Antistitis. „B. Virgo, inquit,[2]) stella maris; sicut nautis mare transeuntibus necesse est notare stellam maris, longe a supremo coeli cardine coruscantem, ad illius aspectum aestimare cursum, ut possint apprehendere portum destinatum; ita similiter oportet universos christicolas inter fluctus saeculi hujus remigantes Mariam, quae supremo coeli cardini proxima est, attendere.“ Quibus adjiciendus est s. Petrus Damianus[3]) ita disserens: „Per ipsam, cum ipsa, et in ipsa totum hoc faciendum decernitur; ut sicut sine ipso nihil factum est, ita sine illa nil refectum sit.“

Imprimis Doctor Mellifluus, quem audiamus, dignus videtur. „Datum est Mariae, inquit,[4]) ut per illam acciperes, quidquid haberes.“ „Per Mariam speramus nos

---

[1]) Haeres. LXXVIII. [2]) In Mariali cp. 116. [3]) Serm. de Annunt. [4]) In vigil, Nat. Domini serm. 3.

posse consequi, quidquid totius bonitatis Auctor dignatus fuerit gratiae nobis impertiri." [1]) Juxta Richardum Victorinum, d. Bernardo coaevum,[2]) „b. Virgo omnium salutem desideravit, quaesivit, obtinuit; imo salus omnium per ipsam facta est." „Nullus est, testatur s. Germanus Constantinopolitanus,[3]) qui salvus fiat, nisi per te, o Sanctissima! Nullus, qui liberetur a malis, nisi per te, o Purissima! Nemo est, cujus misereatur gratia, nisi per te, o Honestissima!"

Invocationis Marianae necessitatem luculentius asserit Doctor Seraphicus. „Non invenitur, inquit,[4]) propitiatio sine illa, nec salus sine fructu illius: per illam peccata purgantur, et per fructum illius animae dealbantur; per illam fit satis pro peccatis, per fructum illius Sanctis condonatur." „Quemadmodum infans, scribit idem s. Doctor,[5]) sine nutrice non potest vivere, ita nec sine Domina nostra potest habere salutem. Beatissima Virgo est fons refrigerans piis consolationibus, omnes tribulationum et adversitatum aestum patientes: si tamen ex toto corde ipsius imploraverint subsidium."

Concludat hanc ss. Patrum seriem s. Bernardinus Senensis dicens:[6]) „Nulla creatura aliquam a Deo obtinuit gratiam vel virtutem, nisi secundum ipsius piae Matris dispensationem: hinc Bernardus devotissimus ait: Nulla gratia venit de coelo ad terram, nisi transeat per manus Mariae." Optimo jure s. Bernardinus b. Virginem „centrum" appellat.[7]) Centrum enim arcana quadam vi est rerum magnes earumque quies. Quaelibet res extra centrum inquieta manet et violentiam patitur, contrariis obvie exposita periclitatur. In amico autem centro secure quiescit et perdurat, gaudet et conservatur. Extra Mariam, quae centrum dicitur, frustra quaerit homo requiem

---

[1]) Serm. in Salve. [2]) In Cantic. cp. 26. [3]) Hom. de zona et fasciis Deiparae. [4]) In Ps. 36. [5]) In Cant. Moysis. [6]) Tom. I, serm. 61 art. 1 cp. 8. [7]) In lib. de tribus ordinibus.

a laboribus, solatium ab aerumnis, laetitiam, a quibus angitur moestitudinibus.[1]) Allatis ss. Patrum testimoniis invocationis hujus necessitatem apertissime demonstrari, nemo est, qui negare possit.

Cap. III.

DE TITULIS „MATRIS NOSTRÆ, MEDIATRICIS“ B. VIRGINI DEBITIS.

Restat, ut duplicem illum b. Virginis titulum, ab omnium saeculorum adversariis tantopere infestatum, titulum nempe „matris nostrae“ et „mediatricis apud Deum“ penitius inspiciamus, praesertim quum hi tituli mentem nostram ad perseverandum in s. Deiparae cultu instigent et cor nostrum inflamment. Dicitur ergo

§. 1.

Beatissima Virgo mater christianorum est in ordine supernaturali.

Non enim sumus filii Mariae, nisi quatenus pertinemus ad Christum. Jam vero ad Christum non pertinent, nisi fideles. Itaque infideles nonnisi remote ac radicaliter tamquam filii Mariae habendi sunt, scilicet in quantum habent potestatem „filios Dei fieri“ per baptismum.[2]) Constat

1. ex s. Scriptura et quidem ex verbis quae Dominus Noster in cruce pendens ad discipulum, quem diligebat, direxit. „Ecce Mater Tua.“[3]) In Joanne intelligimus

---

[1]) Cfr. Celada in lib. Judith App. cp. XVI, 11 apud Pauwels l. c. pag. 279, ubi plura ss. Patrum inveniuntur testimonia. [2]) Cfr. tract. th. pag. 229. [3]) Joa. XIX, 27. Juxta regulam enim a ss. Patribus traditam, verba et facta s. Scripturae veteris et novi Testamenti saepius duplicem praebent sensum aequaliter a Spiritu sancto inten-

teste s. Bernardino Senensi, omnes, quorum b. Virgo per dilectionem facta est mater.[1])

2. Ss. Patres titulum hunc b. Virgini attribuunt. „A Maria virgine, inquit s. Epiphanius[2]) vita ipsa est in mundum introducta, ut et viventem pariat et viventium sit Mater.“ S. Bonaventura praedicat[3]) illam non solum ut matrem Christi singularem, sed etiam ut matrem omnium fidelium universalem. „Duo filii Mariae sunt, scribit idem s. Doctor, homo Deus et

---

tum, unum nempe literalem, quem verba per se demonstrant, et alterum spiritualem, quem res literaliter significatae vicissim significant. Duplex ille sensus praecipue admittendus est, quando vel circumstantiae, vel verba adhibita, vel materia substrata id postulant. At in nostro casu circumstantiae et materia substrata postulare videntur, verba illa juxta sensum literalem quidem referri ad solum Joannem, juxta sensum vero spiritualem ad omnes christianos. Ille enim sensus longe conformior videtur officio Redemptoris tunc praesertim adimpleti.

[1]) Cum s. Bernardino plenissime consentit in exponendis his Salvatoris verbis doctissimus Bossuetius (serm. sur le Rossaire) ita disserens: „Femme, dit il, voilà votre fils. Et ne vous persuadez pas qu'il regarde saint Jean en ce lieu comme un homme particulier: tous ses disciples l'ont abandonné, et son Père ne conduit au pied de sa croix que le bien — aimé de son coeur; tellement que dans ces débris de son Eglise, saint Jean. qui est le seul qui lui reste, lui représente tous les fidèles et toute l'universalité des enfants de Dieu. C'est donc tout le peuple nouveau, c'est toute la société de l'Eglise que Jesus recommande à la sainte Vierge en la personne de ce cher disciple; et par cette divine parole elle devient non seulement mère de s. Jean, mais encore de tous les fidèles.“ Cfr. Cornel a Lapide in Joa. cp. XIX. Ventura, Marie mère de Dieu, mère des hommes, ch. VI. „En disant de Marie, inquit Card. Dechamps in opere suo „La nouvelle Eve“ pag. 5, qu'elle nous a donné la vie, qu'elle nous a engendrés à une vie nouvelle par la force de Dieu, nous ne parlons pas dans le sens figuré, mais dans le sens propre et littéral, et nous le faisons avec un plein droit. Jésus-Christ n'est-il pas notre vie? Ne l'a-t-il pas affirmé lui-même: Ego sum vita? Et comment s'est-il donné aux hommes? Par Marie. C'est donc par elle, qu'il nous a donné la vie. Elle est donc notre Mère.“ [2]) Haer. LXXVIII. [3]) In Spec. lect. 8.

homo purus; unius corporaliter et alterius spiritualiter mater est Maria.“ Probatur

3. ex ratione.

a. Ea profecto revera est mater nostra in ordine supernaturali, quae omnia matris officia ad ordinem hunc pertinentia exercet. Atqui b. Virgo efficaciter concurrit ad generationem nostram spiritualem. Ad rem sunt praeclara s. Augustini verba. „Maria, inquit,[1]) faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodo mater est, spiritualiter autem et soror et mater. Ac per hoc illa una femina, non solum spiritu, verum etiam corpore et mater est et virgo. Et mater quidem Spiritu non capitis nostri, quod est Salvator, ex quo illa magis spiritualiter nata est; quia omnes, qui in eum crediderint, in quibus et ipsa est, recte filii sponsi appellantur. Sed plane mater membrorum ejus, quod nos sumus, quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur; qui illius capitis membra sunt: corpore vero mater ipsius capitis.“ B. Virgo ergo teste s. Antistite duplici titulo est mater, carne nempe et spiritu. Carne parit, sed solum Christum; spiritu parit, sed membra tantum Christi. Spiritu non parit Christum, quia ipsa a Christo accepit fidem, spem, charitatem caeterasque virtutes, quibus digna Dei filia dignaque mater facta est; non vero Christus per merita et virtutes b. Virginis plenus gratia et veritate fuit. Spiritu ergo Christus potius est pater matris suae, quam ejus filius. Nostra autem mater est spiritu, quia charitate sua cooperatur, ut in Ecclesia nascantur fideles et in Christo regenerentur.

b. In ordine supernaturali facti sumus cohaeredes Christi ipseque omnium jurium ac privilegiorum participes nos fecit. Jam vero Christus non est tantum Filius naturalis Patris coelestis, sed etiam Filius naturalis b. Vir-

---

[1]) De s. Virginit. cp. 5 sq.

ginis. Sicuti ergo per Ipsum facti sumus filii Dei, fratres ejus, quia unum cum Ipso efficimur, concludamus necesse est, nos eodem modo fieri in Christo filios b. Virginis.[1])

§. 2.

B. Virgo re vera mediatrix nostra coram Deo existit.

„In Mediatore, inquit magnus Aquinas,[2]) duo possumus considerare. Primo quidem rationem medii; secundo officium conjungendi. Est autem de ratione medii, quod distet ab utroque extremorum. Conjungit autem mediator per hoc, quod ea, quae unius sunt, defert ad alterum. Neutrum autem potest convenire Christo, secundum quod Deus, sed solum, secundum quod homo. Nam secundum quod Deus, non differt a Patre et Spiritu Sancto in natura et potestate dominii. Nec etiam Pater et Spiritus Sanctus aliquod habent, quod non sit Filii, ut sic possit id, quod est Patris vel Spiritus Sancti, quasi quod est aliorum, ad alios deferre. Sed utrumque convenit ei, in quantum est homo, quia secundum quod est homo, distat et a Deo in natura et ab hominibus dignitate et gratiae et gloriae. In quantum etiam est homo, convenit ei conjungere homines Deo, praecepta et dona Dei hominibus exhibendo et pro hominibus satisfaciendo et interpellando.“ Ita s. Thomas.

Hoc officium porro Christo tam proprium est, ut nulli alteri nec hominum possit assignari nec Angelorum. Ille solus Redemptor existit et Mediator, quare de se potuit dicere: „Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.“[3])

Quibus vero non obstantibus b. Virgo considerari potest quodammodo ut mediatrix ad mediatorem,

---

[1]) Cfr. tract. theol. pag. 238 sq. [2]) III, p. q. XXVI, a. 2.
[3]) Isai. LXIII, 3.

quia in illa est ratio quaedam medii, sicuti officium quoddam conjungendi. Media inter nos et mediatorem apparet, quia est distincta et ab illo et a nobis. Ab illo, quum dona ejus sint infinite minora donis Christi; a nobis; ejus enim sanctitas omnium Angelorum et Sanctorum, a fortiori sanctitatem nostram longissime superat. Invenitur etiam in illa officium Christo nos conjungendi, quia Christi beneficia manibus Mariae nobis donantur, tum quia ipsum Mediatorem per eam accepimus.

Locupletissime de hac s. Deiparae dignitate disseruit s. Bernardus. „Qui indignus eras, inquit,[1]) cui donaretur (scil. Christus), datum est Mariae, ut per illam acciperes, quidquid haberes: quae per hoc, quod mater est, genuit tibi Deum: per hoc, quod Virgo est, exaudita est pro reverentia sua in causa tua et totius generis humani. Si sola mater esset, sufficeret ei, ut salvaretur per filiorum generationem; si sola Virgo, sufficeret sibi, nec benedictus fructus ventris ejus mundi pretium esset. Quum ergo in prima commixtione, nempe humanitatis cum divinitate[2]) sit remedium, in secunda adjutorium est, quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariae manus non transiret; in tertia autem meritum est, quia quum haec firmiter credimus, jam meritum habemus, et in fide sanitas est, quia qui crediderit, salvus erit.“

Juxta Doctorem Mellifluum b. Virgo non ideo solum Mediatrix nostra nominari potest, quia Mediatorem nobis donavit, sed etiam, quia plurima Mediatoris beneficia per illam impetramus. „Opus est, inquit,[3]) mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior, quam Maria. Crudelis nimirum Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus

[1]) In Vigil. Nativ. serm. 3. [2]) Loquitur s. Doctor l. c. de tribus conjunctionibus, nempe divinae naturae cum humana in Christo, virginitatis cum foecunditate in Maria, fidei cum corde nostro in nobis. [3]) Serm. super verba Apoc: „Signum magnum apparuit in coelo."

infudit: sed fidelis Maria, quae salutis antidotum et viris et mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, haec propitiationis: illa suggessit praevaricationem, haec injecit redemptionem. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est, omnibus offerens lac et lanam. Revolve diligentius evangelicae historiae seriem universam et, si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de caetero suspectam habeas et accedere verearis. Quod si (ut vere sunt) plena magis omnia pietatis et gratiae, quae ad eam pertinent, invenies, age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissimam miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum.“ Ita s. Bernardus.

Huc quoque spectat d. Augustini testimonium. „Maria, inquit,[1]) primae Matris damna resolvit: haec homini perdito redemptionem adduxit. Mater generis humani poenam intulit mundo, Genitrix Domini nostri salutem intulit mundo.“ S. Ephrem Syrus nominat[2]) b. Virginem expressis verbis post mediatorem mediatricem totius mundi, spem ac unicam advocatam nostram omniumque salutem. „Per te reconciliati sumus Christo Domino nostro, filio tuo dulcissimo. Tu portus naufragantium tutissimus, tu mundi solatium.“ Neque aliter loquitur s. Germanus.[3]) „Nemo salvus, nisi per te, o

---

[1]) Serm. 55 de Sanctis. [2]) Serm. de ss. Genitricis Virginis M. laudibus. [3]) Hom. VIII, seu II, in Dormit. B. M. V. „Wenn alle Heiligen im Himmel und auf Erden mitwirken zum Aufbaue des Reiches Gottes, des Leibes Christi, inquit Hettinger l. c. p. 511, wenn Ein Odem Alle durchgeistet, Ein Herz in Allen pulsirt, Ein Strom des Lebens Alle durchfluthet, und aus dieser Gemeinschaft Keiner scheidet, da er mit ewigen Banden an sie gebunden ist; wenn, so ein Glied leidet, alle leiden; wenn alle Charismen vom Geiste nur gegeben sind zu diesem Einen Ziele; wenn, je reiner der Seligen Liebe und je voller der Genuß der Himmelsfreuden, der sie in Christo theilhaftig geworden sind, sie desto mehr uns in Liebe zugewendet bleiben, unserm Ringen und Kämpfen theilnahmvoll

Deipara! Nemo periculorum expers, nisi per te, Virgo parens! Nemo redemptus, nisi per te, Dei mater! Nemo donum per misericordiam consecutus, nisi per te, o digna, quae Deum caperes!“

Ss. Patres titulos similes uti „Salvatricis, Corredemptricis, Mediatricis,“ soli Deo proprios, b. Virgini etiam absque ullo additamento ascribentes semper volunt, ut sano sensu, sensu cum Ecclesiae judicio concordante accipiantur nec quidquam per hoc honori Dei detrahere audent. Encomia illa licet Deo per se competant et primario, s. Matri ejus secundario et communicative attribuuntur, cui excellentia encomiis hisce significata aliqualiter a Filio communicata sit. Indirecte enim et remote ad redimendum et salvandum genus humanum concurrit et quidem eo, quod aliquo saltem modo meruerit Incarnationem,[1]) quod consensu suo Deum ad hoc opus peragendum determinaverit, quodque ipsum Salvatorem conceperit et pepererit.

Optime scribit igitur Paludanus:[2]) „Contra rabidos adversariorum morsus et acerbas calumnias, quas evo-

---

und helfend nahen; wenn ihre Tugenden und Verdienste ein gemeinsamer Schatz sind, aus dem Alle schöpfen — um wie viel mehr gilt dieß von Maria, wie ganz besonders wirkt sie zum Heil der Ihrigen, wie es ihre eigenthümliche, ganz besondere und über Alle erhabene Stellung heischt!... „Maria waltet immerdar ihr Mittleramt bei dem Sohne . . ., immerdar wird sie durch die Gnade des Geistes neue Söhne der Kirche gebären, die da ist „Christi Leib,“ immerfort ihren Sohn wiedergebären in den Herzen. Was sie einmal that, ist eine nimmer endende That, Form, Vorbild und Symbol ihrer steten Wirksamkeit in der Kirche. Immerfort, so lange es noch Erlösungsbedürftige gibt, spricht sie jenes „Fiat,“ an dem die Erlösung der Welt einst hing; so lange noch Sünde, Noth und Tod auf Erden wohnen, eilt sie, beizuspringen den Gefallenen; so lange des Sohnes Fleisch und Blut auf unsern Altären ruht, läßt ihre mütterliche Liebe nicht nach, anzuklopfen an des Sohnes Herz, um überreiche Schätze der Gnade zu fordern, damit sein Blut — ihr Blut — nicht umsonst geflossen sei.“

[1]) Cfr. Suarez I, de Incarn. disp. X, sect. VI. [2]) Apologeticus Marianus cp. XXXIV, pag. 132 sq. apud Haine l. c. pag. 204.

munt contra gloriosos titulos Deiparae, quibus eam ornat et invocat catholica Ecclesia, considerandum est: quaedam esse epitheta seu attributa, quae soli Deo sic conveniunt, ut nulli creaturae attribui possint, quia ipsi divinitati propria, ut omnipotens, aeternus etc. — vel soli Christo propria, ut Salvator, justificator, redemptio nostra; alia vero, quae Deo et Christo ejus per excellentiam, Sanctis tamen per participationem quandam et analogice conveniunt: ut bonus, justus . . . . lux, petra etc. . . . . Sic b. Virgo appellatur mater misericordiae etc., non quia per se et per excellentiam talis est, verum quia per participationem talis est, quatenus videlicet talis effectus per intercessionem suam nobis procurat: sic janua coeli praedicatur ex parte efficacissimae intercessionis, quia precibus suis nobis coelum aperit.“ Haec ille.

Omnia conantur, nihil non moliuntur daemones, ut homines a s. Deiparae cultu avertant et devotionem erga illam imminuant. Experti enim sunt, eam esse, per quam teste d. Cyrillo Alexandrino [1]) daemones fugantur et tentator diabolus coelo decidit nec ignorant, devotionem hanc signum esse aeternae praedestinationis. Concludamus articulum de cultu Mariano quaestione:

Utrum devotio erga b. Virginem revera singulare sit praedestinationis signum.

„Sciri quidem non potest, docet s. Concilium Tridentinum,[2]) nisi ex speciali revelatione, quos Deus sibi elegerit.“ Unde s. Augustinus: „Quis ex multitudine fidelium, interrogat,[3]) quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero praedestinatorum se esse praesumat?“ Nullus potest esse certus de sua praedestinatione, quin certus sit de perseverantia sua; solus enim, „qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.“[4])

---

[1]) Homil. contra Nestorium. [2]) Sess. VI, cp. 12. [3]) Lib. de corrept. et grat. cp. 13. [4]) Matth. X, 22.

Licet vero durante hac vita nullam habere possimus certitudinem de praedestinatione infallibilem, ss. Patres tamen complura nobis praebent praedestinationis signa, quae moralem quandam in fidelium cordibus generant certitudinem.

„In praedestinatione teste Angelo Scholae[1]) duo sunt consideranda: scilicet ipsa praeordinatio divina et effectus ejus. Quantum igitur ad primum, nullo modo praedestinatio juvatur precibus Sanctorum; non enim precibus Sanctorum fit, quod aliquis praedestinetur a Deo. Quantum vero ad secundum, dicitur praedestinatio juvari precibus Sanctorum et aliis bonis operibus: quia providentia, cujus praedestinatio est pars, non subtrahit causas secundas; sed sic providet effectus, ut etiam ordo causarum secundarum subjaceat providentiae. Sicut igitur a Deo sic providentur naturales effectus, ut etiam causae naturales ad illos naturales effectus ordinentur, sine quibus illi effectus non provenirent: v. g. sic Deus providet messem futuram, ut etiam culturam agri et seminationem provideat et ordinet: ita sic praedestinatur a Deo salus alicujus, ut etiam sub ordine praedestinationis cadat, quidquid hominem promovet in salutem, vel orationes propriae vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid hujusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur. Unde praedestinatis conandum est ad bene operandum et orandum; quia per hujusmodi praedestinationis effectus certitudinaliter impletur. Propter quod dicitur:[2]) „Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.“ Ita Angelicus.

D. Thomas agnoscit ergo influxum quendam Sanctorum orantium pro clientibus et inter ipsos speciatim potentissimae Sanctorum Reginae in executionem divinae praedestinationis; orationibus et meritis enim majora illis

---

[1]) I, p. q. XXIII, art. 8. o. [2]) 2. Pet. I, 10.

impetrant gratiarum auxilia, quibus roborati dignos poenitentiae fructus perficiant et in bono perseverent. Devotio erga b. Virginem juxta s. Doctorem non immediate, sed mediate i. e. bonis operibus, quae divinae Matris interventioni debemus, perfectis, ad praedestinationis finem ducit. Quare devotio Mariana tessera quaedam singularis protectionis devotis suis affuturae jure merito dicitur et, quantum est ex parte s. Deiparae sicuti auxilii per ipsam oblati, plurimum ad salutem valet. Nec mirum ergo, quod consentientibus ss. Patribus devotionem illam non infimum, sed singulare prorsus nominaverimus praedestinationis signum.[1])

„Sicut continua respiratio, inquit s. Germanus,[2]) non solum est signum vitae, sed etiam causa; sic s. Mariae nomen, quod in servorum ore versatur, simul argumentum est, quod vere vivant, simul etiam hanc vitam efficit et conservat, omnemque eis laetitiam et opem a Domino impertitur.“ „Quantumcumque quis fuerit peccator, profitetur d. Hilarius,[3]) si Mariae devotus exstiterit, nunquam in aeternum peribit.“ S. Ephrem[4]) non dubitat, devotionem erga b. Virginem vocare „chartam libertatis“ ipsamque „patrocinatricem damnatorum.“ „Sicut, o Beatissima, omnis a te aversus et despectus necesse est, ut intereat, testatur s. Anselmus,[5]) ita omnis a te conversus et a te respectus, impossibile est, ut pereat.“

Perpulchre et eleganter Mellifluus hanc „mulierem fortem“ comparat cum arca Noetica. „Arca Noe, inquit,[6]) significavit arcam gratiae, excellentiam scilicet Mariae: sicut enim per illam omnes evaserunt diluvium, sic per istam peccati naufragium. Illam Noe, ut diluvium evaderet, fabricavit, istam Christus, qui est pax nostra et requies, ut humanum genus redimeret, sibi

---

[1]) Cfr. Anthologia Mariana auctore Pauwels lib. I, pag. 244. [2]) Orat. de Deipara. [3]) In Matth. cp. XII. [4]) Orat. de laud. Maria Virg. [5]) Alloq. coel. n. 27. [6]) Serm. de B. M. V. tom. II.

praeparavit. Per illam octo animae tantum salvantur, per istam omnes ad aeternam vitam (quae per octonarium numerum significata est) vocantur. Per illam paucorum facta est liberatio; per istam humani generis salvatio." „O homo, exclamat[1]) idem ferventissimus Marianus praeco, securum habes accessum ad Deum, ubi Mater stat ante Filium, et Filius ante Patrem: Mater ostendit Filio pectus et ubera, Filius ostendit Patri latus et vulnera. Nulla ergo poterit esse repulsa, ubi tot concurrunt amoris insignia."

Veritatem hanc per quatuor orbis plagas intonare cupit Doctor Seraphicus. „Audite haec omnes gentes, scribit,[2]) auribus percipite, qui ingredi cupitis regnum Dei: Virginem Mariam honorate, et invenietis vitam et salutem perpetuam. Quippe ipsa pie invocata est signum nobis ad salutem a Domino datum." Similia declamat s. Bernardinus Senensis[3]) vocans b. Virginem signum virginale, quod apparuit et quotidie apparet in coelo animae, quando scilicet quilibet justus, seu peccator devotionis Virginis non est oblitus, sed in hoc mari saeculi periculis pleno devotionis oculos ad Mariam constanter levat.

Sicuti praedestinati Christi Domini imaginem humilitate et castitate in se exprimere debent, ita et in eo imaginem Christi gestare debent, ut sicut ille b. Virginem tamquam veram Matrem singulariter coluit et amavit, ita et ipsi eandem singulari cultu et amoris affectu prosequantur.[4]) Quod si fiet, peribimus nunquam. „Si diligo b. Virginem Mariam, dicere solebat ven. Berchmannus, securus sum de mea salute."

---

[1]) Super Missus. [2]) In psalt; ps. XLVIII. [3]) Tom. I, serm. 61. [4]) Cfr. Joa. de Carthagena lib. XVIII, hom. 2.

Cap. IV.

DE POTIORIBUS BEATISSIMÆ VIRGINIS FESTIS.[1])

Non abs re erit, brevem de festis s. Deiparae saltem majoribus inserere inquisitionem. De quibus jam saeculo undecimo scribebat s. Fulbertus Carnotensis:[2]) „Inter omnes Sanctos memoria beatissimae Virginis eo frequentius agitur atque festivius, quo majorem gratiam apud Dominum creditur invenisse.“ Ecclesia catholica, Spiritu sancto semper ducta, variis festivitatibus populo fideli repraesentari jubet vitam b. Virginis, ut ab ea vivendi sumat exempla nec non discat, quid corrigere, quid effugere, quid in suis tenere debeat moribus.

Waldenses et Wiclefitae omnia festa Sanctorum volunt sublata, dum Lutheri et Calvini sequaces festa Domini celebranda admittunt, sed disciplinae tantum et politiae causa; festa autem b. Virginis abolenda esse declarantes. „Assumptionis et Nativitatis Mariae festa plane rejicimus,“ inquit Lutherus.[3])

Festorum s. Deiparae Virginis alia sunt universalia, alia particularia. Universalia vocantur ea, quae in universo orbe catholico solemniter celebrantur: nempe Conceptio, Nativitas, Praesentatio, Annuntiatio, Visitatio, Purificatio, Assumptio, ad Nives et s. Nominis. Festa ê contra particularia ob peculiares quasdam causas in certis tantum dioecesibus vel religiosorum hominum familiis celebrantur.

Non hic sermo erit nisi de prioribus,[4]) inter quae

---

[1]) Cfr. Bened. XIV. de festis B. M. V. Analecta juris Pontif. traité des fêtes, fasc. 48 sq. Rome 1862. Instit. Moral. auctore Azorio tom. II, Kalendarium sacratiss. Virginis Mariae auctore Colvenerio Duaci 1638 2 tom. [2]) Serm. IV, de Nativ. B. M. V. apud Haine l. c. pag. 27. [3]) Lib. de piis caerem. observandis apud Sedlmayr l. c. p. IV, sect. I, q. 11 a. 1. [4]) De matrimonio s. Deiparam inter et s. Joseph contracto quum fusius disputatum

aliis antiquiora habentur festa Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis. Quibus postea adjunctum est festum Nativitatis, ut singulis quatuor anni temporibus una esset festivitas, quae per totam Ecclesiam in honorem s. Deiparae celebraretur: scilicet Annuntiatio veri, Assumptio aestati, Nativitas autumno et Purificatio hyemi.

Quae festa destinata erant ad tuenda singulari b. Virginis patrocinio quatuor tempora, ad foecundandum totum annum similia quatuor illis fluminibus paradisum irrigantibus. Et quemadmodum quatuor venti principales quatuor mundi partes perflant perflandoque aërem purgant, ita, ut perpulchre notat Colvenerius in suo Kalendario b. Virginis, quatuor festi dies Deiparae Virginis quatuor anni tempora illustrent, purgent, sanctificent, exornent et nos ejusdem meritis et precibus per quatuor anni tempora recreemur, foveamur, nutriamur et servemur incolumes.

§. 1.

Festum Conceptionis beatissimae Virginis. Die 8. Decembris.

1. Non defuerunt, qui Conceptionis b. Virginis festum ipsis Apostolis ascripserint. Inter quos nominandus est Flavius Dexter,[1]) Theodosii Imperatoris cancellarius et s. Hieronymo familiaris. In libro suo „Omnimoda Historia“ circa annum 390 edito ac divo Hieronymo dedicato leguntur: „Jacobi praedicatione celebratur in Hispania festum immaculatae et illibatae Conceptionis Dei Genitricis Mariae.“ Quare Christophorus Vega[2])

---

fuerit, etiam de Desponsationis festo pauca putavimus adjungenda.

[1]) Apud Sedlmayr l. c. p. IV, sect. I, q. 11 a. 8. [2]) Theolog. Marian. n. 256.

scribit: „Jure ergo optimo Conceptionis beatae Mariae festum ab Apostolis institutum credimus.“

Sedlmayr in opere suo pluries citato hanc opinionem putans probabilem allegat aliquot novi testamenti textus, qui sibi favere videntur nec non liturgias supra[1]) citatas. Graves vero auctores, qui huic patrocinentur opinioni, afferri non possunt. Flavii liber a nonnullis ut suppositius rejicitur.

2. In Ecclesia graeca hoc festum jam a saeculo quinto innovatum fuit. Floruit tunc temporis s. Sabas, monasteriorum Palaestinae abbas, qui plurima triodia in honorem immaculatae Virginis composuit et ab Imperatore Justiniano alias inter gratias etiam eam obtinuit, „ut Deiparae Virginis templum ab Elia, Hierosolymitano patriarcha, aedificari coeptum perficeret.“[2]) De illo refert Cave:[3]) „Scripsit in usum sui monasterii typicum sive ordinem recitandi officium ecclesiasticum per totum annum . . .; barbarorum incursionibus depravatum et pene deperditum, Joannes Damascenus magno studio postea restituit et renovavit.“ In hoc autem typico legitur ad diem nonam Decembris:[4]) „Conceptio sanctae Annae, matris Deiparae“ i. e. activa s. Annae, quae est passiva b. Virginis.

Saeculo VII. claruit s. Andreas Cretensis, qui ecclesiasticum pro Graecis composuit officium sub titulo: „Die nona Decembris. Conceptio sanctae ac Dei aviae Annae.“ Anno 750 Joannes, Eubaeensis episcopus, habuit orationem „de Conceptione Deiparae.“ „Prima omnium insignium solemnitatum, inquit,[5]) ea est, in qua Joachim et Anna faustum generationis plane immaculatae

---

[1]) Cfr. pag. 18 sq. [2]) Ita Surius ad diem V. Decembris; apud Gravois de ortu et progressu cultus ac festi immaculati Conceptus. Summa aurea tom. VIII, pag. 291. [3]) Hist. litter. pag. 296 ad annum 484. [4]) Fol. 31 edit. Venet. 1545. [5]) Sylloge monumentorum ad mysterium Conceptionis immaculatae Virginis Deiparae illustrandum cura Ballerinii s. J. Romae 1854.

et genitricis Dei Mariae nuntium acceperunt. Tum augustissimae ejusdem Mariae nativitas: illic conceptio, hic nativitas.“ Versus annum 830 Petrus, Argorum episcopus, exaravit orationem „in conceptionem s. Annae, quando concepit sanctam Dei Genitricem“ quae hisce verbis finitur: „Horum porro bonorum omnium origo et causa praesens exstitit solemnitas, quae reliquis insuper omnibus, seu quaedam solis aurora ortum parat, caeterasque se ipsa solemnitates praenuntiat.“ [1]) Eodem fere tempore etiam Georgius Nicomediensis, Photii coaetaneus, de „splendida et illustri hujusce festivitatis (nempe Conceptionis b. Virginis) celebritate“ loquebatur.

Saeculo XII. Manuel Comnenus Imperator constitutionem edidit, in qua inter alia haec leguntur: „Sancimus, ut dies illi feriati sint, quos in praesenti constitutione nominatim enumerabimus . . . . . . Item nonus Decembris, quippe quia tunc Genitricis Dei nostri conceptio celebretur.“ [2])

Antiquitatem hujus festi apud Graecos probat testante Gravois [3]) evidenter unanimis in eo celebrando consensus omnium Ecclesiarum orientalium omniumque Graecorum tam catholicorum, quam schismaticorum et haereticorum, qui licet in multis officia divina concernentibus ab invicem plurimum discrepent, in hoc tamen unanimiter conveniunt. Quis vero asserere poterit, haereticos Graecos a Catholicis vel Catholicos ab haereticis illam recepisse festivitatem? Quis negabit, eam apud illos antiquitus institutam fuisse, antequam in tot sectas ac veluti ramos dividerentur?

Omnes aliae ecclesiae orientales, puta Armeniaca, Syriaca, Aegyptiaca et Abyssinica, quae ab ecclesia graeca

---

[1]) Cfr. Sylloge Ballerin. [2]) Scholion ad tit. VII. Nomocanonis Photii. Bibl. juris canon. vet. Justelli et Voellii tom. II. [3]) De ortu et progressu cultus imm. Conc.

liturgiam et disciplinam ecclesiasticam receperunt, celebrant festum Conceptionis b. Virginis, uti cle. Malou fusius demonstrat.[1])

3. In Ecclesia Latina immaculatae Conceptionis festum celebrari coepit saeculo septimo per s. Ildephonsum Toletanum, uti tenent inter alios Martenius[2]) et Mabillonius,[3]) quorum hic scribit: „Quam vetus sit observatio festi Conceptionis b. Virginis in Hispania discimus ex lib. XII. Leg. Wisigoth. tit. VI, ubi Ervigius rex lege lata praecipit, ut a Judaeis observentur festa Christianorum, in his festum sanctae Mariae Virginis, quo gloriosa Conceptio ejusdem Genitricis Domini celebratur. Et tamen in concilio Londoniensi anno 1328 celebrato hujus festi institutio beato Anselmo tribuitur. Quod forsan de Anglia solum intelligendum.“

Circa finem saeculi XI. s. Anselmus Cantuariensis coepiscopis suis et omnibus b. Virginis mysteria colentibus epistolam scripsit „de Conceptione beatae Mariae,“ in qua revelationem, Elsino Abbati factam, narrat. Abbati huic injunctum fuit, ut diem conceptionis et creationis b. Virginis solemniter die 8. Decembris celebraret et celebrandum aliis praedicaret. Natalis Alexander una cum aliis epistolam Anselmi commentitiam esse declarat. „Utcunque tamen sit, animadvertit Benedictus XIV.[4]) de Anselmi epistola ac de tempore, quo Conceptionis festum in Anglia firmatum fuit, a communi non arbitramur esse nobis opinione recedendum, quae hujus solemnitatis institutionem Angliae refert acceptam.“ Aliquam de epistola et revelatione notitiam habuit d. Bernardus, quare in sua ad canonicos Lugdunenses epistola mentionem fecit, quod scriptum supernae, ut dicunt, revelationis proferatur.

---

[1]) L. c. tom. I. 98 sqq. [2]) De antiq. Eccl. ritib. tom. III, lib. IV, cp. 31. [3]) In Actis Ss. saec. II, Benedict. pag. 1039 edit. Paris. 1669. [4]) De festis Beatae Mariae Virginis cp. 15 n. 20.

De tempore, quo in Ecclesia Romana haec festivitas celebrari coeperit, auctores inter se minime consentiunt. Tempore s. Bernardi certissime ibi nondum erat introducta ideoque Lugdunenses Canonicos vehementer increpabat, quod „novam inducere voluerint celebritatem, quam ritus Ecclesiae (Romanae) nescit." Nonnulli aetate s. Bonaventurae hoc festum Romae celebrari coeptum esse autumant. Juxta Baluzium, qui in notis ad vitas Paparum Avenionensium testimonia affert Speculatoris saeculo XIII. et Joannis Andreae saeculo XIV. florentium, horum testium tempore festivitas Conceptionis celebrata est. In constitutione sua II. ait Sixtus IV.: „Sane quum sancta Romana Ecclesia de intemeratae semperque Virginis Mariae Conceptione publice festum solemniter celebret." „Clemens IX. octavam addidit et Clemens XI. ad Conceptionis Mariae venerationem et cultum amplificandum voluit, hanc festivitatem ex iis esse, quae in tota universali Ecclesia de praecepto celebrantur." [1])

§. 2.

Festum Nativitatis beatissimae Virginis. Die 8. Septembris.

„Si Natalem Joannis, inquit jure merito ven. Canisius,[2]) qui tantum praeco et praecursor Domini fuit, die stato rituque publico cohonestamus, et Angeli vaticinium illud: „Multi in nativitate ejus gaudebunt," [3]) ad nos quoque pertinere prae nobis ferimus, cur non tantumdem operae et studii Natali Mariae celebrando ponamus, et novam quandam animorum laetitiam declaremus, quando non Christi modo, sed nostra quoque Mater primum apparet suoque adventu Evangelium, hoc est faustum felixque nuntium, affert, ut

---

[1]) Ibid. n. 22. [2]) De Maria Virg. Deip. lib. I, cp. 11. [3]) Luc. I, 14.

mundus tristitia diuturna oppressus tandem aliquando, ut nunquam antea, possit respirare."

1. In assignando tempore, quo hoc festum celebrari coeptum est, auctores valde dissentiunt.

a. Sunt, qui tempore s. Augustini illud celebratum fuisse censeant idque eo demonstrare conentur, quod plures sermones in Nativitate b. Virginis ab illo s. Doctore scriptos fuisse dicant. Pro tuenda hac opinione allegatur quoque, quod in hujus diei officio legatur sermo s. Augustini, in quo haec habentur: „Gaudeat terra nostra tantae Virginis illustrata natali." „At facilis est, inquit Colvenerius,[1]) responsio, illum sermonem esse 18 de Sanctis, qui in operibus s. Augustini est secundus de Annuntiatione et doctorum virorum judicio non est Augustini, sed Fulgentii, aut potius Fulberti Carnotensis... Quicunque autem fuerit auctor dicti sermonis 18 de Sanctis, non est compositus pro festo Nativitatis b. Virginis, sed, ut expresse habetur in ipso sermone, pro die Annuntiationis Dominicae. Neque in eo habetur: „Tantae Virginis illustrata natali, sed solemni die." Ab Ecclesia vero paucis verbis mutatis accomodatus est huic diei Nativitatis, ut fit aliquando, dum in antiphonis et responsoriis alicui festo propriis, alteri applicantur." Quo de sermone ita judicat Azorius: „Solet Ecclesia in antiphonis et responsoriis interdum nonnulla ex s. literis et s. Patribus accipere et in his nonnihil mutare." Allegatur porro pro hac opinione s. Cyrilli Alexandrini homilia, quae in ipsa die octavae hujus festivitatis recitatur. „Hilarem, ibi legimus, video coetum fidelium omnium, qui convenerunt promptis animis, a sancta et Dei matre Maria convocati." At sermo ille in concilio Ephesino in ecclesia b. Virgini dedicata habitus est, ideo patres convocati dicuntur a Matre Dei.

Apertissime vero opinioni huic contradicit s. Au-

---

[1]) L. c. p. II, ad diem 8. Sept. [2]) Instit. Moralium p. II, cp. XIX, D.

gustinus[1]) ipse in sermone de s. Joannis Baptistae nativitate festum nativitatis b. Virginis excludens. „Natales dies carnis, inquit, nulli prophetarum, nulli patriarcharum, nemini Apostolorum celebravit Ecclesia: solos duos natales celebrat, hujus (s. Joannis) et Christi.“

b. Juxta aliquot auctores hoc festum saeculo IX. nondum fuit celebratum. Ita sentiunt Thomassinus[2]) et Cardinalis Baronius, quorum hic ita scribit:[3]) „Constat, gallicanam ecclesiam etiam temporibus Caroli Magni et Ludovici Pii eam solemnitatem ignorasse, ut apparet ex Concilio Moguntino sub eodem Imperatore celebrato anno Domini 813 can. 36 et ex capitularibus ejusdem Imperatoris et Ludovici Pii.“[4])

Quae sententia jure ac merito rejicitur. Plures enim scriptores ecclesiastici ante Caroli Magni et Ludovici Pii tempora florentes hujus festi mentionem fecerunt: vg. s. Ildephonsus,[5]) ven. Beda,[6]) Sergius I. Papa indicens in quatuor celebritatibus s. Deiparae, videlicet Annuntiationis, Purificationis, Assumptionis et Nativitatis publicas litanias. „Nec obstat, notat Azorius,[7]) nullam esse in Conciliis praedictorum Imperatorum saeculo celebratis mentionem factam hujus celebritatis; hoc enim solum indicat, gallicanas ecclesias nondum eo tempore hunc diem festum agere et observare coepisse. Quare falsum omnino est, quod auctor quidam scripsit, hanc b. Virginis celebritatem ab Innocentio IV. esse institutam.“ Thomassini et Baronii opinio refellitur etiam per Usuardum monachum, qui sub Caroli Magni imperio Martyrologium confecit ibique pro die 8. Septembris posuit festum Nativitatis b. Virginis.[8])

---

[1]) Opp. edit. Maur. tom. V, serm. 287 n. 1. [2]) In Comment. de dierum festorum celebrat. lib. II, cp. 20. [3]) In Notis ad Martyrol. Rom. die 8. Sept. [4]) Lib. I, cp. 164; lib. II, cp. 35; lib. VI, cp. 186. [5]) In lib. de Virginit. B. M. V. [6]) In Martyrol. sexto Idus Sept. Nativitatem B. M. V. ponens. [7]) L. c. cp. XIX, E. [8]) Cfr. Bollandistae in Actis Sanctorum Junii tom. VII.

c. Festum Nativitatis b. Virginis circa tempus Concilii Ephesini institutum fuisse, nonnulli putarunt scriptores. De qua sententia scribit Baronius l. c.: „Quantum ex historiis ecclesiasticis compertum habeo, a Concilii Ephesini temporibus, ex quo execranda illa Nestorii haeresis damnata atque proscripta est, qua sanctissimae Mariae Virginis titulus ille supremus, Dei genitricis, impie auferebatur, animadvertimus secundum ea prophetae verba: „In tribulatione dilatasti mihi“ — magis magisque in dies, toto orbe christiano beatissimae Virginis cultum auctum amplificatumque fuisse: non tamen dicere praesumimus, eo tempore institutam esse praesentem solemnitatem.“ Azorius, apertissimus hujus opinionis patronus, ita disserit[1]): „Mihi admodum verisimile sit, Ephesini et Chalcedonensis Concilii temporibus Natalem Deiparae inter dies festos celebrari et coli coepisse. Tunc enim damnata est haeresis Nestorii . . ., tunc floruit Cyrillus Alexandrinus, qui fuit religiosissimus b. Virginis cultor.“ Cui sententiae inter alios etiam Perrone favere videtur. „Prima monumenta, quae certitudinem de celebratione b. Virginis ortus aliqua suppeditare ratione videntur, inquit,[2]) occurrunt in Sacramentario Gelasiano, post annum 492 edito.“

Gelasius I. Papa Nativitatem b. Virginis proprio Officio donavit ejusque festum pro sexto Idus Septembris signavit.[3]) In sacramentario s. Gregorii M. porro V. Idus Septembris legitur: „Nativitas s. Mariae Virginis.“ Ille sex orationes, quarum tres hodieque recitantur, pro Missa Nativitatis B. M. V. composuit. S. Ildephonsus Toletanus versus annum 650 florens clarissime dicit, Nativitatem b. Virginis ex auctoritate totius Ecclesiae celebrari. „Quomodo Spiritu sancto eam replente,

---

[1]) L. c. pag. 53. A. [2]) De immaculato B. M. Virginis conceptu. Tornaci 1858 pag. 247. [3]) Cfr. Opera s. Gregorii M. lib. II, col. 50.

inquit,[1]) non sine peccato originali fuit, cujus etiam nativitas gloriosa catholica in omni Ecclesia Christi ab omnibus felix et beata praedicatur? Enimvero, si non beata esset et gloriosa, nequaquam tam festiva celebraretur ubique ab universis. Sed quia tam solemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiae, quod nullis, quando nata est, subjacuit delictis, nec contraxit in utero sanctificata originale peccatum."

Sergius papa, cujus pontificatus incepit anno 688, praescripsit,[2]) ut diebus Annuntiationis Domini, Dormitionis ac Nativitatis s. Dei genitricis Mariae et s. Simeonis, quod ὑπαντή dicitur graece, cum litaniis exeant et ad s. Mariam populus occurrat. Apud Graecos hoc festum jam olim viguisse, probat s. Joannes Damascenus, a quo, coaetaneo ven. Bedae, tres adhuc exstant orationes in hoc festo. Celebris est apud Graecos Emmanuelis Comneni Imperatoris constitutio, qua hic dies ferialis constituitur. Circa annum 847 Leo IV. papa indulgentias concessit omnibus fidelibus, qui Ecclesias b. Virginis de Monte Carmelo in festis Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis b. Genitricis Dei Mariae devote visitaverint.

Apud Latinos plurimi hoc tempore occurrunt patres, qui sermones eodem festo habitos reliquerunt; inter alios Fulbertus Carnotensis, Bruno Carthusianus, Honorius Augustodunensis, Petrus Damianus, Radulphus Ardentius, d. Bernardus, qui in sua epistola infra citata[3]) ita scribit: „Sed et ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia et ab Ecclesia indubitanter habere festivum atque sanctum, firmissime cum Ecclesia sentiens, eam in utero accepisse, ut sancta prodiret . . . . Fuit procul dubio Mater Domini ante sancta, quam nata: nec fallit omnino sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum

---

[1]) In lib. de Virginit. et Parturitione B. M. V. [2]) Cfr. Ord. Rom. de off. Missae p. 21. [3]) Epist. 174.

Nativitatis diem, et omni anno cum exsultatione universae terrae votiva celebritate suscipiens.“ Quod tempus s. Bernardi aetatem sequens attinet, non est, cur plura in medium proferantur testimonia.

2. Octavam festo adjecit Innocentius IV. „Causa hujus instituti, inquit Arnoldus Wion,[1]) haec fertur, quod quum S. E. R. Cardinales ob multiplices Friederici II. Imperatoris insidias post mortem Coelestini IV. de eligendo Pontifice inter se convenire non possent, jamque Apostolica Sedes viginti fere et uno mensibus rectore caruisset, ad misericordiae reginam conversi, voto voverunt, se ejus Nativitatis octavum diem praecepturos, si a Filio suo, summo omnium pastore, pastorem sibi precibus impetraret. Quod quum ex animi eorum sententia successisset, Innocentius, qui unus ex voventibus fuerat, ut voto satisfaceret, primo sui pontificatus anno eundem octavum Nativitatis diem pio decreto celebrari praecepit et quoad vixit devote celebravit. Quod ab eo sic acceptum in hodiernum manet.“ Ita ille.

Quocum consentiunt Laziardus,[2]) Samarinus,[3]) Baronius[4]) aliique plures.

§. 3.

Festum Nominis beatissimae Virginis. — Dominica infra Octavam Nativitatis.

„Etsi non satis exploratum habeamus, scribit Benedictus XIV.,[5]) annuntiatumne sit ab Angelo Mariae nomen ac imponi jussum a Deo, ut nomen Jesu, aut Joannis ejus Praecursoris,[6]) magna tamen erga illud fuit

---

[1]) In lig. vitae lib. V, cp. 22 apud Colvenerium l. c. p. II, pag. 211. [2]) In epitome universalis historiae. [3]) In Sacerdotum thesauro p. I. [4]) In not. ad Martyr. Rom. die 15. Sep. cfr. Benedictus XIV, l. c. cp. IX, n. 10. [5]) L. c. cp. X, n. 1. [6]) „Die, qua nata est (b. Virgo), impositum est ei nomen Maria a parentibus secundum angelicam revelationem.“ Ita s. Antoninus p. IV, tit. 15 cp. 14.

in Ecclesia veneratio, ut aliquando feminis vel regio sanguine prognatis illud minime licuerit indere; quasi de dignitate sancti nominis multum detraheretur, si feminis etiam reginis imponeretur.“ Hujus s. Nominis festum a Pio V. sublatum Sixtus V. restituit; officium Nominis ab universa Ecclesia recitari jussit Innocentius XI. „Quod quidem venerabile nomen, inquit breviarium Romanum,[1]) jam pridem in quibusdam christiani orbis partibus speciali ritu cultum, Innocentius XI. Romanus Pontifex ob insignem victoriam sub ejusdem Virginis Mariae praesidio de immanissimo Turcarum tyranno cervicibus populi christiani insultante, Viennae in Austria partam, et in perenne tanti beneficii monumentum in Ecclesia universali singulis annis Dominica infra Octavam Nativitatis beatae Virginis Mariae celebrari praecepit.“

§. 4.

Festum Praesentationis beatissimae Virginis. Die 21. Novembris.

1. In Ecclesia orientali hoc festum recolens mysterium, quo b. Virgo a parentibus in templo fuerit praesentata,[2]) jam saeculo septimo celebratum fuisse, ostendit sermo s. Germani, Archiepiscopi Constantinopolitani, anno 715 florentis. Exstat sermo ille[3]) et incipit: „Ecce rursus dies festus et celebris matris Domini.“ „Congratulamini mihi omnes, inducit s. Praesul Annam loquentem, quia hodie mater et deductrix sum declarata filiae meae: non ad terrenum aliquem regem, quia non aequum esset, sed coelesti regi eam tanquam

Cui consentit de Castro inquiens (in hist. b. Virginis cp. 2 n. 10): „Divinitus revelatum fuit parentibus nomen Mariae.“

[1]) P. autumnalis; dom. infra Oct. Nativit. B. M. V. [2]) Cfr. Baron. in notis ad Martir. die 21. Novembris; Benedictus XIV, l. c. cp. XIV. n. 1. [3]) Bibl. mag. Pat tom. VIII, 4. edit.

debitum[1]) donum offerrens dedicansque. Accipe igitur, quod reliquum est, o Dei vates, a Deo mihi datam filiam: accipe atque introducens, planta ipsam in omni sanctificatione, in Deo dicatum habitaculum, nihil anxie inquirens, donec, quae ipsi de illa statuere visum fuerit, finem suum excipiant, ad quem illam Deus vocavit." Etiam Gregorii Nicomediensis circa annum 700 viventis exstat sermo apud Surium sub titulo: „Oratio de exitu sanctissimae Dominae nostrae Dei parentis, quando fuit oblata in templo."[2]) Praesentationis b. Virginis historiam refert inter alios s. Gregorius Nyssenus oratione in diem natalem Christi. In constitutione Emmanuelis Comneni Imperatoris festum Praesentationis inter alia festa numeratur.[3])

2. Ex Ecclesia orientali solemnitas haec transiit in Ecclesiam occidentalem et celebrari coepta est Avenione anno 1372, ut observatum Danieli Papebrochio in conatu chronico historico ad catalogum Pontificum Romanorum,[4]) qui exstat in propylaeo ad acta Sanctorum Maji. Recepta est a gallicanis ecclesiis praesertim propter devotionem Caroli V., regis Francorum, ut testatur ejus epistola ad Nicolaum, Antisiodorensem Episcopum anno 1375, quam citat Molanus.[5])

Hoc festum institutum et approbatum fuisse a Pio II.

---

[1]) „Quamquam vero lex de offerendis primogenitis ad offerendas filias non obligaret, notat Suarez in III, p. tom. II, disp. VII, q. 29, poterant tamen parentes voluntarie eas offerre ac divino operi consecrare." [2]) Apud Colvenerium l. c. ad diem 21. Novembris. [3]) Recitatur illa constitutio a Theodoro Balsamon in Nomocanone Photii tit. 7 cp. 1. [4]) In Gregorio XI, §. 3 pag. 422 edit. Venet: „Egregia Pontificis hujus (Gregorii XI.) erga Deiparam Virginem devotio probavit sese, quando ad instantiam Philippi de Mazeriis, Cancellarii Cypri, post maturam totius negotii discussionem recepit Festum et officium Praesentationis, quod coram se fecit celebrari" Avenione in Ecclia fratrum Minorum die Dominica 21. Novembris anno 1372 — apud Sandinum Historia familiae sacrae pag. 349. [5]) In annotationibus ad hunc diem apud Colvenerium l. c. ad 21. Nov.

ejusque successore Paulo II., testatur Joannes Bonifacius.[1] Instituit illud Pius II. ad instantiam Wilhelmi Ducis Saxoniae anno 1460. Literas vero non fuisse expeditas, patet ex diplomate, quo Paulus II. anno 1464 pro terris et dominiis praefati Ducis approbavit hoc festum ex Saxonia mox transiens ad alias Germaniae partes.

Pio V. Pontifice solemnitas haec, seu, ut Benedictus XIV.[2]) putat, verius officium, quod recitabatur, nonnihil oppugnatum est. „Re autem, inquit l. c., rursus novo subjecta examini sub Sixto V., quum consideraret Pontifex vetustatem hujus festi, ... etiam hanc aliis beatae Virginis solemnitatibus addidit anno 1585.“ „Aliis igitur celebritatibus perpetuae Virgini, quae ab aeterno praeparata, et propheticis testificationibus praenuntiata, nondum tamen Mater Dei Angelo nuntiante fuerat effecta, a catholica Ecclesia consecratis, ejusdem quoque, quae Dei templum futura erat, et sacrarium Spiritus sancti, in templo Praesentationem ab antiquissimis usque temporibus summa ubique gentium cum veneratione observatam ascribi volumus, et sicubi intermissa est, restitui ac jugiter custodiri.“[3])

§. 5.

Festum Desponsationis beatissimae Virginis. Die 23. Januarii.

1. In Ecclesia Occidentali non invenit Colvenerius[4]) antiquiorem hujus festivitatis mentionem, quam a ducentis annis. Quo tempore pro ea instituenda multum laboravit celeberrimus Universitatis Parisiensis cancellarius Joannes Gerson, praecipua erga s. Joseph devotione

[1]) Historia virginalis lib. I, cp. 6. [2]) L. c. cp. XIV. [3]) Exstat Sixti V, constitutio, ex qua haec verba deprompta sunt, tom. II, Bullarii n. 7. [4]) Kalendarium Sacratissimae Virginis Mariae novissimum. Duaci 1638 tom. I, pag. 65.

inflammatus. Duae ipsius de desponsationis festivitate epistolae exstant cum officio pro hac festivitate per eum composito. „Nostro saeculo, inquit Colvenerius, Petrus Auratus ordinis Praedicatorum aliud desponsationis officium composuit et Paulum III. anno 1546 literis sollicitavit, ut id sua auctoritate approbare dignaretur.“ Verisimiliter Pontifex hisce annuit precibus; anno 1537 enim idem Paulus jam Joanni Calvo, Commissario Fratrum Minorum, viva voce concesserat, quod desponsationis officium a Fratribus et Monialibus ejusdem Ordinis et sororibus sub eorum cura degentibus per totum orbem die septima Martii sub ritu duplici majori celebrari posset. „Utrum autem officium illud, scribit Benedictus XIV.,[1]) ad universalem Ecclesiam extensum fuerit, antequam Breviarium Romanum reformatum esset, neque negare possumus, neque affirmare. Illud ex s. Rituum Congregationis regestis apparet, post Breviarii reformationes pluribus Ecclesiis intra Italiam et extra recitandi ejus officii facultatem esse concessam, atque in omnibus ecclesiasticae ditionis regionibus recitari ex indulto Benedicti XIII. die 22. Augusti 1725.“

2. De anni tempore, quo beatissima Virgo s. Josepho sociata est conjugio, scribit Petrus Auratus jam supra laudatus, hoc factum esse die 22. vel 23. Januarii i. e. duobus mensibus ante Gabrielis adventum, quem praecessisse demonstravimus. Cedrenus[2]) animadvertit, b. Virginem sex mensibus post matrimonium initum a Gabriele laetum de mundi salute accepisse nuntium et proinde totidem mensibus Desponsationem praecessisse. Verum tamquam antiquiori magis credendum videtur Evodio, in cujus epistola[3]) haec leguntur: „Trimula quum esset B. Maria, in templum est praesentata et ibi in sanctis sanctorum traduxit annos undecim.

---

[1]) De festis B. M. Virginis cp. I, n. 14. [2]) Ad annum 43 imperii August. [3]) Apud Nicephorum lib. II, cp. 3 hist. eccl.

Deinde vero sacerdotum manibus Josepho ad custodiam est tradita, apud quem, quum menses peregisset quatuor, ab Angelo Gabriele laetum illum accepit nuntium." Hanc sententiam de Desponsatione facta quatuor mensibus ante angelicam salutationem sequuntur Canisius,[1]) Christophorus a Castro,[2]) Lucas Pinellus,[3]) Carolus Stengelius.[4]) Joannes Laurus desponsatam eam fuisse dicit die 25. Novembris.

Possent forte juxta Colvenerium diversae hae sententiae eo conciliari, quod duplicem distinguamus desponsationem: unam per verba de futuro, alteram per verba de praesenti factam. Intelligitur autem haec festivitas de desponsatione per verba de praesenti.

3. Variis temporibus hoc desponsationis festum in Ecclesia celebratur. Sic vg. in Gallia die 22. Januarii. Die 7. Martii illud celebrare concessum est fratribus Minoribus, die 8. Martii fratribus ordinis Servorum B. Mariae Virginis. In aliis regionibus die 19. Martii vel die 18. Julii celebratur; in ordine Annuntiatarum die 22. Octobris.

4. Subjungamus hic nonnulla de annulo pronubo. Perusii in Umbria annulus servatur, quem beatissima Virgo induisse dicitur, quum s. Josepho nupsit. Est ille, ut Joannes Baptista Laurus[5]) refert, e gemma onychina solida constans, quam amethystum alii, alii chalcedonium vocitant. Hunc annulum tulit in Italiam tempore Comitis Hugonis ad annum 1100 quidam veniens ex Hierosolymis, qui eum obtulit Rainerio cuidam comitissae famulo. Rainerius detulit annulum ad Comitissam, quum mortuus fuisset unicus Rainerii filius et illatus in tumulum tantisper revixisset, ut revelaret pretiosum thesaurum, quo revelato placide mortuus est, et cam-

---

[1]) De b. Maria lib. V, cp. 1. [2]) Historia Deiparae cp. IV, n. 14. [3]) In Mediationibus de vita B. Mariae. [4]) In Vita s. Josephi cp. II. [5]) In Commentario de hoc annulo. Romae 1622. [6]) Cfr. Bollandus in Vita s. Josephi.

panae a nullo pulsatae suo sonitu thesaurum et miraculum vulgaverunt. Postea Waldrada, mulier sanguinis regii, temere illum inseruit digito suo, qui incurabiliter arefactus est. Et lignea theca, in qua olim servatus fuerat, in quodam incendio mansit sola inviolata ab igne. Haec ultima acciderunt Perusii, quo delatus fuit annulus 1477 ab urbe Clusinorum quoque undecim clavibus conclusus ter quotannis spectandus exhibetur.

De annulo hoc scripsit Abraham Bzovius:[1]) „Quod Italiam adeoque nobilissimam civitatem hoc annulo veluti pretiosissimo donario regina coelorum dignata sit, facile mihi persuadeo: quum in Italia videam aedem Lauretanam, angelicis manibus e Palaestina delatam, cunas et praesepe, in quibus eum, quem orbis capere non sustinet, collocaverat, capillos, zonam, sudaria et id genus pretiosissima a diva Deiparente relicta pignora, ab Oriente Romam et in alias occiduas urbes piorum studio translata. De vestro annulo auget fidem longi temporis acerrima inter bellicosissimos vestros Perusianos ac Senenses ante CL. annos dimicatio, quam opus fuit Sixto quarto P. M. dirimere annulumque vestrum Romam deferri jubere, seponendum in aliqua urbis basilica ad universi orbis culturam." Plura prodiere postea opuscula, in quibus argumenta ad astruendam huic reliquiae fidem allata sunt. „Sed nos, inquit apprime Benedictus XIV,[2]) servata Reliquiae veneratione, quae illi debetur, sedulo monendos ducimus illa qui legerint, ne ex Actis Xysti IV. et Innocentii VIII. sibi persuadeant, Apostolicam sedem genuinum sanctum illum annulum judicasse. Nam sub illis Pontificibus illud tantummodo disceptabatur, utri populo Clusinisne an Perusinis sacer annulus esset adjudicandus: et quamquam in eo judicio praesumebatur ejus annuli veritas, attamen quis ignorat,

---

[1]) In Literis ad Joannem Laurum. [2]) De Festis B. Mariae Virginis cp. I, n. 15.

liud esse praesumere, aliud definire et declarare? Multa uidem a Summis Pontificibus de certis quibusdam Requiis jubentur, sed ea diserte apposita, vel certe subudienda clausula, ut, quod ad earum veritatem pertinet, ıa cuique sit probabilitas, cui nihil censeri debeat uctum."

§. 6.

Festum Annuntiationis beatissimae Virginis. Die 25. Martii.

Annuntiationis festum ex traditione apostolica rtum duxit et saltem circa annum 232 solemni fficio jam celebratum fuit. Probatur 1ª pars.

„Quod universa tenet Ecclesia, docet d. Augustinus,[1]) ec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non isi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur." Ioc valet de Annuntiationis festo. Audiamus doctisimum Bollandum[2]) disserentem. „Festum hoc soəmne, ait, in tanta antiquitate eminet, ut liceat pie ıeditari, originem ejus debere ascribi gratissimo affectui)eiparae Virginis, quae singulari veneratione ac devoissimo cultu quotannis recolere solita fuit divinum beeficium, hoc die sibi et toti humano generi praestitum, uando Verbum Dei in suo virginali utero caro factum st, et ipsa annuntiationi angelicae assensum praebens, Iater Dei est constituta. Hanc piissimae gratitudinis onsuetudinem in sanctissima Deipara intuiti Apostoli ebitam agnoverunt obligationem, et venerabili imitatione bservarunt, et ubique terrarum observari debere sanxeunt."

Fuit ergo celebrari coepta haec solemnitas juxta Bollandum ab ipsa Virgine. Imitabantur eam Apo-

---

[1]) De baptismo contra Donatistas lib. IV, cp. 24. [2]) Tom. III, Martii §. 1.

stoli, quorum constitutionum vestigium in antiquissimis elucet ss. Patrum monumentis ac testimoniis. Praeclarissimum argumentum nobis praebet Chronicon Paschale seu Alexandrinum, in quo leguntur sequentia: „Igitur 25 mensis Dystri (seu Martii) tempus semestre conceptionis Elisabeth impletur: propterea dicit Evangelium: „mense autem sexto missus est Angelus Gabriel“ . . . . . Hoc ergo die (25 inquam secundum Romanos Martii mensis) catholica et apostolica Dei Ecclesia ex sanctorum Doctorum traditione, sanctae Dominae nostrae gloriosae Dei Genitricis, et semper Virginis Mariae annunciationem celebrat.“ Hanc veritatem etiam d. Augustinus[1]) testatur: „Sicut a majoribus traditum suscipiens Ecclesiae custodit auctoritas, VIII. Kalendas Aprilis conceptus creditur (Christus), quo et passus.“ Probatur 2ª pars.

S. Gregorius Thaumaturgus, circa annum 233 florens, de b. Virginis Annuntiatione tres composuit sermones, qui tomo III. biblioth. ss. Patrum habentur. S. Athanasius circiter annum 340 scribens festum Annuntiationis appellat primarium ac prorsus venerandum, in quo Deus homo factus, b. Virgo Dei mater effecta sit. Locupletissimum argumentum nobis prostat in veterum martyrologiis, kalendariis et sacramentariis, speciatim in Gelasiano hanc orationem[2]) continente: „Oblationes nostras, quaesumus Domine, propitiatus intende, quas in honore beatae et gloriosae semper Virginis Dei Genitricis Mariae annua solemnitate deferimus . . . Etiam sacramentarium Gregorianum eandem festivitatem die 25. Martii notat.

Perantiqua hujus festi traditio ex eo quoque elucet, quod utraque Ecclesia, graeca et latina, illud Kal. Aprilis celebravit. Solemne apud Graecos fuisse, in-

---

[1]) De Trinit. lib. IV, cp. 5; cfr. Martene de antiqua Ecclesiae disciplina cp. 31 n. 26. [2]) In secretis precibus missae hujus festi.

dicat canon 52 Concilii Trullani, quod vetat, ne in eo missa Praesanctificatorum celebretur: „In omnibus sanctae Quadragesimae jejunii diebus, praeterquam Sabbato et Dominica et sancto Annuntiationis die, fiat sacrum Praesanctificatorum ministerium.“ „Hunc morem, ut post verba recitata subjicit Bona,[1]) adhuc servat orientalis Ecclesia; occidentalis autem eo nunquam utitur aut usa est, nisi feria sexta majoris hebdomadis.“

Ex dictis patet, quidnam habendum sit de sententia Thomassini dicentis,[2]) nullum de hoc festo haberi documentum ante Concilium Trullanum. „Praeterquam quod Trullana Synodus non de Festivitatis institutione loquitur, respondit illi Benedictus XIV.,[3]) sed eam multo antea institutam vigere praesumit, s. Gregorius Thaumaturgus, 3 saeculi scriptor, in homilia hoc die habita ita ait: „Hodie Gabriel, qui Deo assistit, ad castissimam Virginem veniens, illud „Ave gratia plena“ ipsi annuntiat.“

Objicitur traditioni huic caput primum Concilii Toletani X. anno 656 celebrati, quo decernitur, festum Annuntiationis XV. Kal. Jan. ideoque octo ante Christi Nativitatem diebus celebrandum esse.

Caput hoc traditioni nullatenus repugnat; apparet enim ex ipsius Concilii verbis, illud decretum ideo datum esse, quod dies 25. Martii, quum vel in quadragesimalis jejunii tempus vel in majorem hebdomadem vel in paschalem solemnitatem plerumque incidat, non debita solemnitate agi potuerit.

Nec mirum profecto, quod juxta ss. Patres Annuntiationis festum ex Apostolica traditione suam duxerit originem. Est enim totius humanae redemptionis exordium, festivitas Christi Incarnationis ac Nativitatis in utero beatissimae Virginis. Jam vero si incarnatus non esset,

---

[1]) Per. Liturg. lib. I, cp. 15 §. 5. [2]) De Festor. celebrat. lib. 2 cp. 12 n. 2. [3]) De festis B. Mariae Virginis cp. 3 n. 18.

nunquam nasceretur, nunquam pateretur, nunquam resurgeret, nunquam exspoliaret infernum, nunquam ascenderet coelos, nunquam Spiritum sanctum, in quo baptizati sumus, Apostolis mitteret.

§. 7.

Festum Visitationis beatissimae Virginis. Die 2. Julii.

Urbanus VI. hoc festum instituit et in Romana, sicut in universali Ecclesia celebrari praecepit VI. Idus Aprilis, pontificatus sui anno undecimo. Sed eo morte praevento Idibus Octobris anni 1389 literae expeditae sunt. Urbani successor Bonifacius IX. primo pontificatus sui anno quinto Idus Novembris anni 1389 praedecessoris sui desiderium implens hoc festum singulis annis sexto Nonas Julii (die 2. Julii) per universum orbem sub ritu duplici cum Octava celebrari jussit.[1]) Quae octava ob nimiam festorum frequentiam quumque Apostolorum Petri et Pauli octava majori ex parte per eandem impediretur, in romano breviario ex Concilii Tridentini jussu restituto remissa est.

Fatetur Bellarminus,[2]) hoc festum in Ecclesia latina novum esse, sed ante Urbanum VI. et Bonifacium IX. in calendis Graecorum fuisse. Similiter Joannes Bonifacius[3]) asserit, Graecos multo ante hos visitantis Mariae ferias celebrasse. „Verum nullam, animadvertit Colvenerius l. c., adferunt ejus rei probationem. Celebrant Graeci die 2. Julii in honorem b. Virginis depositionem vestis venerandae ejusdem Virginis, sed de festo Visitationis nihil aperte apud Graecos invenitur. Solum apud Syros, ut patet ex novo testamento Syriaco

---

[1]) Diploma Bonifacii in tom. I. magni bullarii (const. I, huj. Pontif.) exstat. [2]) De cultu Sanctorum hom. I, lib. 3 cp. 16. Cfr. Colvenerii Kalendarium B. M. V. [3]) In historia virginali lib. I. cp. 11.

(in quo adnotatur, quae pars evangelii unoquoque festo legenda sit), et notatur hujus festi evangelium in profectione Mariae ad Elisabeth. Est insuper probabile, alias ecclesias latinas particulariter ante Urbani tempora idem festum celebrasse, ut Parisiensem 27. die Junii, Remensem die 8. Julii. In quibus ecclesiis, quia aliis diebus assignatur haec solemnitas, videtur praecessisse institutionem Romanae ecclesiae, quam alioquin ipsa die sequutae fuissent.“ [1])

Pro majori hujus festi institutionis notitia subjungimus illa, quae Joannes Pinius, Bollandi continuator, recenset. „Ut primaevam, inquit,[2]) festi hujus institutionem a primis ejus exordiis, quam possumus, altissime repetamus, revocandum est in memoriam spatium praeteriti temporis, quo Ecclesiae catholicae concordia atque unitate foede et misere distracta tunica Christi inconsutilis pernicioso pariter ac diuturno schismate in partes avulsa, dissecta et dilacerata fuit versus finem saeculi XIV. sedente Clemente VII. Gebenensi Avenione contra Urbanum VI. Ecclesiae gubernacula Romae moderantem.[3]) Ad componendas Ecclesiae turbas et famosum schisma exstirpandum solemnitatem hanc primus instituit Urbanus VI. praedictus VI. Idus Aprilis anno 1389, Pontificatus sui undecimo, ut amicum in foedus annuente et patrocinante arca foederis, sanctissima Dei Genitrice, divisa coirent Ecclesiae membra et pax unice necessaria a coelorum Regina et domina peteretur, quam mundus dare non poterat. Sublato e vivis Urbano VI., antequam

---

[1]) Exstat quidem inter sermones aestivales ven. Bedae homilia sub titulo: „In solemnitate Deiparae Virginis Mariae, quando salutavit Elisabeth.“ At hunc titulum isti homiliae additum esse, monet Colvenerius l. c., quia explicat evangelium, quod hoc die legitur et fer. 6 quatuor temporum adventus. Unde nec in illa homilia ulla mentio fit solemnitatis visitationis B. M. V. [2]) Tom. I, Julii. [3]) Schisma hoc omnium schismatum teterrimum ac longissimum annos amplius quinquaginta duravit.

decretum hoc de colenda hac festivitate more debito quaqua versum potuerit promulgari, .Bonifacius IX. ejus successor illud publicavit anno supra citato." Haec Joannes Pinius.

Solemnitati hujus festi propagandae multum inservisse Concilii Basileensis decretum,[1]) quo fideles ad beatissimae Virginis cultum excitarentur quoque Visitationis mysterium pulcherrime illustraretur, nemo est, qui nesciat. „Decrevit Synodus ad honorem Dei Genitricis, ut post expleta Resurrectionis Dominicae, Pentecostes, gloriosae Trinitatis, Corporis Christi, beatorum Joannis Baptistae et Apostolorum Petri et Pauli solemnia, in quibus Ecclesia post solemnitatem Annuntiationis dominicae, quam praefata Visitatio, temporis ordine confestim sequebatur, est occupata, per singulas Christianorum ecclesias quolibet anno sexto Nonas Julii festum Visitationis gloriosae Virginis celebretur."

„Quis tantam laetitiam satis poterit explicare", interrogant patres Basileenses, quis tanta mysteria condignis laudibus prosequatur quis haec gaudia sufficienter exponat, dum Joannes nondum natus exultat, Elisabeth adventum Virginis collaetatur, Maria in mysteriis gaudet, clausus in utero Salvator a suo recognoscitur praecursore, laetantur Angeli, coelum et terra jucundantur, et tota Trinitas novis laudibus glorificatur? Haec igitur gaudiorum magnitudo specialibus est extollenda praeconiis. Haec singularibus solemnitatibus celebranda, in qua et Dominum, qui gestatur in utero, et virginem, quae portat, et sterilem, quae concipit, et praecursorem, qui visitatur, condecentibus prosequi debemus honoribus."

Nimis inepte acatholici et inter eos praecipue Dresserus[2]) ex hisce Concilii Basileensis verbis inferebant, festum Visitationis ab hoc Concilio primitus fuisse institutum. „Fallitur Lutheranus Dresserus, inquit ideo

---

[1]) Sess. 43 Cal. Jul. anno 1441 habita. [2]) In suo libello de Festis.

Jacobus Gretserus,[1]) quum Visitationis festum institutum tradit in Concilio Basileensi anno 1441, secutus nimirum errorem Hermanni Witikindi, qui tamen id a Concilio Basileensi factum scribit anno 1432, sed errat: quia aliud est, denuo promulgare et praecipere, aliud primitus instituere. Prius illud fecit Synodus Basileensis, posterius fecerunt Urbanus VI. et Bonifacius IX.“ [2])

Quaeritur, cur Ecclesia Visitationis festum die 2. Julii celebret, quum ex Evangelio constet, b. Virginem haud ita multo post Annuntiationem in montana abiisse et Elisabetham cognatam visitasse.

Respondemus:

1. Quia haec solemnitas impeditur vel ob quadragesimam, in qua festa celebrari antiqui prohibent canones, vel ob hebdomadem paschalem.

2. Quia s. Scriptura non clare innuens, quo die b. Virgo Elisabetham visitaverit, aperte declarat, quamdiu b. Virgo apud cognatam suam manserit, nempe quasi tres menses. Ecclesia ergo certior de tempore, quo visitatio finita, quam de tempore, quo coepta est, festivitatem Visitationis celebrat post diem natalem s. Joannis Baptistae, quia tunc demum b. Virgo rediit.

§. 8.

Festum Purificationis beatissimae Virginis. Die 2. Februarii.

1. Hoc festum recolens mysterium, quo purissima Virgo Maria tempore purgationis expleto templum adiit Hierosolymitanum ibique juxta legem primogenitum suum Deo Patri coelesti obtulit, apud Graecos nec non in Ecclesia Ambrosiana inter festivitates Christi Domini, in Ecclesia Romana vero inter festa connumeratur Mariana diversisque gaudet nominibus.

---

[1]) De Festis lib. 2 cp. 3. [2]) Cfr. Sandini historia familiae sacrae. pag. 365; Benedictus XIV. de festis B. M. V. cp. V. n. 11.

Graeci illud ὑπάντην seu ὑπαπάντην i. e. occursum vocant propter occursum tunc a Simeone sene et ab Anna vidua factum.[1]) In calendario Syrorum, quod est in breviario Maronitarum, nominatur „ingressus Domini nostri in templum." Loco ὑπάντη apud Latinos saepius Hypanti legitur, ut in sacramentario s. Gregorii. „Hypanti ad s. Mariam," genuinam esse lectionem, ibidem annotat Jacobus Pamelius referente Colvenerio.[2]) Vocatur festum illud porro „festum Praesentationis Domini in templo," festum „Simeonis et Annae," festivitas Candelaria etc. „Patet hoc de festo Purificationis, scribit quoad ultimam significationem Joannes Gerson,[3]) quod ideo Candelaria vulgo dicitur, quia portantur candelae ardentes illa die in honorem purissimae et lucidissimae Virginis Mariae, quae prius portari apud gentiles consueverunt in venerationem cujusdam deae et in lustratione urbis Romanae."

2. Quod hujus festi attinet exordium, duplex praecipue[4]) existit opinio.

a. Festum Purificationis in Oriente celebrari coepit sub Justiniano Imperatore anno 541. Hujus sententiae patronus principalis habetur Cardinalis Baronius allegans[5]) testimonium Nicephori Callixti dicentis,[6]) „Imperatorem Justinianum instituisse tum primum toto orbe terrarum, festo die celebrari Hypapantem i. e. occursum Domini." Etiam Sigebertus illius institutionem ad Justiniani tempora refert. „Sub Justiniano, inquit,[7]) Constantinopoli mortalitate magna insurgente statuta

---

[1]) Cfr. Ducangius in Glossario s. v. Hypapanti p. 1275 tom. III. [2]) L. c. tom. I, ad diem 1. Februarii pag. 90. [3]) De directione cordis Consid. 21 tom. III. [4]) Reusnerus in diario suo historico scribit institutum a Sergio papa anno 680; Cedrenus in compendio historiarum, anno nono Justini Magni, Justiniani praedecessoris introductum fuisse asserit; alii inveniunt hujus festi exordium sub Pontificatu. Gelasii versus annum 494; cfr. Colvenerius l. c. tom. I, pag. 97. [5]) In Notat. ad Martyrol. Rom. [6]) Hist. eccl. lib. XVII, cp. 28. [7]) In Chronic. ad annum 542; apud Colvenerium l. c. pag. 96.

est solemnitas Purificationis b. Mariae, quae Graece ὑπαπάντη i. e. obviatio dicitur, eo quod die illo Simeon obviaverit oblato in templo Domino, et ita mortalitas cessavit." Evagrius de eadem lue tractans scribit,[1]) „eam per 52 annos universum orbem terrarum depastam fuisse." Ad defendendam hanc sententiam, quam etiam Thomassinus[2]) tenet, Baronius animadvertit, a s. Patribus, qui ante Justinianum Imperatorem vixerunt, nullum sermonem in hoc festo habitum esse vel saltem exstare.

b. Juxta alteram sententiam hoc festum probabiliter est a tempore Apostolorum vel saltem a tempore Apostolis proximo. Opinioni huic patrocinatur inter alios Joannes Carthagena dicens,[3]) ex communi theologorum sententia illud recte tribui Apostolis, cujus exordium in Ecclesia ignoretur et tamen in antiquissimis Patribus inveniatur; hoc vero quoad Purificationis festum valere. S. Methodius, Episcopus Tyrensis, teste d. Hieronymo[4]) sub Decio et Valeriano martyrio coronatus, homiliam adhuc exstantem de occursu Domini habuit. „Non est, notat Colvenerius optimo jure de hac homilia,[5]) cur quidam illam ad Domini Natalem detorqueant, quum clarum sit, eo minime pertinere, nec esse commentarium in Lucam, sed in solemni hoc festo recitatam." Id ipsa homiliae verba apertissime evincunt. „Mater ipsius supra legem existens, se legi submittit, quaeque pura, quum sit, tempus tamen 40 dierum in pollutas constitutum praefinitumque observat; fitque legi obediens is quoque, qui a lege liberat: et oblatio pro eo offertur, qui nos sanctificavit, par avium mundarum in testimonium illorum, qui mundi inculpatique accedebant." Similiter s. Gregorius Nyssenus, frater germanus s. Basilii, qui anno 340 floruit, in hoc festo habuit sermonem nec minus

---

[1]) Hist. lib. IV, cp. 28. [2]) De festis lib. II, cp. 11. [3]) Tom. II, lib. VIII, hom. 12. [4]) De scriptoribus eccl. cp. 83. [5]) L. c. pag. 100.

s. Cyrillus. „Hodie, inquit Hierosolymitanus Episcopus,[1]) coelestis sponsus cum thalamo Dei matris venit in templum. Filiae Jerusalem egredimini in occursum ejus. Lampades alacriter accendamus vero lumini .... Tamquam filii lucis ceras verae luci Christo offeramus. Quoniam lumen ad revelationem gentium mundo apparuit, ideo lumina ex lumine supra nivem resplendeamus etc." Quibùs s. Patribus adjiciendus ex Latinis inter alios d. Hieronymus, qui in hoc festo assignat epistolam et evangelium, quae hodieque leguntur. Nil mirum ergo, quod Azorius scribere non·haesitarit:[2]) „Puto, hanc celebritatem antiquissimam esse, et fortassis ab Apostolis, vel primis eorum discipulis institutam." Subscribunt huic sententiae etiam Gretserus,[3]) Bellarminus[4]) et Bollandus.[5])

Poterit tamen utraque sententia quadantenus conciliari, si dicimus, quod antea quidem hic illucque celebratum est, Justinianus Imperator praecepit, ut solemni festo per totum Romanum imperium ab omni populo abstinendo ab operibus servilibus feriaretur. Id enim teste Colvenerio Nicephori verba supra citata innuunt sicque intelligendum erit, quod asserit, a Justino nempe Christi Nativitatis festum institutum fuisse. „Imperatorem Justinianum instituisse, inquit, tùm primum toto orbe terrarum, Festo die celebrari Hypapantem, sicut Imperator Justinus de s. Christi Nativitate fecerat." Certum et indubitatum enim est, Nativitatis Christi festum jam a primis Ecclesiae saeculis semper fuisse celebratum.[6]) Sic etiam Constantinus Magnus testante Eusebio Caesariensi[7]) praecepit, ut omnes ab omnibus

[1]) Hic sermo legitur ad finem tom. IV, Bibl. Patrum cp. 541. [2]) L. c. cp. XVIII, C. [3]) De festis Christianorum lib. II, cp. 3. [4]) Controv. lib. III, de cultu Sanctorum cp. XVI. [5]) De Actis Sanctorum tom. II. [6]) Cfr. Tractatus de vita, mysteriis et annis Jesu Christi auctore Graveson edit. IV, pag. 178. [7]) De vita Const. M. lib. IV, cp. 18.

operibus servilibus abstinuerint diebus Dominicis, licet dies Dominica ab Apostolorum tempore coli coeperit.

3. Duplex quoque causa, cur hoc festum institutum sit, afferri solet.

a. Ad abolendam Lupercaliorum festivitatem Purificationis festum a Gelasio introductum est. Ita censet Baronius scribens l. c.: „Constat, Gelasium, Romanum Pontificem, qui annis triginta ante Justiniani tempora Romanae Ecclesiae praefuit, hujus diei celebrandae in occidentali Ecclesia aperuisse viam, dum Lupercalia mense Februario agi solita (ut scribit Varro [1]) Romae ad ea tempora permanentia legibus ecclesiasticis abrogat... Jure itaque opinamur, abrogatis Lupercàlibus [2]) Romae, sicut in multis accidit, ejusmodi fuisse solemnitatem introductam, quam paulo post Justiniani temporibus Orientalis Ecclesia ea occasione recepit.“ Haec ille. Neque dissona est opinio Thomassini,[3]) Honorati[4]) et Allatii[5])...

b. Alii tamen iique viri gravissimi vg. s. Ildephonsus Toletanus,[6]) s. Eligius Noviodunensis,[7]) ven. Beda[8]) aliam institutionis hujus festivitatis causam afferunt. Audiamus Toletanum Praesulem de ea ratione disserentem. „Agitur autem haec festivitas mense Februario, quem Romani adhuc pagani a Februo i. e. Plutone sic vocaverunt: quem potentissimum purgationis credebant, februare enim purgare dicimus. Quo mense lustrabatur

---

[1]) De lingua latina lib. 5. [2]) Lupercalia erant solemnia quaedam sacra, quae in honorem Panis, pastorum Dei, die 15. Februarii Romae fiebant. Lustratio erat sacrum a lustrando i. e. circumeundo dictum, quod victimae in eo sacrificio, videlicet sus, ovis, taurus, expiationis causa circumducerentur. Cfr. Rosinus lib. IV, Antiq. Rom. cp. 6 et cp. 17, Ducangius in Glossario sub v. Candelaria. „Januarius a Jano appellatus est; Februarius a Februis sacris Lupercorum;“ s. Augustinus contra Faustum lib. XVIII, cp. 5. [3]) De dierum festor. celebratione lib. II, cp. 2. [4]) In Animadvers. ad regul. criticae tom. II, lib. VIII. [5]) De hebdom. Graecorum §. 1. [6]) Serm. I, de Festivitate Purificationis B. M. V. [7]) De Purific. s. Mariae hom II. [8]) Tom. II, tract. de ratione temporum cp. 10.

civitas. Quum enim Romani omnes gentes sibi subjugassent, tributum eis imposuerunt eo tenore, ut quinto quoque anno idem tributum solveretur, quo expleto et censu persoluto ab omni populo, ut dictum est, Civitas lustrabatur et diis manibus sacrificia offerebant, quorum auxilio et virtute totum orbem se subjugasse putabant. Quam lustrandi occasionem congrue et religiose Christiana mutavit religio, quum eodem mense, hoc est, hodierna die in honorem s. Dei Genitricis et perpetuae Virginis Mariae, non solum Clerus, sed et omnis plebs Ecclesiarum loca cum cereis et diversis hymnis lustrantibus circumeunt, non jam in memoriam terreni Imperii quinquennem, sed ob recordationem coelestis regni perennem.“ Hactenus s. Ildephonsus. Auctores a Baronio Cardinali hic dissentientes non quidem in dubium revocant, a Gelasio lupercalia sublata esse, sed contendunt, ex eo nullatenus sequi, Purificationis festum subrogatum fuisse istis Lupercalibus, praesertim quum Gelasius in suo de illa subrogatione commentario nullatenus mentionem fecerit. Huc accedit, quod, uti supra ostendimus, hoc festum jam multo antea celebratum fuerit.

4. Processionis institutionem quod attinet, nonnulli auctores eam a Sergio Papa repetunt. In ordine Romano enim sequentia leguntur: „De hac festivitate i. e. ὑπάντη Domini et aliis festivitatibus sanctae Mariae in gestis pontificalibus legitur, quod Sergius Papa praeceperit, litanias fieri in die praesentationis Domini in templo. Ita enim scriptum est: Ut in diebus Annuntiationis Domini, Dormitionis ac Nativitatis sanctae Dei Genitricis Mariae et sancti Simeonis, quod ὑπάντη dicitur graece, cum litaniis exeant a sancto Adriano et ad sanctam Mariam populus occurrat. Ipsa ergo die aurora ascendente procedat omnis clerus et populus cum litania et antiphonis ad Ecclesiam s. Adriani expectantes Pontificem.“ Ita ibi. At Sergius Papa neque primus processionem neque cereorum praescripsit gestationem, ut

Colvenerius[1]) notat, sed ordinavit solum, ut processio eo modo, quo in ordine Romano describitur, Romae institueretur. Cum Colvenerio consentit Benedictus XIV. dicens:[2]) „Si Sergio non tribuimus laudem, quod Amburbalibus[3]) subrogaverit processionem, ea tamen illum gloria non fraudamus, quod processionem bene ordinaverit.“

§. 9.

Festum Assumptionis beatissimae Virginis. Die 15. Augusti.

1. Quam festivitatem omnium b. Virginis festivitatum maximam et celeberrimam ita praedicavit s. Ildephonsus Toletanus: „Haec est, inquit,[4]) sacra et venerabilis solemnitas, ante mundi constitutionem praescripta et praeordinata, sed hodierna die exultanter est impleta. Nobis quidem hodierna est et annua, sed angelis in coelo et supernis civibus est continua et perpetua. Sed quia in praesentiarum nobis continua esse non potest, debet tanto celebrior fieri prae omnibus Sanctorum festis, quanto ineffabili utitur privilegio mater Domini Salvatoris et donum possidet perpetuae virginitatis.“ Similia ex doctissimi Suaresii[5]) ore audimus: „Festum hoc maxime proprium ipsius Virginis, et inter festivitates ejus habet quamdam excellentiam, quia gloriam, praemium ac triumphum sanctissimae Virginis nobis repraesentat.“

Ne ergo mireris, quod hoc festum etiam in jure canonico celeberrimum appareat, quum permissum sit, in festo Assumptionis b. Virginis, sicuti in festis anni potioribus, nempe Nativitatis, Resurrectionis Domini

---

[1]) L. c. p. I, ad diem 2. Februarii. [2]) L. c. cp. II, n. 15. [3]) „Amburbalia, inquit Benedictus XIV. l. c., sacrificium quoddam erat, quod faces ethnici manu tenentes Urbem perlustrando celebrabant.“ [4]) Serm. II, de Assumpt. B. M. V. [5]) De relig. tom. I, lib. II, cp. 8.

Nostri et Pentecostes divina officia ipso Interdicti tempore celebrari.[1])

2. Termini „Dormitio et Assumptio“ non idem significant. Dormitio enim b. Virginis mortem, Assumptio vero b. Virginis resurrectionem triumphalemque assumptionem corporis cum anima in coelum designat. „In vetusto Ecclesiae Occidentalis martyrologio, inquit Benedictus XIV.,[2]) quod edidit Florentinius, festum mortis a festivitate Assumptionis sejungitur; nam ad diem 18. Januarii haec habentur: „Depositio sanctae ac gloriosae Mariae Matris Domini nostri Jesu Christi“ — et ad diem 15. Augusti: „Assumptio sanctae Mariae.“ Postea tamen Ecclesia haec festa conjunxit et ideo utroque hoc nomine festivitatem signat. In Ecclesia graeca praevaluit nomen „dormitio“ *κοίμησις* — transitus, translatio — *μετάστασις* — quies; in Ecclesia contra Latina consuevit vocari „Assumptio.“ Quo nomine utuntur v. g. martyrologia Galesinii, Baronii, Bedae, Rabani, item sacramentarium s. Gregorii, ordo Romanus aliique libri rituales.

3. Inquiramus, quonam tempore haec festivitas illiusque octava ac jejunium coeperint. Ac

a. quidem, quod hujus festivitatis exordium attinet, duplex nobis occurrit opinio.

α. Nicephorus refert,[3]) Mauritium Imperatorem b. Virginis dormitionem die 15. Augusti celebrari praecepisse. Ceterum hoc teste Azorio[4]) tamquam falsum alii rejiciunt eo, quod hujus diei festi celebritas antiquior esse videatur. Cum Azorio consentit Baronius. „Quod autem scribit Nicephorus, inquit,[5]) ejusmodi solemnitatem edicto Mauritii Imperatoris statutam, sic accipias, ut eam antea ab Ecclesia institutam ipse in Oriente sanc-

---

[1]) Cfr. Can. 1. de consecr. dist. 3; cp. ultim. de feriis; gloss. canon. in cp. Alma Mater, de sent. excom. in VI, apud Benedictum XIV. l. c. cp. VIII, n. 24. [2]) L. c. cp. VIII, n. 25. [3]) Lib. XVII, cp. 28. [4]) L. c. cp. XX, B. [5]) In Martyr. Rom. die 15. Aug.

tione edita promulgarit" et observante Florentinio[1]) a die 18. Januarii, quo die antea colebatur, ad diem 15. Augusti transtulerit. Juxta Colvenerium[2]) hoc festum etiam in Oriente jam ante Mauritii tempora celebratum fuit. Quod jam dudum Ecclesiae decretis sancitum fuerat nec bene ubique observatum, Imperator ille lege civili praecepit, ut in toto Romano imperio servarent et ab operibus servilibus omnes abstinerent. „Nam ibidem, inquit Colvenerius, de Justiniano Imperatore scribit Nicephorus: „Idem imperator tum primum Servatoris praesentationem toto orbe terrarum festo die honorare instituit, sicut Justinus de s. Christi Nativitate fecit." Deinde subjungit: „Atque non ita longo post tempore Mauritius sacrosanctae Dei Genitricis dormitionem 15. die Augusti celebrari praecepit." At dici non potest, Justinianum primo instituisse festum praesentationis Christi in templo, seu, ut nunc communiter appellatur, festum purificationis, neque Justinum festum Nativitatis Domini." Qua propter non pauci auctores ad hujus festivitatis exordium inveniendum progrediuntur usque ad

β. Apostolorum tempora. Ita Petrus Galesinius in notationibus martyrologii sui referens: „Haec porro diei festi celebritas ab Apostolis instituta putatur, ut facile e latinis graecisque concionibus cognosci potest." Cui sententiae subscripserunt inter alios Joannes Bonifacius,[3]) Colvenerius,[4]) Sedlmayr[5]) argumentantes: Quum jam ab antiquissimis Patribus hujus festivitatis mentio fiat quumque ejus initium ignoretur, ad tempora Apostolorum aut ipsis proxima referenda est. „Legitur in officio divino hujus diei, inquit l. c. Azorius, homilia quaedam nomine Athanasii, ubi aperte habetur, Deiparam anima et corpore esse in coelum assumptam.

---

[1]) In Martyr. Hieronymiano. [2]) L. c. ad diem 15. Aug. pag. 128. [3]) In historia Virginali lib. II, cp. 5. [4]) L. c. [5]) L. c. p. IV, sect. I, a. 7.

Eam tamen homiliam nonnulli credunt esse Cyrilli Alexandrini, non Athanasii, quum in ea homilia Nestorii haeresis confutetur. Sed hoc argumentum non omnino convincit, quia fortassis ea homilia est Athanasii et deinde ab aliquo sunt adjecta ea, quibus Nestorii haeresis damnatur.“ Sophronius anno 395 florens de b. Virginis Assumptione epistolam ad Paulam et Eustochium scripsit. Quae quidem attribuitur a quibusdam authoribus d. Hieronymo, dum Baronius [1]) eam utrique denegat; Honoratus [2]) tamen et Possevinus [3]) Sophronii esse contendunt. Etiam s. Gregorius Nazianzenus, [4]) Gelasius I. Papa, [5]) Andreas Cretensis [6]) hujus festi mentionem faciunt.

b. Octavam huic festo addidit s. Leo IV. anno 847. Rationem, cur hoc fecerit, refert Platina in vita Leonis. „Hunc, inquit, tantae sanctitatis fuisse constat, ut et basiliscum serpentem (quem Latini regulum appellare possunt) suis orationibus e fornice s. Luciae virginis in Orthea expulerit, cujus halitu et veneno multi mortalium perierant; et incendium illud signo crucis exstinxit, quod diu per domos Saxonum et Longobardorum vagatum, divi Petri Basilicae appropinquabat. Hoc autem factum est octava die ab Assumptione b. Dei Genitricis, qui dies postea ut festus celebratus est non longe a basilica Laurentii Martyris extra moenia.“ Decrevit ideo s. Leo, ut Octava b. Virginis Assumptionis in Ecclesia Romana celebraretur. [7])

c. Jejunium in hujus festi vigilia jam antea institutum fuisse, elucet ex eo, quod Nicolaus I., qui Ecclesiae praeesse coepit anno 858, in epistola sua ad Bulgaros scripserit, hoc jejunium, a Romana Ecclesia

---

[1]) Annal. Eccl. tom. I, ad ann. 48. [2]) Animadvers. ad regul. et usum critices tom. I, diss. 3. [3]) Apparat. sacr. tom. I, in Hierony. ep. 5. [4]) In tragoed. „de Christo patiente.“ [5]) In suo codice. [6]) In orat. „de dormit. Deiparae.“ [7]) Cfr. Siegebertus in Chronico an. 847; Anastasius in vita Leonis IV; Baronius Annal. tom. X. an. 847; Benedictus XIV, l. c. n. 27.

antiquitus susceptum, religiose fuisse servatum. „Secundum sacra decretalia, inquit,[1]) in his etiam a licitis se quibusdam abstineat, quadragesimali videlicet tempore, quod est ante Pascha, jejunio post Pentecosten, jejunio ante solemnitatem Assumptionis sanctae Dei Genitricis et semper Virginis dominae nostrae Mariae, nec non jejunio ante Natalis Domini nostri Jesu Christi festivitatem: quae jejunia sancta Romana suscepit antiquitus et tenet Ecclesia."

§. 10.

Festum beatissimae Virginis ad Nives. Die 5. Augusti.

1. Dedicationis basilicae s. Mariae ad nives (Romae in Exquiliis) memoriam celebrat officio duplici breviarium Romanum, in quo ita legitur:[2]) „Liberio summo Pontifice Joannes Patricius Romanus et uxor pari nobilitate, quum liberos non suscepissent, quos bonorum haeredes relinquerent, suam haereditatem sanctissimae Virgini Dei Matri voverunt, ab ea summis precibus assidue petentes, ut in quod pium opus eam pecuniam potissimum erogari vellet, aliquo modo significaret. Quorum preces et vota ex animo facta, beata Virgo Maria benigne audiens miraculo comprobavit. Nonis igitur Augusti, quo tempore in Urbe maximi calores esse solent, noctu nix partem collis Exquilini contexit. Qua nocte Dei Mater separatim Joannem et conjugem in somnis admonuit, ut quem locum nive conspersum viderent, in eo Ecclesiam aedificarent, quae Mariae Virginis nomine dedicaretur: se enim ita velle ab ipsis haeredem institui. Quod Joannes ad Liberium Pontificem detulit, qui idem per somnium sibi contigisse affirmavit. Quare solemni sacerdotum et

---

[1]) Apud Labbeum. tom. VIII, pag. 518. [2]) P. aestiva ad diem 5. Augusti.

populi supplicatione ad collum venit nive coopertum, et in eo locum Ecclesiae designavit, quae Joannis et uxoris pecunia exstructa est, postea a Xysto tertio restituta.

„Variis nominibus primum est appellata, Basilica Liberii, Sancta Maria ad Praesepe.[1]) Sed quum multae[2]) jam essent in Urbe Ecclesiae sub nomine sanctae Mariae virginis: ut quae Basilica et novitate miraculi ac dignitate ceteris ejusdem nominis Basilicis praestaret, vocabuli etiam excellentia significaretur, Ecclesia sanctae Mariae Majoris dicta est. Cujus dedicationis memoria ex nive, quae hac die mirabiliter cecidit, anniversaria celebritate colitur.“ Ita breviarium Romanum.

Gregorius XI., anno 1371 hujus nivium miraculi mentionem facit. „Intra nostrae mentis arcana revolventes, inquit, qualiter gloriosus Deus in sanctis suis in majestate mirabili opera manuum suarum verificante olim miro disposuit ordine, ecclesiam beatae Mariae Majoris de Urbe fundari ac construi, ac subsequenter etiam dedicari.“ Etiam Pius II. idem diserte tradit miraculum. „In B. Mariae Majoris urbis Romae basilica, ait,[3]) divino aestivae nivis miraculo aedificata.“

---

[1]) Circa dimidium saeculi septimi, quum praeclara praesepis Jesu Christi Lipsana Romam asportata essent, quae Theodorus Papa in hac Basilica collocavit. In Kalendario Romano saeculi VIII, hujus Ecclesiae mentio fit in dominica Paschalis hisce verbis: „In Pascha Dominica sancta ad sanctam Mariam Majorem in Praesepe.“ Cfr. Benedictus XIV. in p. c. cp. VII, n. 3. [2]) Inter alios vg. ecclesiae s. Mariae trans Tiberim. Uti enim in libro Pontificali de s. Callixto I, legitur, hic „fecit Ecclesiam s. Mariae trans Tiberim.“ Ergo Maria Major non primum erat templum b. Virgini Romae dedicatum. Quare notat Guyetus (de festis propriis sanctorum lib. 1 cp. 6 q. 13 apud Benedictum XIV. o. e. n. 18.) „Quo in genere, inquit, praecellit aliis omnibus ipsa s. Mariae Majoris basilica, una ex primariis et patriarchalibus Urbis, cujus exstruendae occasionem dedit insigne nivium miraculum, a quo et Sanctae Mariae ad Nives dici etiam consuevit.“ [3]) In Bulla anni 1463 apud Bened. XIV. l. c. n. 15.

„Quamvis plura inter Liberium et Nicolaum IV. saecula intercesserint, in quibus nullum exstat de re monumentum, animadvertit Benedictus XIV. l. c., pia tamen traditio monumentorum vim obtinet; neque enim eam veteres promulgassent Romani Pontifices, asseruissent, propugnassent, nisi altissimis etiam radicibus defixam comperissent.“ S. Pius V. festivitatem hanc in universa Ecclesia celebrandam praescripsit.

Haec habuimus, quae de potioribus beatissimae Virginis festis observatu digna reputavimus.

Te vero, Virginem Virginum, Virginem pulcherrimam, Virginem mente et opere intemeratam, quae per Virginitatem sanctissimae ac individuae Trinitati tantopere placuisti et per dilectionem inseparabiliter eidem conjuncta fuisti, te auxilium Christianorum et patrocinium Cleri potentissimum supplex oro enixeque rogo, ut libellum hunc perexiguum, ad honorem tuum conscriptum, benigne et placide suscipias utque inter eos me numeres, qui tui sunt ac praeter te et tua post Deum nil aliud desiderant nec ambiunt. Spes mea prima Deus, spes altera Virgo Maria!

Tu es dulcissima Mater Virgo, quae mortis peperisti mortem, vitam hominis, diaboli confusionem, peccatorum veniam, omnium justorum beatitudinem. Vivam ego pro te vel vivas tu potius in me, o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria! Ora Filium tuum unigenitum, ut mihi gratiam concedat dolendi de peccatis et condigne satisfaciendi utque separatam a corpore animam in gloria aeterna suscipiat, ubi laudes tuas referat per infinita saecula saeculorum!

APPENDICES.

APPENDIX I.

„ECCE VIRGO CONCIPIET ET PARIET FILIUM, ET VOCABITUR NOMEN EJUS EMMANUEL.“[1])

Isai. VII, 14.

Operae pretium nec non scopo nobis praefixo haud disconveniens erit, hanc illustrissimi veteris Testamenti vatis fusius explicare prophetiam, quam Patres vetustissimi ac probatissimi exemplum sequentes s. Matthaei Evangelistae[2]) ad demonstrandam et divinitatem Christi Filii et virgineam beatissimae Virginis maternitatem allegaverint quamque Judaei, sicuti non pauci Christiani judaizantes eripere nobis conati fuerint.

Rasin, rege Syriae, et Phacee, rege Israelis, in Achaz, regem Juda atque in urbem Jerusalem arma intentantibus, ingentem populi ruinam, imo ipsius regiae seu Davidicae familiae exterminium rex Achaz ejusque subditi pertimescebant. Ablegatur igitur a Deo Isaias propheta, qui anxios demissosque erigat animos et foederatorum regum cladem, regni vero judaici nuntiet liberationem. Ad confirmandum hunc nuntium vates alloquitur regem nomine Dei: „Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.“ [3])

En unicum exemplum a s. Scriptura relatum, quod homini praeceperit Deus, ut in verbi sui testimonium sibi

---

[1]) Cfr. Dissertatio VI: Du caractère des prophéties en général et de la prophétie d'Isaie sur l'Emmanuel en particulier, auctore cl. Dechamps in opere: „Le Christ et les Antichrist“ pag. 460 sqq [2]) Matth. I, 22 sq. [3]) Is. VII, 12.

eligat signum. Saepe saepius quidem Deus concessit signa operatusque est miracula ad legatorum suorum fidem certiorem reddendam vel ad incredulorum devincendam pertinaciam. Cujus speciei permulta nobis occurrunt exempla in terra Aegypti, quum Deus populum suum ex captivitate hac eripere voluerit. Homines ipsi saepissime postulabant signa ad probandam missionem suam a Deo acceptam, sicuti historiae Moysis et Gedeonis demonstrant. Sed non nisi una vice et quidem loco praecitato Deus ipse homini praecepit: „Pete tibi signum."

Achaz divinum hoc praeceptum adimplere renuit. „Non petam, inquit, et non tentabo Dominum."[1]) Quibus ex verbis apparet, signum, quod vates regi proposuit eligendum, signum quoddam fuisse prodigiosum, signum naturae leges supergrediens. Ita rex intellexit verba prophetae, alias non respondisset: „Non tentabo Dominum;" provocando scilicet ejus omnipotentiam, bonitatem etc. Quo responso rex haud dubie suam manifestavit incredulitatem autumans forsitan, Deum plus promisisse, quam re vera exsequi potuerit vel timorem prodidit, ne regem Assyriorum, cujus implorare decreverat auxilium, eligendo signum offenderet sibique redderet inimicum.

Achaz ergo quum incredulum sese gessisset et hypocritam simulando nominis Dei honorem, Isaias ad omnes Davidis posteros sermonem dirigit dicens: „Audite ergo domus David: Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel."[2]) Dominus ipse signum majus et nobilioris reparationis, majoris liberationis indicium domui Davidis, cujus semine procreata est Virgo illa clarissima, promisit. Quam certum est, inquit vates, Messiam Davidicae stirpis propa-

---

[1]) Is. VII, 12. [2]) Is. VII, 13 sq.

ginem ex Virgine nasciturum, tam certum, ipsam familiam Davidicam, a qua ortum ille habebit, non perituram neque judaeos proinde penitus profligatum iri. Quibus praemissis dicimus:

Isaiae oraculum ad b. Virginem Mariam referendum nec non in ea et in Filio suo primogenito adimpletum est.

Oraculum hoc de ea intelligendum est persona, quae Virgo permanens concepit et peperit Filium, cui nomen Emmanuel i. e. Deus nobiscum convenit. Atqui sola beatissima Virgo virginitate omnino illaesa concepit ac peperit talem Filium. Probatur minor.

1. Vaticinium Isaiae neque uxori Achaz neque uxori Isaiae ex pluribus rationibus convenire potest. Quod

a. uxorem Achaz attinet, rabbini et rationalistae eam sterilem fuisse devictaque divinitus sterilitate peperisse dicunt Ezechiam filium; quod erat juxta illos signum liberationis et miraculi, cujus Isaias mentionem fecit.

Si porro propheta de uxore Achaz verba fecisset, eam non simpliciter „almam" nominasset, sed pro statu dignitatis suae potius reginam vel dominam. At haec assertio s. Scripturae apertissime repugnat. Edita est enim prophetia Achaz, ad quem dirigebatur, regnante. Jam primo regni ejus anno Ezechiam novem ad minus annos natum fuisse constat. Regnavit Achaz sedecim annos. „Viginti annorum erat Achaz,[1]) quum regnare coepisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem." Mortuo Achaz statim regnavit ejus filius viginti quinque annos natus, quum regnare coepisset. „Viginti quinque annorum erat, (Ezechias, filius Achaz) quum regnare coepisset, et viginti novem annis regnavit in Jerusalem."[2])

[1]) 4. Reg. XVI, 2. [2]) 4. Reg. XVIII, 2.

„Si Judaei haec ad Ezechiam referant, filium Achaz, inquit ideo Eusebius Caesariensis,[1]) et dicant, hunc esse, qui patri suo futurus oraculo promittatur: videant quomodo Nobiscum Deus fuerit Ezechias aut quodnam signum sua majestate dignum Deus in illo ostenderit. Sed neque certamen ullum neque labor in illius ortu Deo exhibitus est. Praeterea ratione temporum Ezechias in prophetia plane excluditur. Haec enim ipso jam tum patre regnante futura canebantur: Ezechiam vero, antequam regnum acceperit Achaz, genitum esse constat. Quod si ad hunc ea minime referri possunt, multo minus ad alium quempiam eorum, qui apud Judaeos post prophetiae tempora extiterunt, praeterquam ad ortum ejus, qui verus est Emmanuel."

b. Nec de uxore et de filio Isaiae hoc vaticinium intelligendum est. Major enim prophetae filius jam natus erat, quando pater vaticinium protulit et cum illo ad regem accessit. „Dixit enim Dominus ad Isaiam: Egredere in occursum Achaz, tu et qui derelictus est Jasub filius tuus."[2]) Filius vero minor, qui paulo post natus est, non vocatur Emmanuel, sed „accelera spolia detrahere." „Et accessi ad prophetissam et concepit et peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus: Accelera spolia detrahere, festina praedari."[3]) Si propheta de sua locutus fuisset conjuge, eam sine dubio designasset nomine, quo ab aliis discerni potuisset feminis.

Quum igitur praeter Christum alius excogitari nequeat, qui ab Isaia nominatus sit Emmanuel, characteres hac prophetia contentos nulli convenire posse apparet, nisi soli Christo, qui ab eodem propheta vocatur „admirabilis, Deus, fortis, consiliarius, pater futuri saeculi, princeps pacis."[4])

---

[1]) Demonstrat. lib. VII, cp. 1. [2]) Is. VII, 3. [3]) Is. VIII, 3. [4]) Is. IX, 6 sq.

2. Uterque Evangelista, Matthaeus et Lucas, oraculum illud ad b. Virginis Mariae partum referunt. Postquam s. Matthaeus retulit, quae Angelus s. Josepho ob graviditatem conjugis suae peranxio nuntiavit: „Hoc autem totum, subjungit, factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium: et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum „Nobiscum Deus.“[1]) In verbis vero s. Lucae duo potissimum notanda sunt: beatissimam Mariam nempe virginitatem suam conservare voluisse illibatam ac illaesam et Angelum hoc illi promisisse dicentem, nil esse timendum, quippe quae s. Spiritus operatione conceptura et paritura esset.

Concinit in his privilegiis vetus Testamentum. Isaias enim aperte privilegium illud praenuntiat. „Ecce Virgo concipiet et pariet“ — quum hic ponatur nominativus „Virgo“, necesse est, ut ad utrumque verbum referatur. Eam ergo sicut in conceptu, ita in partu quoque virginem permansuram clarissime demonstratur. Alterum privilegium designat vates hisce verbis: „Et vocabitur nomen ejus Emmanuel.“

3. Omnes Patres celeberrimum hoc oraculum de sanctissima intelligunt Virgine, quae virgo permanens Christum Salvatorem peperit. Copiosissime disputat hac de re inter alios Tertullianus. „Nove, inquit,[3]) nasci debebat novae Nativitatis dedicator, de qua signum daturus Dominus ab Isaia praedicabatur. Quod est istud signum? „Ecce Virgo concipiet in utero et pariet Filium.“ Concepit igitur Virgo et peperit Emmanuelem, nobiscum Deum. Haec est Nativitas nova, dum homo nascitur in Deo; in quo homine Deus natus est, carne antiqui seminis suscepta sine semine aliquo antiquo, ut illam novo semine, id est, spiritaliter reformaret, exclusis an-

---

[1]) Matth. I, 22 sq. [2]) I, 26—35. [3]) Lib. de carne Christi cp. XVII.

tiquitatis sordibus expiatam. Sed tota novitas ista, sicut et in omnibus de veteri figurata est, rationali per Virginem dispositione Domino nascente. Virgo erat adhuc terra, nondum opere compressa, nondum sementi subacta; ex ea hominem factum accepimus a Deo in animam vivam. Igitur si primus Adam de terra traditur, merito novissimus Adam, ut Apostolus dixit, proinde de terra, i. e., carne nondum generationi resignata, in Spiritum vivificantem a Deo est prolatus . . . . Deus imaginem et similitudinem suam a diabolo captam aemula operatione recuperavit. In Virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis. In Virginem aeque introducendum erat Dei Verbum exstructorium vitae: ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem“ . . .

„Praestruxit fidem incredibili rei,“ inquit idem scriptor explicans Isaiae oraculum [1]) rationemque proferens, cur in signo esset futura. Propterea dabit vobis Dominus signum: „Ecce Virgo concipiet in utero et pariet Filium.“ Signum autem a Deo, nisi novitas aliqua monstruosa, tam dignum non fuisset. Denique et Judaei, si quando ad nos dejiciendos mentiri audent, quae si non virginem, sed juvenculam concepturam et parituram Scriptura contineat, hinc revincuntur, quod nihil signi videri possit res quotidiana, juvenculae scilicet praegnatus et partus; in signum ergo disposita Virgo et Mater merito creditur: Infans vero bellator non aeque.“

Eo pariter collimat testimonium Origenis. „Quale signum esset, inquit,[2]) adolescentulam non virginem parere? Et utri magis convenit, gignere Emmanuelem, quod est, „Nobiscum Deus:“ mulierine coitum passae et more feminarum gravidae, an purae et castae virgini? Certe hanc decet, parere talem prolem, qua nata dicatur, Nobiscum Deus.“ Ad rem quoque sunt verba s. Justini

---

[1]) Adv. Marcionem lib. III, op. 13. [2]) Contra Celsum lib. I.

Martyris ita disserentis:[1]) „Jam vero quemadmodum ex Virgine conceptis verbis Isaias praedixerit oriturum Messiam, audite. Sic autem locutus est: „Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium, et dicent super nomine ejus: Nobiscum Deus.“ Quae enim incredibilia erant et fieri non posse hominibus videbantur, ea Deus per Spiritum propheticum futura praenuntiavit, ut quum evenissent, fides eis non derogaretur, sed ex eo, quod essent praedicta, crederentur. Ne qui autem prolatam prophetiam minus intelligentes, eadem nobis objiciant, quae poetis Jovem dicentibus ad mulieres rei venereae causa ventitasse, objecimus, verba explanare tentemus. Illud igitur: Ecce Virgo in utero habebit, significat absque concubitu concepturam. Nam si cum aliquo consuevisset, non jam esset Virgo. Sed virtus Dei superveniens Virgini obumbravit eam, fecitque, ut tum, quum virgo esset, praegnaret.“ Dignissimus est s. Irenaeus, quem hoc de argumento audiamus. „Quid enim magnum, interrogat optimo jure,[2]) aut quod signum fieret in eo, quod adolescentula concipiens ex viro peperisset, quod evenit omnibus, quae pariunt, mulieribus? Sed quoniam inquinata salus hominibus inciperet fieri, Deo adjuvante, inopinatus et partus Virginis fiebat, Deo dante signum hoc, sed non homine operante illud.“

Cum antiquis Patribus in Isaiae verbis ad beatissimam Virginem applicandis recentiores fere omnes theologi et exegetae consenserunt. „Inter Christianos nulla est quaestio, profitetur Estius,[3]) quin his verbis contineatur vaticinium de partu Virginis seu nativitate Salvatoris ex Virgine.“ Imo plures non haesitarunt declarare, de fide esse, textum citatum de Christo et b. Virgine esse intelligendum. Ita Cornelius a Lapide disserit:[4]) „Dico ergo: de fide est, sic vertendum

---

[1]) In dialogo cum Tryphone n. 66. [2]) Adv. haereses lib. III, cp. 22. [3]) Ad Is. VII, 14. [4]) Comment. in cp. VII, Is. pag. 116.

esse: Ecce Virgo concipiet: et haec verba intelligenda esse de b. Virgine Deipara, integra et intacta Virginitate Christum Dominum concipiente et pariente, ita ut qui hoc neget, sit haereticus.“ Consentit Tirinus. [1])

4. Nec deest tandem apertissima summi Pontificis declaratio sententiam contrariam non solum erroneam et haeresi faventem, sed haereticam damnans. Laurentius Isenbiehl in opere suo infra citato[2]) demonstrare conabatur: a. Verba Isaiae: „Ecce Virgo concipiet“ etc. nihil prorsus praedicere de Christo ejusque matre; b. Isaiae Emmanuelem de Christo intelligi non posse nec sensu literali nec sensu typico; c. S. Matthaei verba (I, 22 sq.) meram esse adnotationem historicam. Cujus opus Pius VI. die 20. Septembris 1779 censuravit „tamquam continens doctrinam et propositiones respective falsas, temerarias, scandalosas, perniciosas, erroneas, haeresi faventes et haereticas.“ „Maximo vero, inquit summus Pontifex, se prodidit Catholicorum offensio, quum praedicari audierunt, propheticum oraculum de divino Emmanuelis ortu ex Virgine, non ad virgineum Deiparae partum, quem Prophetae omnes annuntiaverunt, non ad verum Emmanuelem Christum Dominum ullo sensu, sive literali sive typico pertinere: quumque s. Matthaeus insigne istud vaticinium in illo mirabili pietatis Sacramento adimpletum expressis verbis testatur, hoc tamen ipsum non ut oraculi adimplementum, sed ut adnotationem meram vel allusionem a s. Evangelista memorari. Qua in re horruerunt piae aures, Scripturam simul et Traditionem, qualis perpetuo ex unanimi Patrum consensu ad nos pervenit, per summam impudentiam labefactari.“ [3])

Huic traditioni accedit usus Ecclesiae, quae Isaiae

---

[1]) Comment. in cp. VII, Is. 22. [2]) Johann Lorenz Isenbiehls neuer Versuch über die Weissagung vom Emmanuel 1778. [3]) Cfr. hac de re Scriptura sacra contra incredulos propugnata auctore Laurentio Veith. tom. III, Mechliniae 1824 pag. 87 sqq.

oraculum sensu Patrum semper intellexit et in una diei Nativitatis Missa pro Introitu habet.[1])

5. Uti ex modo loquendi nec non ex toto contextu clarissime patet, propheta rem aliquam plene novam, inauditam ac stupendam, signum quoddam inusitatum et singulare proponit. Achaz signum prodigiosum „in profundum inferni sive in excelsum supra" v. g. ut sol non moveretur, ut terra aperiretur, sibi eligere potuit. Quod quum incredulus renuisset, propheta dicit: „Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum." Hoc signum nonne multo prodigiosius erit priori multoque singularius? Promittit Deus, ut verbis suis fidem astruat, signum i. e. non vulgare, sed evidens et illustre prodigium, quod ipsa rei novitate factique magnitudine tam praesentibus, quam futuris hominibus justam pareret admirationem. Intellectus hominis etsi cogitare valuerit, virginem posse fieri matrem illibata omnino virginitate, nunquam tamen ita sese potuit elevare, ut cogitarit, filium hujus Virginis esse Deum et hominem, verum Emmanuelem. En signum, quod Dominus ipse dedit! Est opus celeberrimum et grandissimum omnipotentiae suae, quare in textu hebraico „Adonai" legitur, nomen significans absolutam ejus dominationem. Si signum rei cujuspiam stupendae et a communi hominum consuetudine alienae demonstratio est, quid miri, si mulier una e multis, quae cum viro habuisset consuetudinem, pueri mater fieret? Quid frequentius, quam quod quae erat virgo, nuptui tradita concipiat et pariat? Ita argumentantur Origenes,[2]) Eusebius,[3]) Basilius,[4]) Epiphanius,[5]) Cyrillus

---

[1]) Cfr. Missa in festo Annuntiationis B. M. V.; Missa de Beata ab adventu usque ad Nativitatem Dñi. Etiam liturgia Arabica adhibet hanc Isaiae prophetiam in lectione Nativitatis. Jam vero Ecclesiae est, „judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum," uti docet Tridentinum sess. IV. [2]) Contra Celsum lib. I. [3]) Demonst. evang. lib. VII. [4]) In hom. de humana Christi generatione. [5]) Adv. Ebionitas.

Procopius[1]) aliique plures. Quomodo porro natus ex carnis voluntate vocari potuisset Emmanuel? Si ergo id, quod datur, signum est, generatio ipsa admirabilis debet esse et stupenda. Modus, quo generatus est puer, si communis fuisset, neque diceretur signum neque natus appellaretur Emmanuel. Si ea, quae peperit, virgo non est, quale exstitit hoc signum?

„Conceptum hunc et partum, inquiunt adversarii, signum quidem fuit, sed non prodigium!“

Vocabulum „oth“, quo utitur propheta, nonne prodigium quoque significat, nonne eo sensu in sacris literis saepe adhibitum reperitur? Quod Jeremias propheta eandem rem praenuntians „novum“ appellavit — „novum faciet Dominus super terram, mulier circumdabit virum,“[2]) — Isaias „signum“ vocavit Mulierem vero concipere et parere filium, profecto novum non est.

Particulae „h“ nomini „almah“ praefixae, quae emphatica esse solet, uti apud Graecos articulus ὁ, ἡ, si vim consideres ac sensum, dubitare non potes, quin hic sermo sit de re quadam singulari et eximia, de Virgine insigni et praestantissima. Almah cum articulo in s. Scriptura non reperitur, nisi tribus locis.[3]) Rebecca et Maria, Moysis soror, hoc nomine decorantur eo, quod virgines fuerint viro incognitae. Ergo etiam „haalmah“ in nostro textu virginem designat. At non fuit femina de vulgo, femina qualiscumque indefinite sumpta, in quo omnes consentiunt. Si vero certa fuerit et illustris

[1]) In Isai. VII, 14. „Ne res gravissima, scribit cl. Franzelin l. c. pag. 114 de hoc vaticinio, ad tricas grammaticorum deducatur, determinatio veri sensus Isaiae nullatenus pendet a significatione exclusiva nominis (Virgo) per se spectati; hoc enim loco modus solemnis annuntiandi prodigium singulare postulat necessario significationem „Virginis,“ ne oratio sit inepta. Propterea Judaei usque ad controversias adversus Christianos, Christiani semper omnes usque ad exortum rationalismum de Christo et de mirabili supernaturali ejus conceptu ex Virgine vaticinium intellexerunt.“
[2]) Jerem. XXXI, 22. [3]) Gen. XXIV, 43; Exod. II, 8; Is. VII, 14.

femina, quaenam, quaero, et qualis? Uxorem Isaiae nec Achazi filiam fuisse eam, supra jam vidimus.

Agi porro in Isaiae textu de Virgine proprie dicta, ex emphatica denique hujus pericopae parte ultima apparet, in qua dicitur: „Et vocabit (ipsa nempe „haalmah") nomen ejus Emmanuel." „Quorsum vero, interrogat optime Vitringa,[1]) quorsum id refertur ad matrem? Kimchius ait, consuetudinem sic tulisse apud Hebraeos, ut matres natis nomina imponerent. Sed exstant multa exempla in contrarium. Hic nulla ratio erat, quare illud tam signate adjiceretur, nisi Propheta subjicere nobis voluisset hanc cogitationem: „Natum hujus feminae non habiturum patrem secundum carnem atque adeo jus matris esse, illi dare nomen."

„Nulla erat ratio Evangelistis, inquit apprime Perrone,[2]) referendi Jesu Christi nativitatem ex Virgine, nisi receptum apud omnes tunc temporis fuisset, talem fore ortum promissi Messiae. Constat porro ex hujus traditionis propagatione apud omnes gentes, inter quas pervulgatum erat, praeter naturae legem e virgine matre nasciturum, qui salutem, justitiam, sapientiam laturus esset in terras, hanc opinionem accomodantes suis heroibus ac magistris: ut apud Graecos, qui Minervam e capite Jovis, Platonem ex phantasmate Apollinis oppressa matre finxerunt atque partu virginis editum; apud Romanos, qui auctores urbis et gentis suae Ilia virgine et Marte genitos arbitrati sunt; apud Indos, qui Buddam principem religionis indicae, e latere Virginis procreatum esse censuerunt, quae opinio adhuc apud ipsos perseverat; apud Sinenses, qui id ipsum tradunt de Foehi seu Xaca. Verum huc propius attingunt, quae poetae de virgine justitia seu Astrea cecinerunt, quo spectant, quae de reversura aurea aetate Virgilius,[3]) scribit, ubi plura

---

[1]) Comment. in Isai. p. I. [2]) Praelect. theol. tom. IV, pag. 173 edit. Lovan. [3]) Ecclog. IV, 4 sqq.

cum Isaiae vaticinio, quae de nascituro puero in suo carmine exornat, plane congruunt. Rationalistae Wegscheider, Ammon, Bauer ex hac re inferebant, conceptionem ex Virgine referendam esse ad mythos paganorum.“ Ita Perrone. Fabulae illae prorsus ineptae nihilominus facillime creduntur, sed Isaiae oraculum, non solum a s. Patribus, verum etiam a s. Evangelistis propugnatum, ab iis, qui evangelicos se esse gloriantur Christianos, rejicitur ac negatur.

Beatissima Virgo a vate nominatur signum et quidem optimo jure; signum enim congrue potest dici illa active et passive. Active, quia nobis sermonibus et operibus suis signat, quid amplectendum, quid cavendum, quid appretiandum, quid vilipendum sit. Passive, quia in operibus antiquorum, in factis patriarcharum, in oraculis prophetarum signata est. [1])

Restat, ut respondeamus ad potiores adversariorum objectiones, partim

I. ex varia termini „almah“ significatione, partim

II. ex historia sacra desumptas.

I. Ex varia termini „almah“ significatione.

Judaei, durae cervicis homines, et rationalistae omnia, quae s. Scriptura refert, facta supernaturalia impudentissime negantes, Jesum Christum ex Virgine conceptum et natum fuisse Isaiae oraculo nullatenus demonstrari posse autumant. Posito enim, inquiunt, hoc oraculum ad Jesu matrem referendum, quomodo inde sequetur, illum ex Virgine conceptum et natum fuisse. Non legitur apud Isaiam: „Ecce Virgo concipiet,“ sed potius legendum est: „Ecce adolescentula concipiet.“ Vox enim „almah“ textus hebraici designat adolescentulam seu juvenculam, per quam puella quaecunque sive nupta

---

[1]) Cfr. I, p. sect. II. cap. II, §. 1.

sive innupta, ergo non virgo i. e. non conditio, sed aetas indigitatur et significatur. Unde etiam Theodotion et Aquila hoc Isaiae oraculum verterunt: „Ecce adolescentula in ventre habebit et pariet filium.“ Respondemus:

1. Vox „almah“ nequit exponi de nupta, uti ex hujus vocis etymologia apertissime patet. Vox enim „almah“ est a verbo „alam“ formae Niphal i. e. absconditum seu occultum esse. „Haec etymologia, scribit Vitringa,[1]) soli convenit virgini, quae sic appellari potest, vel quod pro more veterum domi lateat et occultetur, non versata in publico, sed sub oculis matris aut custodis clam aliis diligenter servetur; vel quod nescia consuetudinis virilis occulta hactenus et tecta habeat, quae honestas alii quam marito revelari vetat.“ Ita constat v. g. ex secundo Machabaeorum libro, ubi[2]) sequentia leguntur: „Accinctaeque mulieres ciliciis pectus per plateas confluebant, sed et virgines, quae conclusae erant, procurrebant ad Oniam“ . . . .. sicuti ex secundo libro Regum:[3]) „Factum est autem post haec, ut Absalom filii David sororem speciosissimam, vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius David. Et deperiret eam valde, ita ut propter amorem ejus aegrotaret: quia quum esset virgo, difficile ei videbatur, ut quippiam inhoneste ageret cum ea.“ Quum ergo Thamar sub custodia servaretur a virorum aspectibus segregata merito „almah“ i. e. abscondita dicebatur. „Magna a veteribus diligentia asservabantur pueri et adolescentes, scribit ideo doctissimus Huetius,[4]) multo majore etiam virgines, quae ab omni fere virorum accessu prohibebantur. Mentio fit in libro Esther[5]) domus, in qua electae virgines servabantur apud Persas, appositis earum custodiae eunuchis. „Qui (Mardochaeus) deambulabat quotidie ante vestibulum domus, in qua electae virgines serva-

---

[1]) Comment. in Isai. p. I. [2]) 2. Mach. III, 19. [3]) 2. Reg. XIII, 1 sq. [4]) Demonst. evangel. IV, edit. prop. IX, pag. 763. [5]) II, 11.

bantur . . . .“ Quare etiam d. Ambrosius: „Discite, inquit,[1]) virgines, non circumcursare per alienas aedes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones.“ Inde est, quod apud Thargumistas meretrix per circuitionem dicitur, quae vagatur foras. Patet ergo intra domorum latebras et in secretis locis et a virorum consortio semotis edoctas fuisse virgines, proptereaque dictionem hanc „almah,“ quae occultam significat, non cuilibet feminae, sed ei, quae occultam coluerit vitam, congruere.

2. Tria sunt Hebraeis vocabula, quibus virginem designant: „b'thulah, almah, naarah.“ Vox „naarah“ virginem cujusvis aetatis saepe quidem indicat, sed non semper; nam in Deuteronomio „corruptam,“ in libro Ruth „viduam“ designat. „Quod si verum, quod objicit, et non est in puella (naarah) inventa virginitas.“[2]) — „Fiatque domus tua, sicut domus Phares, quem Thamar peperit Judae, de semine quod tibi dederit Dominus ex hac puella[3])“ (naarah). Nec vocabulum „b'thula“ juxta Le Grand[4]) semper certo ad virginem attinere videtur: sumitur enim pro vidua quoque — „plange quasi virgo (b'thulah) accincta sacco super virum pubertatis suae“ [5]) observatque Salomon Jarchi, Moysen, ut Rebeccam ostenderet virginem, voci b'thulah addidisse „et incognita viro,“ quia voce b'thulah id non fuerit satis denotatum. „Puella decora nimis virgoque (b'thulah) pulcherrima et incognita viro.“ Vox e contra „almah“ virginem intactam et secretam, a virorum accessibus seclusam jamque nubilem proprie exprimit nec umquam alio sensu usurpatur.[6])

---

[1]) In Luc. lib. 2. [2]) Deut. XXII, 20. [3]) Ruth IV. 12. [4]) Tract. de Incarnatione Verbi divini. [5]) Gen. XXIV, 16. [6]) „Der genauere Unterschied der drei verwandten Begriffsausdrücke, scribit Oswald l. c. II. Absch. S. 75 ff., ist folgender. Der erste b'thulah bezeichnet die unversehrte Jungfräulichkeit des Weibes schlechthin. Der Begriff der Jugend tritt zurück. Weil die Weiber im A. T. meist heiratheten, so

Cui sententiae favet constans s. Scripturae usus. Occurrit enim vocabulum „almah“ septies. In quinque [1]) locis, si de Isaiae textu silere velimus, sumitur „almah“ sine ulla dubitatione pro virgine tori nescia; de textu ex Proverbiis desumpto infra sermo erit. [2])

3. Judaei quidem recentiores aeque ac veteres contendunt, vocabulum „almah“ aetatem tantummodo, nullatenus vero statum virginalem aut conjugalem aut vidualem respicere significareque ideo feminam tenerioris aetatis. Quare Theodotion Ephesius et Aquila Ponticus, hoc Isaiae testimonium depravare conantes, pro eo, quod Vulgata vertit: „Ecce Virgo concipiet“ etc. transtulerunt: „Ecce adolescentula concipiet“ etc. „Quos secuti sunt Ebionitae, scribit Eusebius, [3]) tum etiam Talmudistae et recentiores rabbini, ut defendant, Christum ex Josepho prognatum fuisse, eo quod in Hebraeo sit vox „haalma,“ quae non virginem, sed adolescentulam denotet, virgo autem hebraice bethulah dicatur et haec vox in eo loco non ponatur.“

---

wird freilich regelmäßig die b'thulah ein junges Weib sein müssen; allein eine alte Jungfer kann auch so heißen. Der Ausdruck naarah bezeichnet die Jugend des Frauenzimmers, und der Begriff der Virginität tritt zurück, so daß sogar die junge Wittwe, Ruth, eine naarah heißt; freilich in der Regel ist das junge Mädchen eben auch die Jungfrau. Unser almah verhält sich nun zu beiden so, daß es aus der „neurim“ die Jugend und zwar nicht jede, sondern die reife, frische, blühende Jugend (meist), und aus der „b'thulim“ die Virginität, und zwar nicht jede, sondern bestimmt die ehelose herausnimmt und combinirt. So haben alle drei ihre verschiedene Begriffssphäre; und almah bezeichnet ein reifes, aber unverehlichtes Mädchen.“

[1]) Gen. XXIV, 43. „Ecce sto juxta fontem aquae, et virgo (almah), quae egredietur ad hauriendam aquam, audierit a me“ . . . Exod. II, 8: „Perrexit puella (almah) et vocavit matrem suam.“ Ps. LXVII, 26: „Praevenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum (almah) tympanistriarum.“ Cantic. I, 2: „Ideo adolescentulae (almah) dilexerunt te.“ Cant. VI, 7: „Adolescentularum (almah) non est numerus.“ [2]) Cfr. pag. 593. [3]) Hist. eccl. lib. 5 cp. 8.

Ebionitarum ac Talmudistarum vestigia premere non erubuerunt saeculi decimi sexti haeresiarchae. Oecolompadius transfert verba Vulgatae: „Ecce adolescentula illa praegnans et pariens filium.“ Juxta Calvinum nomine „almah“ intelligitur „puella viro cognita.“ Erasmus autumat,[1]) apud Hebraeos hanc vocem esse ancipem, ut quae tum puellam significet, tum absconditam. „Videtur, inquit Rosenmüller,[2]) propheta designasse virginem, tum forte praesentem, sive nupta, sive innupta, sive Isaiae recens desponsata uxor, sive alia fuerit, — nihil refert.“

4. Versiones Theodotionis et Aquilae non multi faciendas auctoresque inter haereticos judaizantes computandos esse docet d. Hieronymus.[3]) Aquila primum gentilis, postea ex Christiano factus est hebraeus; etiam Theodotion, qui fidem Christianam profitebatur, apostata ad judaismum defecit.

Audiamus, quomodo Stridoniensis, qui „singulari doctrina et linguae non solum latinae et graecae, sed hebraicae etiam et chaldaicae intelligentia“ instructus „haereticos acerrimis scriptis exagitavit“[4]) omnes illos refellerit, qui celeberrimum Isaiae oraculum corrumpere tentabant. „Alma, inquit,[5]) non solum puella vel virgo, sed cum ἐπιτάσει virgo abscondita dicitur et secreta, quae nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit.“ Quod et repetit in libris contra Jovinianum. „Scio, scribit,[6]) Judaeos opponere solere, in Hebraeo verbum „almah“ non virginem sonare, sed adolescentulam. Et re vera virgo proprie bethulah appellatur; adolescentula autem vel puella non almah

---

[1]) In Matth. cp. I. [2]) Scholia in Nov. Test. tom. 1 pag. 26 sqq. [3]) Praef. in Job cfr. Iren. adv. haeres. lib. 3 cp. 24. Theodotion et Aquila almah vertunt νεάνιδα (juvencula); νεανῖς vero vox anceps notat puellam vel integram vel vitiatam; quo sensu hanc usurpaverint vocem, dubium est. [4]) Brev. rom. in festo s. Hierony. lect. VI. [5]) In Is. cp. VII, 14. [6]) Adv. Jovinian. lib. I.

dicitur, sed naarah. Quid est igitur, quod significat almah? Absconditam virginem i. e. non solum virginem, sed cum ἐπιτάσει virginem, quia non omnis virgo abscondita est nec ab hominum fortuito separata conspectu. Denique et Rebecca in Genesi ob nimiam castitatem et Ecclesiae typum, quem in sua virginitate signabat, almah scribitur non b'thulah, sicut manifestum esse poterit ex sermonibus pueri Abraham, quos loquitur in Mesopotamia — „virgo, quae egredietur, ut hauriat aquam" [1]) — in hebraico scriptum est almah i. e. virgo secreta et nimia parentum diligentia custodita. Aut certe ostendant mihi, ubi hoc verbo appellentur et nuptae et imperitiam confitebor."

Virginem etiam lingua punica appellari almah, s. Hieronymus testificatur in Isaiam [2]) subjungens, „haud quaquam se meminisse, hoc vocabulum ad mulierem nuptam significandam, sed ad designandam virginem junioris aetatis et in annis adolescentiae adhibitum fuisse." Eandem veritatem fusius exponit in traditionibus hebraicis. „Almah, quod interpretatur abscondita, i. e. virgo nimia diligentia custodita, inquit, majoris mihi videtur laudis esse, quam virgo. Virgo quippe juxta Apostolum potest esse corpore et non spiritu. Abscondita vero, quae virgo est, ἐπίτασιν virginitatis habet, ut et virgo sit et abscondita: et quae abscondita est, juxta idioma linguae hebraeae, consequenter et virgo est: quae autem virgo, non statim sequitur, ut abscondita sit." „Ostendant igitur, concludit, judaei, in Scripturis alicubi positum almah, ubi adolescentulam tantum et non virginem sonet et concedimus eis illud, quod in Isaia apud nos dicitur: „Ecce Virgo concipiet et pariet" non absconditam virginem, sed adolescentulam significare jam nuptam."

5. Accedit alterum momentum petitum ex auctoritate septuaginta Interpretum, qui in sua versione aeque

---

[1]) Gen. XXIV, 42. [2]) VII, 14.

ac Onkelos et Jonathas in suis paraphrasibus hunc Isaiae locum verterint: „Ecce Virgo concipiet.“ Ita pariter habent versiones syriaca et arabica. Adde, quod Messiam ex virgine sine viri consortio nasciturum putarunt veteres rabbini, de quibus ita loquitur Le Grand:[1]) „Hoc censuerunt Moyses Hadarsan in Bereschith, ad cap. 25 Genesis, ubi redemptori judaeis suscitando patrem non futurum probat adductis pluribus Scripturarum locis; cujus verba laudat Salomon Jarchi ad v. 8 cp. XXXV. Genesis; idem Rabbi Adarsan ad Gen. XLI. 1, quo in loco testimoniis Rabbi Hunae et R. Josue ben Levirem confirmat, R. Simeon ben Jochai in Gen. et alii Judaei in Midrasch Echa.“

Plenissime consentit d. Thomas ita disserens:[2]) „Apud nos ponitur magis almah, quam juvencula, quia almah significat virginem secundum nominis originem et adhuc plus custoditam, de qua non possit haberi mali suspicio. Sed b'thulah significat secundum usum loquendi posteriorem.“ Neque alio tendit Calmet inquiens:[3]) „Nullus dubitat, quin propria et genuina hujus (almah) significatio sit virgo nec alterum suppetit Hebraeis vocabulum, quo innupta puella expressius designetur. Derivatur Almah e radice, quae sonat occultum et clausum esse; mos est enim judaeis, in toto pariter oriente familiaris, ut in aedium parte, quae matribus illarum assignantur, puellae virgines detineantur veluti in claustro. Id sexcentis Scripturae locis proditur.“[4])

---

[1]) Tract. de Incarn. Verbi divini. [2]) In Isai. cap. VII, lect. 8. [3]) In Isai. diss. VII, 14. [4]) Similia tradidit inter alios doctissimus Bossuet. „L'usage du mot „Almah,“ inquit (Oeuvres compl. tom. II, p. 305), est constant dans l'écriture pour signifier une vièrge; et il ne s'y trouve jamais joint avec les termes de concevoir ou d'enfanter, qu'en ce seul endroit; par conséquent ces deux mots de „vierge et d'enfantement,“ sont mis-là, pour signifier un fait unique et qui n'a point d'autre exemple que celui que nous propose la foi chrétienne.“

Sunt, qui contra sententiam a ss. Patribus defensam objiciant:

a. Rebeccam, quae appellatur „almah," non fuisse absconditam, quae non thalamo materno, non domo paterna solum, sed etiam urbe exiverit ad aquam hauriendam.[1])

b. Objiciunt Salomonis verbum ex libro Proverbiorum desumptum. „Tria, inquit,[2]) sunt difficilia mihi et quartum penitus ignoro: Viam aquilae in coelo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari et viam viri in adolescentia" (almah). Contendunt adversarii vocabulum almah pro muliere corrupta positum esse; quare juxta illos Salomon almah comparans cum alia muliere deflorata in versu sequenti continuet: „Talis est et via mulieris adulterae, quae comedit et tergens os suum dicit: „Non sum operata malum."[3])

Objectio prior facili refellitur negotio. „Non enim volumus, scribit Huetius,[4]) ita fuisse absconditas virgines, ut extra limen nunquam omnino pedem efferent, sed prodiisse foras vel sacrorum causa, vel ubi necessitas aliqua aut patria consuetudo postularet; custodiam vero noctu maxime fuisse circa illas adhibitam, ut ab omni virorum accessu seclusae penitus ac tutae essent. Patet id ex secundo Machabaeorum libro,[5]) ubi ita legitur: „Virgines, quae conclusae erant, procurrebant ad Oniam." Quamvis igitur domesticis ministeriis interdiu vacaret Rebecca juxta patrios mores, haud minus sollicite propterea a parentibus noctuque praecipue custodiebatur, unde merito almah i. e. abscondita dicta est."

Textum ex Proverbiis allegatum, de quo jam supra[6]) fusius disseruimus, si quis attente consideret, sententiae nostrae nullatenus repugnantem facillime inveniet. Quo-

---

[1]) Gen. XXIV, 42. [2]) Prov. XXX, 18, sq. [3]) L. c. 19. [4]) Demonstratio evang. prop. IX, p. 763 edit. IV. [5]) III, 19. [6]) Cfr. p. I. sect. II, cp. II, §. 1.

cumque enim sensu locum hunc a variis theologis varie expositum accipias, vox „almah“ semper significat adolescentulam virginem, virginem, quae saltem ex communi hominum judicio talis est, quod, uti animadvertit Perrone,[1]) satis est ad concludendum, usum loquendi apud Judaeos receptum invicte ostendere, almah de puella innupta seu virgine nubili usurpari. Si nomen almah hoc loco pro muliere positum esset corrupta, „via viri in adolescentula“ sine ullo dubio cognosceretur multo facilius, quam „via aquilae in coelo, via colubri super terram vel via navis in medio mari,“ quia violationis vestigia semper manentia facile notentur. „Purus est aer atque integer ab aquilae volatu, inquit Sanctius,[2]) quia si quid ab illa trahit odoris, utpote a volucri rapaci et sanguinaria, illud statim dissipat ac perdit. Quod si volatu dividitur aër, illico tamen ejus partes coeunt delentque volantis aquilae vestigium. Sed est ibi aliquid, quod licet brevi atque difficili aut odoratu capias aut oculis notes. Similia dici possunt de mari a navibus fulcato aut de petra, supra quam reptavere serpentes. Sed in virgine via viri i. e. virilis operae vestigium nullum est, quia illibata est; atque adeo penitus ignoratur aliquid, quod a viro sit. Alter sensus commodior adhuc et illustrior. Secundum Hieronymum „almah“ non solum virginem significat, sed etiam absconditam. Secessus et claustrum, ex quo pedem efferre non solet pudica virgo, satis a machinis amatoriis et insidiis virginalem pudicitiam tuentur. Nulla erit omnino viri via ad „almah“ i. e. ad virginem absconditam. Sensus ergo est, nihil esse tam difficile, quod non tentetur, nihil tam purum, quod non aliqua ratione turbetur, ut in aëre patet, in aquis et in petra: at custodia virginis sic illas tutas reddit ab amatorum insidiis, ut non solum non expug-

[1]) Tract. de Incarn. p. II, cp. II. [2]) Comment. in Isai. cap. VII, n. 30.

ı, sed neque tentari earum pudicitiam possit. Neque › via viri nulla apparet ad clausas absconditae virs et ignotas fores." Haec ille.

Addamus, in versione septuaginta interpretum nec in Vulgata nostra non legi, „viam viri in almah i. e. ›uella," sed „viam viri in adolescentia." Posito ergo, › „almah" a Salomone designatam fuisse puellam cortam, numquid inde sequeretur, vocem illam eandem ere significationem in septimo Isaiae capite? Textus ›monis totus est metaphoricus, in Isaiae e contra o vix ullam reperies metaphoram.

Et haec quidem de significatione vocis „almah" dixisse ciat. Transeamus

. ad considerandas objectiones ex historia sacra depromptas.

1. Vaticinium Isaiae editum est, inquiunt, ut Achaz lligeret, urbem Jerusalem ab obsidione regum Syriae srael brevi esse liberandam. Atqui filii Dei Incarnatio l ad hanc conducere videtur liberationem; quare ɔhetia illa: „Ecce Virgo concipiet" non est intelligenda [ncarnatione. R:

[ncarnatio futura non quidem consonat cum liberatione ıs Jerusalem per modum causae physicae, optime › per modum causae meritoriae seu causae mora- „Deus enim, inquit Boucat,[1]) intuitu meritorum ırorum Christi in domo David nascituri, hanc voluit domui fideli praestare misericordiam; unde Incarnatim posuit in signum misericordiae et majoris potentiae." it ergo propheta quasi a majori ad minus argumenlo: Si Deus potest facere, ut virgo concipiat et ıat filium, quanto magis potest urbem hanc a duobus bus eam obsidentibus liberare, ut re ipsa brevi facıs est; si Deus potest facere, ut virgo qua virgo

[1]) Theologia patrum dogmatica tom. IV, diss. II.

concipiat et pariat filium, qui populum suum liberabit a morte aeterna, a fortiori idem Dominus liberare potest urbem Jerusalem a captivitate temporali.

„Dicendum, inquit ideo Doctor Angelicus,[1]) quod Incarnatio Christi significat ipsam liberationem Jerusalem per locum a majori: quia si Deus dedit filium suum ad salutem totius mundi, multo magis potest salvare vos ab istis hostibus, „qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum,“[2]) vel quasi causa motiva. Hoc enim movit Dominum, quod multa bona illi populo, quamvis injusto concedantur, quia de illo providerat filium suum incarnandum.“

Emmanuelis ergo conceptus et nativitas de Virgine non est signum futurae victoriae, sed futura victoria regnorumque clades signa sunt Emmanuelis de Virgine nascituri. Dabit Deus promissae opis breve complementum in signum alterius multo majoris beneficii, nempe salutis spiritualis, quam praebebit aliquando filius de Virgine conceptus et natus. „Omnis liberatio, inquit Vitringa,[3]) temporalis quoque, quae ecclesiae sive populo Dei ullo qualicunque tempore obtigit, fundata est in illa liberatione et salute illustri ac gloriosa, quae olim ecclesiae obtingeret in Servatore mundi, Christo Jesu nascituro ex Virgine. Propheta hoc videns mysterium, id sibi et piis ob oculos ponit tamquam praesens docetque, fallere non posse praedictum et promissum Dei de liberatione minore, quamdiu promissum de liberatione majore et maxima, omnis gratiae et liberationis fundamento, per miraculum repraesentandum consisteret. Id vero ita proponit piis, ut licet implementum longius adhuc abesset, considerari et in fide credi ac videri velit tanquam praesens, perinde ut alia

[1]) Comment. in cp. VII, Isai. lect. 8. [2]) Rom. VIII, 32.
[3]) Comment. in Isai. p. I.

signa certo eventura post aliquod tempus tamquam praesentia ad confirmationem fidei exhibentur."

2. Signum debet praecedere signatum, reponunt adversarii; ergo Incarnatio, quae longo post liberationem illam elapso tempore evenit, in signum liberationis urbis Jerusalem dari non potuit. „Res ipsa, inquit Rosenmüller,[1]) et universa orationis series docet, de re post 700 annos eventura non esse sermonem; haec enim Achaso arrhabonis loco ad obsignandas promissiones ei datas non esse potuisset . . . Clarum est, prophetam promittere signum brevi extiturum, ex quo Achaz brevi futuram liberationem ab hostibus sibi tum imminentibus deberet cognoscere. Indigitavit itaque virginem quandam praesentem omnibusque notam et praedixit, eam brevi tempore post ex justo matrimonio parituram esse filium, appellandum Emmanuel in signum futurae liberationis addita promissione, antequam puer ex ista virgine nasciturus ad discretionis annos pervenerit, regionem istorum regum, propter quos aegre erat Achaso, fore desertam."

Audiamus, quomodo d. Thomas hanc solverit difficultatem. „Dicendum, inquit,[2]) quod signum quandoque sequitur signatum, sicut Deuter.[3]) „Hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille praedixerit et non evenerit; hoc Dominus non est locutus." Quandoque est simul[4]): „Quum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis proelium." Quandoque praecedit, sicut[5]) de Gedeone, ubi datum est signum, quod vincere debebat in his, qui aquam manibus lambierant. Et oportet de necessitate, quod hoc signum sequatur et secundum quod ipsi exponunt. Si enim praecedit, tunc puer fuit natus ante mortem Phaceae, qui regnavit viginti annis, cujus decimo septimo anno regnavit Achaz,

[1]) Scholia in Nov. Test. tom. I, pag. 26 sqq. [2]) Comment. in Isai. cp. VII, lect. 8. [3]) XVIII, 22. [4]) 2. Reg. V, 24. [5]) Jud. VII, 4 sqq.

qui regnavit sexdecim annis. Ergo Achaz regnavit tredecim annis post mortem ejus. Et Osee regnavit duodecimo anno Achaz, cujus nono Samaria capta est, qui fuit sextus annus post mortem Achaz. Ergo in captivitate Samariae ad minus habebat puer novemdecim annos. Ergo falsum est, quod infra dicitur, quod puer nesciebat vocare patrem et matrem."

Nullatenus ideo absurdum est nec ab usu scriptoristico abhorret, rem longe post eventuram dari in signum rei non multo post futurae vel etiam praesentis.[1]) Tunc autem signum, quod sit anterioris facti confirmativum, cum re significata tam intime cohaeret, ut ejusdem rei veritatis et indicium existat et argumentum. Signum hoc, nempe ortus Emmanuelis ex Virgine, non fuit concessum Achaz, cui quidem in principio sermonis propheta obtulit facultatem petendi, quodcunque voluerit, signum, ex quo intelligere posset, Deum sibi contra hostes affuturum. Quum vero rex, Deo diffisus et incredulus, hoc signum contempsisset, propheta aliud et quidem majus signum obtulit domui Davidis dicens: „Audite domus David."

Agit ergo oraculum Isaiae celeberrimum de Messia ejusque Matre Virgine nec ulli catholico contrarium asserere permissum est. Quod s. Matthaeus Evangelista tam aperte docet, ut omne omnino ademerit dubium. Quum enim dixisset „quod in ea natum est, de Spiritu sancto est",[2]) subjunxit: „Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: „Ecce virgo in utero habebit et pariet filium: et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus.[3])"

---

[1]) Cfr. Exod. III, 12; 1. Reg. II, 35; X, 1. [2]) I, 20. [3]) I, 22 sq.

APPENDIX II.

DE FRATRIBUS DOMINI.

In demonstranda beatissimae Virginis nec non s. Josephi virginitate jam pluries „fratrum Domini" mentio facta est. Quatuor dicuntur fratres Domini: Jacobus Minor, filius Alphaei[1]) et Mariae;[2]) Josephus, Jacobi Minoris frater;[3]) Simon, frater Jacobi et Josephi;[4]) Judas Thaddaeus.[4])

Lutheri et Calvini asseclae, patrum suorum haud dissimiles, de his fratribus loquentes, eadem iisdemque fere verbis repetunt, quae jam antiquissimi Christiani nominis hostes proferre non erubuerunt, quaeque toties Ecclesiae patres et theologi victoriossime refutarunt. Inquiramus nomina patris et matris eorum, qui „Domini fratres" nuncupantur et videamus, quidnam de singulis illis traditum sit. Quaeritur

1°: Quisnam fratrum Domini fuerit pater.

Inter auctores alii duos patres, alii unum tantummodo assignant patrem. Sic

a. Abdias[5]) diversos patres nominat; s. Josephum, sponsum b. Virginis, facit patrem Jacobi, Alphaeum vero patrem Simonis et Judae.

b. Cardinalis Baronius[6]) Alphaeum fuisse putat

---

[1]) Marc. III, 18: „Et Andream et Philippum et Bartholomaeum et Matthaeum et Thomam et Jacobum Alphaei et Thaddaeum et Simonem Cananaeum." [2]) Marc. XV, 40: „Erant autem et mulieres de longe aspicientes: inter quas erat Maria Magdalene et Maria Jacobi minoris et Joseph mater et Salome." [3]) Act. I, 23: „Et statuerunt duos: Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, et Mathiam." [4]) Matth. XIII, 55: „Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria; et fratres ejus: Jacobus et Joseph et Simon et Judas?" [5]) Hist. apost. lib. VI. [6]) In Apparatu ad Annales eccl. §. Jam vero reliquum est.

patrem Jacobi et Josephi, Cleopham patrem Simonis et Judae.

Qui non admittunt, nisi unum patrem, in designando illo similiter variant.

a. Plurimi[1]) s. Josephum, sponsum s. Deiparae, ex alia uxore fratres et sorores Domini progenuisse autumant.

b. S. Hieronymus[2]) et ven. Beda[3]) patrem illorum habent Alphaeum.

c. S. Chrysostomus[4]) et Theodoretus[5]) patrem eorum fuisse putant Clopam, s. Josephi fratrem.

Hanc sententiam, cui inter alios subscripserunt Hegesippus,[6]) „vicinus Apostolicorum temporum,“ ut ait s. Hieronymus,[7]) Eusebius,[8]) ven. Beda etc., probabiliorem esse, ex eo patet, quod, uti jam supra demonstratum est,[9]) s. Joseph, s. Deiparae sponsus, „fratrum et sororum Domini“ pater non fuerit. Clopam seu Cleopham fratrem fuisse s. Josephi, docet Hegesippus patruum — θεῖον — Christi eum nominans.[10]) Ita censet

---

[1]) Orig. in Matth. cp. 13; Hilar. in Matth. can. I; Ambros. ad Gal. I; Epiph. haer. 28, 29, 51, 78; Greg. Nyss. de Resurr. or. 2 nec non alii apud Vossium diss. de Gen. Jesu Christi cp. 6; exercit. de Christo XL, auctore Serry. [2]) Lib. adv. Helvid. [3]) In Luc. cp. VI. [4]) Ad Gal. cp. I. [5]) Ad Gal. cp. I. [6]) Apud Euseb. lib. III. [7]) De script. eccl. in Jacobo. [8]) Hist. eccl. 3; 10 [9]) Cfr. p. I, sect. IV, cp. I, §. 2. pag. 281 sqq. [10]) „θεῖος kann zwar, scribit Oswald l. c. pag. 137, des Vaters und auch der Mutter Bruder sein; es läßt sich aber aus der Schrift zeigen, daß es hier nur Vaters Bruder bedeuten könne. Denn da es keinem Zweifel unterliegt, daß Joa. XIX, 25: „Stabant juxta crucem Maria mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophae (ἡ τοῦ Κλωπᾶ), derselbe Klopas mit dem vom Hegesipp bezeichneten gemeint sei; so war also eine Maria, die Schwester unserer hl. Jungfrau, . . . die Gattin des Klopas; die Gattin sagen wir; denn obwohl ἡ τοῦ Κλωπᾶ auch wohl die Tochter bedeuten könnte, so ist das nicht möglich, da der Vater unsrer hl. Jungfrau und also auch ihrer Schwester, nicht Klopas hieß (Joachim, Heli, Heliachim, aber nie Klopas). Somit war Klopas, weil Gatte der Schwester der hl. Jungfrau, sicher nicht ihr Bruder; er mußte also, um θεῖος des Herrn heißen zu können, Bruder des (gesetzlichen, putativen) Vaters des Herrn, also Josephs, sein.“

etiam, ut alios praetereamus authores, Euthymius.[1]) „Joseph et Cleophas, inquit, fratres erant; moris autem erat apud Hebraeos, fratrum quoque nomine, uxores appellare sorores propter virorum affinitatem. Itaque eam, quae pariter erat uxor, sororem nominavit.“ Est idem Cleophas, qui post Domini resurrectionem cum alio discipulo[2]) in castellum nomine Emmaus ivit quique Domino, quem non agnovit, ad quaestionem: „Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes“ respondit: „Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti, quae facta sunt in illa his diebus?[3]) Latini festum Cleophae die 25. Septembris, Graeci die 30. Octobris celebrant. Usuardus et Ado (fest. p. 39) referunt, eum martyrio coronatum et in eadem domo, qua Jesum Christum receperit, sepultum esse.[4])

Fratres ergo illi supra nominati consobrini tantum Domini nostri erant et fratres ejus nuncupantur propter consanguinitatem cum Jesu ad modum, quo Lot, qui filius fuit Aran, fratris Abrahami, Abrahami frater et Laban, quum frater matris Jacob esset, frater ejusdem Jacobi nominatur. Cognati et cognatae eo tempore se mutuo fratrum et sororum nomine appellabant, uti etiam ex duodecimo Genesis capite patet. Quum enim Abraham de patria et cognatione sua egrederetur sibique Aegyptum pertransienti metueret, quia Sara uxor mulier nimis pulchra fuerit, rogavit eam, ut se sororem suam diceret. Hac in re vero nullum commisit mendacium; constat enim, affinitate illam sibi fuisse conjunctam itaque dicere licuisse, illam sororem suam esse. Attributum est itaque Jacobo minori, Josepho, Simoni et Judae nomen fratrum

---

[1]) In Joa. cp. 17. Cfr. Windischmann Erklärung des Briefes an die Galater, I, 19 pag. 32 sqq.; Patrizi de Evangeliis lib. 3 diss. 9. [2]) Luc. XXIV, 17 sq. [3]) Nonnulli putant, hunc fuisse s. Lucam; Greg. in Job l. 1 cp. 1 Origenes in Jer. hom. 19. Alii eum nominant Simonem. [4]) Cfr. Tillemont. l. c. p. 368.

Domini pro more et usu divinarum Scripturarum, ubi fratres et sorores ii appellantur, qui cognatione aut etiam affinitate inter se sunt conjuncti.[1])

Audiamus s. Hieronymum hanc veritatem clarissimis verbis enuntiantem. „Jam nunc doceberis, respondet Helvidio,[2]) quatuor modis in Scripturis divinis fratres dici: natura, gente, cognatione, affectu. Natura, Esau, Jacob, duodecim patriarchae, Andreas et Petrus, Jacobus et Joannes. Gente, qua omnes Judaei inter se fratres vocantur, uti Paulus: „Optabam, inquit, ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, cognatis secundum carnem, qui sunt Israelitae." Cognatione fratres vocantur, qui sunt de una familia, i. e., πατριᾷ, quod latini paternitate interpretantur: quum ex una radice multa generis turba diffunditur, ut in Genesi[4]): „Dixit autem Abraham ad Lot: non sit rixa inter me et te; inter pastores meos et pastores tuos, quia homines fratres nos sumus." Et certe Lot non est frater Abrahae, sed filius fratris ejus Aram. . . . . Ad extremam divisionis partem revertar: i. e. et affectu fratres dici; qui

---

[1]) „Tous les membres de la même famille étaient frères entre eux, inquit Mermillod, (la Vierge Marie ou Etudes sur sa perpétuelle virginité, chap. IV, §. 1) même lorsque le degré de parenté était moins rapproché. Ainsi, ce mot frère ne signifiait pas seulement que l'on était issu du même père et de la même mère, il était aussi synonym. de parents. Un oncle était le frère de son neveu, un cousin de son cousin et réciproquement. Le mari donnait même le nom de soeur à sa femme, parce qu'elle était ordinairement sa parente. Aussi lorsque Moïse restreint le sens des mots frère et soeur à la signification exclusive moderne, il a le soin de les faire suivre de cette explication: „Fils de son père . . . fille de sa mère. (Levit. XVIII, 19; XX, 17. Deut. XIII, 6; XXVII, 22.) Cet usage d'appeller frères tous les proches parents, usage qui remontait aux temps le plus reculés, avait fini par prévaloir; favorisé par les lois et la religion, il s'était enraciné dans les moeurs et il était généralement suivi à l'époque de la vie terrestre de notre seigneur Jésus — Christ." [2]) Lib. de perp. Virgin. adv. Helvid. n. 16. [3]) Rom. IX, 3 sq. [4]) XIII, 8.

in duo scinditur, in spiritale et in commune. In spiritale, quia omnes christiani fratres nominamur: „Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum.“ [1]) Interrogo nunc, juxta quem modum fratres Domini in Evangelio intelligas appellari? Juxta naturam? Sed Scriptura non dicit, nec Mariae eos vocans filios, nec Joseph. Juxta gentem? Sed absurdum est, ut pauci ex judaeis vocati sint fratres, quum omnes, qui ibi erant hac lege judaei, fratres potuerint appellari. Juxta affectum humani juris ac spiritus? Verum si sic, qui magis fratres, quam Apostoli, quos docebat intrinsecus, quos matres vocabat et fratres? Aut si omnes, quia homines, fratres, stultum fuit nunciari, quasi proprium: „Ecce fratres tui quaerentes te,“ [2]) quum generaliter omnes homines hoc jure sint fratres. Restat igitur, ut juxta superiorem expositionem fratres eos intelligas appellatos cognatione, non affectu, non gentis privilegio, non natura: quomodo Lot Abrahae, quomodo Jacob Laban est appellatus frater.“ Sanctus Doctor eadem tradit in expositione s. Evangelii sec. Matth.. „Nos autem, inquit, [3]) sicut in libro, quem contra Helvidium scripsimus, continetur, fratres Domini non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris, Mariae liberos intelligimus materterae Domini, quae esse dicitur mater Jacobi minoris et Joseph et Judae.“

Plenissime consentit d. Augustinus ita disserens [4]): „Fratres apud Judaeos dici solere cognatos usque adeo probatur, ut non solum ex propinquo generationis gradu, sicut sunt filii fratrum et sororum, qui etiam apud nos usitatissime fratres dicuntur, sed etiam avunculus et sororis filius, sicut sibi erant Jacob et Laban, fratres appellati inveniantur. Non ergo mirum est, dictos esse

---

[1]) Ps. CXXXII, 1. [2]) Matth. XII, 47. [3]) Cap XII; cfr. epist. 150 cp. IV. [4]) Quaest. in Matth. 17; cfr. lib. contra Faustum lib. XII, cp. 35.

fratres Domini ex materno genere quoscunque cognatos, quum etiam ex cognatione Joseph dici potuerint fratres ejus ab eis, qui illum patrem Domini esse arbitrabantur."

Antequam ad sequentem transeamus quaestionem, Baronii opinio supra memorata penitius inspicienda est. Celeberrimus Cardinalis Jacobum et Josephum filios Alphaei, Simonem vero et Judam filios fuisse putat Cleophae.

a. Jacobum et Josephum filios Alphaei fuisse probat ex eo, quod Jacobus, frater Domini, cognominatus fuerit Alphaei;[1]) consuetudo autem Scripturarum est, filios nomine patris cognominare, sicut etiam alter Jacobus dici solet Zebedaei. Constat porro juxta illum, Josephum fratrem fuisse Jacobi, referente Marco Evangelista[2]): „Erant autem et mulieres de longe aspicientes: inter quas erat Maria Magdalene et **Maria Jacobi minoris et Joseph mater,** et Salome." Judas et Simon hic praetermittuntur; ergo eos non ex eisdem cum Jacobo et Josepho parentibus natos fuisse Baronius concludit.

Respondemus cum Vasquez,[3]) ad matrem illam Mariam designandam prorsus suffecisse, duas ejusdem et quidem majores natu filios nominare. Judas porro semetipsum Jacobi fratrem nominat dicens: „Judas, Jesu Christi servus, frater autem Jacobi."[4]) Numquid generali tantum ratione propter familiae cognationem hoc sibi attribuit nomen? Perdifficiliter hoc credendum.

b. Simonem et Judam filios fuisse Cleophae, non autem Alphaei, probat auctor ex eo, quod Hegesippus[5]) Cleopham fecerit fratrem Josephi et ex Cleopha genitum fuisse dixerit Simonem, qui Jacobo minori successit in Episcopatu Hierosolymitano, quodque mentionem ejus faciens Simonem et Jacobum fratres fuisse non asseruerit.

---

[1]) Matth. X, 3; Marc. III, 18, Act. I, 13. [2]) Marc. XV, 40.
[3]) Commentar. ac Disputat. in III, p. tom. II, disp. CXXII, n. 31.
[4]) Jud. 1. [5]) Apud Euseb. lib. III, cpp. 10, 26.

At Judas sibi ipsi ascripsit nomen „fratris Jacobi.“ Quid porro obstat, ne dicamus, Cleopham et Alphaeum unam eandemque fuisse personam? [1]) Quaeritur

2°: Quam matrem habuerint fratres Domini.

1. Helvidius una cum aliis haereticis matrem eorum beatissimam Virginem, Dei Genitricem, assignare ausus est.[2])

2. Nonnulli Patrum putarunt, fratres hos Domini consobrinos ejus fuisse natos ex sororibus b. Virginis autumantes, s. Annam primum nupsisse Joachimo, post ejus mortem Cleophae et post Cleophae mortem Salome genuisseque ex tribus his viris tres filias, nempe beatissimam Virginem Mariam, dein aliam Mariam, quae nupsit Alphaeo, et tertiam Mariam nubentem Zebedaeo.

Quam sententiam exprimit glossa ordinaria super Paulum ad Galatas[3]) in verba: „Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini“, ubi ex s. Ambrosio ait glossa: „Sciendum est, quod Maria, mater Domini, Joachimi et Annae filia fuit, quae nupsit Joseph, et ita Joseph fuit putativus pater Christi. Mortuo autem Joachim, Cleophas frater Joseph eandem Annam accepit uxorem et genuit ex ea filiam, quam vocavit Mariam, quae nupsit Alphaeo, qui genuit ex ea filios, scilicet Jacobum, Joseph, Simonem et Judam.

---

[1]) „Ἀλφαῖος ist wohl nichts andres, scribit Oswald (l. c. pag. 138,) als der mehr präcisirte Name des Klopas. Denken wir uns ein „chalphai“ oder „alphai“ so konnte einmal ἀλφαῖος, und, wenn der erste Guttural stark gehaucht ward, leicht auch Κλωπᾶς daraus gebildet werden. Jacobus Alphaei = des Klopas Sohn.“ „Sind Cleophas (Κλωπᾶς) und Alphäus verschiedene Personen oder verschiedene Namen einer und derselben Person, interrogat Morgott (l. c. pag. 109.)? Der englische Lehrer neigt der Ansicht zu, daß Alphäus und Cleophas zwei verschiedene Gatten der Maria bezeichnen, ohne jedoch die vom heiligen Hieronymus aufgestellte Hypothese eines Doppelnamens auszuschließen, welche dem Ergebnisse der neueren Exegese nahe kommt, wonach Κλωπᾶς und Ἀλφαῖος nur die verschiedene Aussprache ein und desselben chaldäischen Namens sind.“ [2]) Cfr. p. I, sect. II, cp. II, §. 3. [3]) I, 19.

Mortuo autem Clopha quidam Salome eandem Annam duxit et generavit ex ea filiam nomine Mariam, quae nupsit Thaddaeo et habuit ex ea filios, scilicet Jacobum, qui dictus est major, et Joannem Evangelistam. Tres ergo viros Anna habuit et tres filias.“ Idem habent Hugo a Sto Victore,[1]) Joannes Eckius,[2]) Gerson,[3]) Silvester,[4]) quorum hic ita:

„Anna solet dici tres concepisse Marias,
Quas genere viri Joachim, Cleophas, Salomeque,
Has duxere viri Joseph, Alphaeus, Zebedaeus.
Prima parit Christum, Jacobumque secunda minorem,
Et Joseph Justum peperit cum Simone Judam.
Tertia majorem Jacobum volucremque Joannem.“

Haec opinio, cui favere videntur etiam ven. Beda[5]) et s. Isidorus, nullum habet fundamentum neque in s. Scriptura neque in historiis. Triplex s. Annae matrimonium rejiciunt Theophylactus dicens,[7]) Joachim non aliam habuisse prolem, quam Mariam; Gregorius Nyssenus, qui parentes b. Virginis sine alia prole ad senectutem pervenisse asserit; ven. Canisius ita inquiens[8]): „Hoc multiplex Annae conjugium vulgi opinione magis, quam veterum authoritate niti, ac recentiores dumtaxat habere suffragatores, qui Deiparae matrem, nescio quam prudenter ac solide tam male castam proponunt.“ Eadem censent s. Thomas,[9]) Suarez,[10]) Jansenius Gandavensis.[11]) Omnes illi affirmant, s. Annam unicam tantum habuisse filiam, b. Virginem unigenitam, haeredem unicam universalem parentum suorum. Probatur

---

[1]) **In epist. ad Gal. q. 5.** [2]) **In serm. s. Annae.** [3]) **Serm. de Nativ. Virginis.** [4]) **In Rosa aurea in expos. evang. fer. IV, post Dom. II, Quad.** [5]) **In Act. I.** [6]) **De vita et morte ss. Patrum.** [7]) **In Joa. cp. 12.** [8]) **De Virg. lib. 1 cp. 4.** [9]) **Ad Gal. cp. I, lect. 5.** [10]) **Tom. II, in III, p. q. 28 a. 1.** [11]) **Concord. Evang. cp. 143, cfr. Molan. De picturis lib. 3 cp. 28; Melch. Canus de locis theol. lib. II; Baron, in app. Ann. Estius in cp. 15 Judith, in Comment. I, ad Cor. IX, 5.**

a. ex verbis Apostoli ad Corinthios[1]): „Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, cui vult, nubat. Beatior tamen erit, si sic permanserit.“ Valet hoc non solum in lege evangelica, sed valuit etiam in lege veteris testamenti. Etiam in vetere testamento virginitas et vidualis castitas matrimonio praeferebantur, ut docent inter alios Josephus[2]) et s. Ignatius.[3]) Quare Estius ad verba, quibus Judith laudatur, quod castitatem vidualem servaverit, et post virum suum alterum nescierit, annotat, non solum tempore novi testamenti commendari viduas, quae ad secundas nuptias non transeunt, verum etiam tales fuisse commendabiles tempore veteris testamenti. „Unde, inquit, nullo modo recipiendum videtur apocryphum illud de s. Anna, matre Deiparae Virginis, in quo traditur, eam tribus maritis fuisse vicissim copulatam, sed potius rejiciendum tamquam tam sancta muliere indignum.“

b. Gregorius Cedrenus[4]) refert, s. Joachimum post ortum b. Virginis duodecim per annos cum s. Anna conjuge sua vixisse, octogesimum annum agentem; Annam vero annos undeoctoginta natam e vivis excessisse. Quare improbabile prorsus est, Annam fere decrepitam post mortem Joachimi ad secundas et tertias transiisse nuptias. Decebat porro matrem Jesu Christi, matris suae unigenitam esse filiam, sicut Christus unigenitus futurus erat. Quum sterilis primum esset Anna, precibus filiam consecuta fertur, Mariam scilicet, Dei Genitricem et credendum ergo est, tanto eam beneficio jam a Deo donatam, nulli alteri viro nupsisse, unica filia tali et tanta, precibus impetrata, contentam.

c. Errores etiam apertissimos opinio haec continet; nam

---

[1]) 1 Cor. VII, 39 sq. [2]) De antiq. Jud. pop. lib. 13 cp. 8; cfr. p. I, sect. II, cp. I. § 2. [3]) In epist. ad Philadelph. [4]) In compend. historiarum.

α. Maria Cleophae Annae filia esse non potuit. Simon enim hujus filius decimo Trajani anno testante Eusebio[1]) martyrium subiit et quidem 120 annos natus.[2]) Ergo decem annos ante Christum natus est. Jam vero quum beatissima Virgo 14 annos nata Christum genuerit et post eam nata fuerit Maria Cleophae, ergo genuisset haec Simonem, ut minimum, quatuor aut quinque annos nata. Quo nihil sane absurdius.

β. Salome non viri, sed mulieris nomen est. Nec poterat esse pater Jacobi majoris et Joannis Evangelistae; pater enim eorum erat Zebedaeus et mater Salome. Deinde non est vocata Maria Salome, sed Salome tantummodo. S. Matthaeus habet[3]: „Inter quas (mulieres Jesu ministrantes) erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Joseph mater, et mater filiorum Zebedaei." S. Marcus scribit[4]): „Inter quas erat Maria Magdalene et Maria Jacobi minoris et Joseph mater, et Salome." S. Marcus ergo pro matre filiorum Zebedaei posuit Salome eodem prorsus loco et ordine cum reliquis. Salome nominativum, non genitivum esse, luce clarius patet ex textu graeco. Non enim ibi dicitur *τοῦ Σαλωμη,* sicut *τοῦ Ιακωβου,* sed nude *Σαλωμη.* Omnino vero „*τοῦ*" adjungendum fuisset, si genitivus esset, praesertim quum jam vox *μητηρ,* quae ad Salome referri non potest, intercessisset.[5])

Matrem filiorum Zebedaei Salomen fuisse, docent inter alios Author operis imperfecti[6]) et Hugo Cardinalis.[7]) Quare Jansenius in textu posuit „et mater filiorum Zebedaei Salome." Ultima commentarii ejusdem verba ita sonant: „Porro quod ea mulier, quam Matthaeus vocat „matrem filiorum Zebedaei," ipsa sit, quam Marcus vocat „Salome" ostensum est cp. 104 consen-

---

1) In Chronico. 2) Hist. eccl. lib. 3 cp. 10 3) XXVII, 56. 4) XV, 40. 5) Cfr. Estii Annot. ad cp. XV, 41 Marc. 6) In Matth. hom. 35 ad cp. XX, Matth. 7) Ad cap. XX, Matth.

tientibus omnibus veteribus latinis et graecis.“ Falluntur autem teste Kolvenerio,[1]) qui vocant Mariam Salome, ut Galesinius et Baronius in martyrologio Romano, [2]) quum Salome per se sit nomen ipsius et antiquiores, ut vetus Romanum martyrologium, Beda, Notherus et Joannes Cantor Parisiensis in suis martyrologiis habeant Salome omisso nomine Mariae. Lapsus ex eo provenit, quod oscitanter Evangelium legentes, quum dicitur Maria Jacobi et Salome, putaverint, repetendum nomen Maria, quasi Salome esset genitivus. Hinc vulgares libelli de tribus Mariis, quarum hanc unam faciunt, quae fuerit uxor Salome, acsi Salome foret viri nomen, quem tertium faciunt maritum s. Annae. Est autem Salome nomen mulieris apud auctores etiam profanos usitatum. Sic vocabatur mater septem martyrum Machabaeorum, ut testis est Josephus in libro de Machabaeis, ubi ex Erasmi translatione Salomona vocatur, quod idem est, sicut Simeon et Simon. Eodem nomine Salome dicta est uxor Aristobuli[3]) et soror Herodis.

d. Si porro Maria illa Salome s. Deiparae fuisset soror, etiam ejusdem filii, Jacobus major et Joannes Evangelista, merito fratres Domini appellari possent, uti filii Mariae Cleophae appellantur. Attamen neque in Evangelio cum aliis fratribus Domini commemorantur neque ullus antiquus scriptor hoc nomen iis attribuit.

3. Plures, quorum s. Hieronymus meminit, scriptores[4]) fratrum Domini matrem faciunt uxorem a s. Josepho ante b. Virginem ductam. In assignanda vero hac uxore dissentiunt. Nonnulli enim Escham, alii[5]) filiam Aggaei, fratris Zachariae, alii[6]) uxorem Cleophae ab ipso relictam s. Josephi uxorem fuisse autumant.

---

[1]) Kalendarium B. Virginis tom. 2 ad 22 oct. [2]) Ad 11 Cal. Nov. sic legitur: „Hierosolymis s. Mariae Salomae, quae in Evangelio legitur circa sepulturam Domini sollicita.“ [3]) Antiq. Jud. lib. XIII, cp. 19. [4]) Super XII, Matth. [5]) Hippolyt. apud Niceph. lib. II, cp. 3; Niceph. lib. III, cp. 16. [6]) Theophyl. super XIII, Matth.

Quam opinionem nullo solido niti fundamento, supra exposuimus. [1])

4. Sententia certior, quam sequuntur s. Chrysostomus,[2]) s. Hieronymus,[3]) Theodoretus,[4]) ven. Beda[5]) aliique maximae authoritatis theologi, contendit, matrem fratrum Domini eam fuisse, quam Matthaeus[6]) et Marcus[7]) „Mariam Jacobi et Jose matrem," Joannes[8]) vero „sororem matris Domini Mariam Cleophae" nominant. „Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophae, et Maria Magdalene." „Restat conclusio, inquit d. Hieronymus l. c., ut Maria ista, quae Jacobi minoris scribitur mater, fuerit uxor Alphaei et soror Mariae, matris Domini, quam Mariam Cleophae Joannes Evangelista cognominat, sive a patre sive a gentilitate familiae aut quacumque alia causa ei nomen imponens." Ita etiam ex d. Hieronymo s. Thomas,[9]) qui loco infra citato ad 6 addit: „Quod Maria, quae dicitur Jacobi et Joseph mater, non intelligitur esse mater Domini: quae in Evangelio non consuevit nominari, nisi cum cognominatione hujus dignitatis, quod sit mater Jesu. Haec autem Maria intelligitur esse uxor Alphaei, cujus filius est Jacobus minor, qui dictus est frater Domini." Quaeritur

3°: Quidnam de fratribus singillatim dicendum.

a. De s. Jacobo.

Mater ejus Maria, b. Virginis soror, cognomine „Cleopha" appellata est et quidem vel „a patre vel a gentilitate familiae" juxta s. Hieronymum; „a marito" ê contra teste Hegesippo.[10]) Jacobus nominabatur Minor ad distinctionem Majoris, filii Zebedaei,[11]) etsi constet, quod

[1]) Cfr. p. I, sect. IV, cp. I, §. 2. [2]) In Matth. hom. 89. [3]) Adv. Helvidium et super XII, Matth. [4]) Ad Gal. I. [5]) In VI. Luc. [6]) Matth. XXVII, 56. [7]) Marc. XV, 40. [8]) Joa. XIX, 25. [9]) L. c. a. 3 cit. ad 3. [10]) Apud Eusebium lib. III, cp. 11. [11]) Hierony. adv. Helvid. cp. 6; cfr. Sandini hist. apost. pag. 184.

aetate major fuerit Jacobo majore, qui erat nepos illius ex Salome sorore natusque post Joannem Evangelistam, fratrem suum. Ratio certa, cur hoc non obstante Minor appellatus sit Jacobus Alphaei, dari nequit. Forsitan Jacobus Zebedaei major nominatur, qui prior Apostolis annumeratus priorque a Deo vocatus sit, vel quod Christus Dominus eum plus dilexerit. Fuit enim unus ex illis tribus, quos Salvator gloriosae Transfigurationis et Orationis suae in monte Oliveti, antequam a Judaeis comprehenderetur, testes esse voluit. Jacobus Alphaei e contra minor forse dicitur absque ulla cum alio singulari comparatione, quia parvus corpore fuit; textus graecus eum pure „μικρον“ nominat.

Hic Cleophae filius, qua consobrinus Domini frater [1]) ejus appellatus, Jerosolymorum ordinatus fuit Episcopus [2]) anno Christi trigesimo quinto. Rexit ecclesiam per viginti octo annos usque ad annum septimum Neronis Anani Sadducaei, cujus jussu de templi pinnaculo praecipitatus, lapidatus et fuste fullonis percussus obiit. [3])

---

[1]) In epist. ad Gal. cp. 1. s. Hieronymus aliam adhuc rationem affert, cur Domini frater nominatus sit, nempe „propter egregios mores et incomparabilem fidem sapientiamque non modicam, et quod primus ei ecclesiae praefuerit, quae prima in Christum credens ex Judaeis fuerit congregata.“ Eadem fere legimus in lib. adv. Jovinianum lib. I, cp. 24, ubi s. Doctor ita scribit: „Transeamus ad Jacobum, qui frater Domini dicebatur, tantae sanctitatis, tantaeque justitiae et perpetuae virginitatis, ut Josephus quoque historicus Judaeorum propter hujus necem subversam Hierosolymam referat.“ [2]) Eusebius refert (hist. eccl. lib. 2 cp. 1), Jacobum a Petro, Jacobo majore et Joanne Episcopum Jerosolymorum designatum fuisse; alio vero loco (lib. 7 cp. 19) idem scriptor narrat, Jacobum ab ipso Salvatore et Apostolis primum Jerosolymorum episcopum constitutum esse. S. Chrysostomus (in epist. I. ad Cor. hom. 38) putat, eum non a Christo simul et Apostolis, sed a Christo tantum impositione manuum Episcopum factum esse. Eidem consentiunt Epiphanius (haer. 78 §. 7), Hieronym. (ad Gal. cp. 1) aliique. [3]) De morte ejus Eusebius lib. 2 hist. eccl. cp. 23 ita scribit: „Judaeos spe, qua constitutum in d. Pauli necem coegerant, dejectos,

Caput ejus, sicut corpus s. Jacobi Majoris, Hispaniarum Apostoli, Compostellae asservantur. Festum Jacobi Minoris, fratris Domini, celebratur prima Maji, Jacobi Majoris festum vigesima quinta Julii.

Dubitatur de s. Jacobo Minori, utrum idem sit Jacobus Alphaei cum Jacobo fratre Domini, annon? Si sunt diversi, Jacobus, frater Domini, ad Apostolorum numerum non pertinet; si vero sunt idem, idem etiam erit Alphaeus cum Cleopha.

Exstiterunt veteres et recentes scriptores, qui Jacobum Alphaei eundem esse cum Jacobo, fratre Domini, negarint putantes, tres fuisse Jacobos, unum Zebedaei,

---

quod ille ad Caesarem appellasset, et Romam a Festo Judaeae praeside missus esset, in Jacobum fratrem Domini tumultuari coepisse. Scribas enim et pharisaeos aliosque Judaeorum principes, qui Christo non credebant, animo prorsus iniquo tulisse, evangelicam doctrinam Jacobi opera ita propagatam, ut populus fere universus Jesum verum esse Deum existimaret. Quo igitur tempore Judaea per Festi mortem Praeside carebat, a Jacobo petiisse, ut errorem populo eriperet, et quid de Jesu recte ac vere sentiendum esset, aperte palamque diceret. Eam ob rem Jacobum in templi pinna seu angulo, in quem Christus a daemone evectus antea fuerat, collocatum, ut facilius audiri posset a populo, qui propter festum Paschae frequentissimus Hierosolymam convenerat, ab iis, quos supra dixi, scribis et pharisaeis elata voce rogatum: „O Juste, cui nos omnes fidem adhibere par est, quandoquidem populus omnis errat Jesum sectans crucifixum, doce nos, quod sit ostium Jesu suffixi cruci." Ad haec illum respondisse: „Quid me interrogatis de Jesu filio hominis; Ipse sedet in coelo a dextris summae virtutis, et venturus est in nubibus coeli." Quibus verbis quum permoti multi Dei potentiam praedicarent, scribas et pharisaeos ira percitos Jacobum ex memorato templi loco praecipitem dedisse. Lapsu tam gravi debilitatum tamen se in genua submisisse, et ferventissimas preces ad Deum pro inimicis fudisse. Lapidibus deinde Anani summi Sacerdotis jussu, referente Josepho, petitum ac tandem fullonis fuste, quo uda vestimenta extorqueri solent, ut ait Hieronymus (de script. eccl. in Jac.), capite percussum occubuisse et vel prope templum eodem, quo martyr obierat, loco, vel in monte Olivarum fuisse sepultum." Haec ille.

alterum Alphaei filium et tertium fratrem Domini, cognominatum „Justum," Jerosolymorum Episcopum, duodecim Apostolis non annumerandum. Inter recentes de Castro [1]) hanc defendit opinionem allegatque pro illa tuenda inter alios authores Clementem Romanum,[2]) Hippolytum,[3]) Dorotheum,[4]) Cyrillum Hierosolymitanum,[5]) Gregorium Nyssenum,[6]) Chrysostomum,[7]) Nicolaum I. Papam.[8]) Probat

a. Quia, quotiescunque in Evangelio numerantur Christi discipuli seu Apostoli, extra eorum numerum seorsim constituuntur fratres Domini; non ergo erant illi de numero Apostolorum.

Quae ratio si valeret, nec Judas, frater Jacobi Minoris, ad Apostolorum pertineret numerum, quamquam hoc negari nequeat.

b. Omnes Apostoli a Christo ipso ordinati sunt Episcopi nec uni aut alteri provinciae aut regioni addicti, sed universo orbi praefecti, quamvis beato Petro subjecti; sed Jacobus frater Domini non est ordinatus et consecratus Episcopus a Christo ipso, sed ab Apostolis Petro et Joanne et Jacobo.

Uti supra vidimus, ss. Patres hac de re dissentiunt. Eusebius, s. Chrysostomus, s. Epiphanius, s. Hieronymus docent, s. Jacobum minorem a Christo ipso Episcopum Hierosolymitanum fuisse ordinatum.

Duos tantum Jacobos agnoscunt Abdias,[9]) Clemens Alexandrinus,[10]) Eusebius,[11]) Nicephorus,[12]) Hieronymus,[13]) Anselmus [14]) aliique plures, qui eo ipso Apostoli dignitatem Jacobo Minori attribuunt et quidem merito. Nam

a. s. Paulus eum expresse Apostolum nominat dicens: [15])

---

[1]) L. c. [2]) Constit. Apost. lib. VI, cpp. 12 et 14. [3]) In lib. de Apostolis. [4]) In Synopsi. [5]) Catech. 14. [6]) De resurr. orat. 6. [7]) In Matt. hom. 33. [8]) In responsis ad Bulgaros cp. 19. [9]) Hist. apost. lib. VI. [10]) Hypotyposeon lib. VII. [11]) Hist. eccl. lib. II, cp. 1. [12]) Hist. eccl. lib. II, cp. 3. [13]) Adv. Helvidium. [14]) Sup. I, Cor. IX. [15]) I, 19.

„Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum, fratrem Domini.“ Ad quae s. Apostoli verba d. Hieronymus quidem scribit: „Quod autem exceptis duodecim quidam vocentur Apostoli, illud in causa est. Omnes, qui Dominum viderant et eum postea praedicabant, fuisse Apostolos appellatos“ et concludit „vehementer errasse, qui arbitratus est, Jacobum hunc de Evangelio esse Apostolum.“ Sed haec s. Hieronymi sententia cum s. Pauli verbis haud congruere videtur. Optime enim animadvertit Sandinus:[1])

α. S. Paulus eodem modo de Jacobi, ac de Petri Apostolatu loquitur.

β. Quum apud s. Petrum Hierosolymis quindecim permanserit dies Doctor gentium, vix credi potest, eum neminem quingentorum fratrum vidisse, qui Christum conspexerant redivivum.

γ. Si hoc iter a s. Paulo Hierosolymas susceptum idem est ac illud, cujus s. Lucas in Actibus Apostolorum meminit, pro certo habendum, ab eo ibidem etiam Barnabam, quem Ecclesia vocat Apostolum, visum esse. Quum ergo s. Paulus neget, se alium Apostolorum vidisse, quam Jacobum fratrem Domini, eum duodecim annumerat Apostolis et unum eundemque esse confirmat ac Jacobum Alphaei, primum Hierosolymorum Episcopum.

b. Jacobus, frater Domini, nominatur Minor et Jacobus Zebedaei Major; talis vero comparatio non fit, nisi inter duos. „Si non est Apostolus, scribit d. Hieronymus,[2]) sed tertius nescio quis Jacobus: quomodo est frater Domini putandus? et quomodo tertius ad distinctionem majoris appellabitur minor? Quum major et minor non inter tres, sed inter duos soleant praebere distantiam.“

c. Ecclesia duos tantum Jacobos celebrat Apostolos: Jacobum scilicet Zebedaei et una cum s. Philippo s. Jacobum, episcopum Hierosolymitanum.

---

[1]) Cfr. Sandini hist. apost. p. 188. [2]) Lib. adv. Helvidium.

Ad opinionem de tribus Jacobis refellendam satis esse videtur Cardinali Baronio, si, unde sit deducta, origo repetatur. „Ex rejectis enim, inquit,[1]) illis Clementis nomine scriptis Recognitionum libris de tribus Jacobis auctoritas semel sumpta, in nonnullos est infeliciter propagata. Putarunt aliqui eandem sententiam ex ejusdem Clementis constitutionibus, sed apocryphis, roborati, dum haec ibi ex persona Apostolorum recitata habentur: „Nos ergo, qui digni facti sumus, ut essemus testes adventus ejus cum Jacobo fratre Domini, et aliis septuaginta duobus et septem diaconis etc.“ Quibus verbis volunt, Jacobum fratrem Domini extra numerum Apostolorum constitutum. Sed mea sententia magis eadem verba Jacobum monstrant inclusum; nam quum extra numerum septuaginta duorum Jacobus illic positus recenseatur; plane constat, inter duodecim adnumeratum: alioquin (quod absurdum est dicere) non tantum non inter Apostolos, sed neque inter discipulos Jacobus frater Domini locum haberet. Unde, ut ex his patet, quod et si ibi Jacobus singulariter nominetur, non est factum, ut e numero duodenario excluderetur, sed potius secundum energiam quandam, quod frater esset Domini, nominatus esset.“ Hactenus Baronius.

Vidimus ergo, sententiam, tres extitisse Jacobos, nullo prorsus solido inniti fundamento. Duo tantum fuerunt Jacobi et Jacobus, frater Domini, idem est cum Jacobo Alphaei seu Cleophae.

b. De Josepho.

Tametsi Josephus seu, ut alii praeferunt, Josetus inter fratres Domini secundum teneat locum, nusquam tamen legimus, eum inter Apostolos fuisse computatum. Creditur potius, quod hic Josephus, „Barsabas“[2]) et „Justus“

---

[1]) Annales. eccles. ad annum Christi 44. [2]) Non defuerunt, qui Josephum Barsabas eundem ac Barnabam fuisse contenderint.

cognominatus, una cum Mathia dignus habitus sit, qui loco Iscariotis proditoris Apostolus eligeretur. Quum vero non apparuerit, uter magis fuerit idoneus ad hoc munus suscipiendum, sortiri placuit. „Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis.“[1] „Ex eo, inquit Torniellius,[2] quod dictus Joseph non solum cognominatus est Justus, sed etiam (quemadmodum ex Papia, s. Joannis Apostoli discipulo, scribit Eusebius[3]) et refertur in Martyrologio Romano[4]) quia venenum sine ulla sui corporis laesione ebibit, colligere licet, ipsum pro Christi fide multa passum esse plurimumque laborasse.“

c. De Simone.

Putaverunt nonnulli authores vg. Sophronius,[5]) Isidorus,[6]) ven. Beda,[7]) hunc Domini fratrem fuisse Zelotem seu Cananaeum, ad Apostolorum numerum pertinentem. Quam identitatem negandam esse ex pluribus censemus rationibus.

α. Juxta Theodoretum[8]) fratres Domini fuerunt ex tribu Juda, Simon vero Apostolus ex tribu Zabulon fuit vel ex tribu Nephthali.

β. Festum Simonis Apostoli celebratur die 28. Octobris; festum Simonis fratris Domini die 18. Februarii.

γ. Eusebius multa de Simone seu Simeone, Jacobi

„Joses autem, inquit Chrysostomus (in act. hom. XI.), qui agnominatus est Barnabas ab Apostolis (quod si interpreteris, est filius consolationis), non mihi videtur ille esse, qui cum Mathia. Ille enim et Joses dicebatur et Barsabas; postea autem agnominatus est et Justus. Hic autem Barnabas est filius consolationis ab Apostolis dictus. Et mihi videtur a virtute assumptum nomen, quasi ad hoc sufficiat et studiosus sit.“

[1]) Act. I, 26. [2]) Annales sacri ad annum 4082 n. 7. [3]) Hist. eccl. lib. III, cp. ultim. [4]) Sub die 20. Julii. [5]) Apud Hierony. in Catalogo. [6]) Lib. de vita et morte Sanctorum cp. 8. [7]) Sup. I, Act. [8]) In Psalm LXVII, 28.

successore, disserens eum nunquam appellat Apostolum et ad ipsum spectantia post Apostolorum tempora refert. Christi discipulum eum fuisse probat[1]) tum ex longinquitate aetatis ejus, tum ex eo, quod in Evangelio legitur de Maria Cleophae, cujus filius erat.

Si Simon Apostolus alius est a Simone, Episcopo Hierosolymitano, tunc alius etiam a Simone, fratre Domini; nam Episcopus ille Hierosolymitanus et frater Domini unus et idem. Eusebius[2]) enim et Hegesippus[3]) testantur, Simonem, Cleophae filium, Jacobo in regenda ecclesia Hierosolymitana successisse.

Ideo etiam v. Beda sententiam suam, eundem nempe fuisse Simonem Apostolum et Simonem, successorem Jacobi, retractavit.[4]) „Quod ad Simonem pertinet, scribit Baronius,[5]) errare certum est illos, qui hunc ipsum in unum conflant cum Simeone, qui Jacobi frater eidem in sede Hierosolymitana est subrogatus Episcopus.“

d. De Juda.

Judam, quem s. Hieronymus[6]) trinomium[7]) appellat, Jacobi Minoris fratrem eundemque ac Judam, fratrem Domini, fuisse, nemo, qui in dubium revocet. Nomen „fratris Jacobi Minoris“ sibi ipsi in epistola sua catholica imponit. Eundem vero fuisse ac Judam, Domini fratrem, testatur s. Chrysostomus[8]) dicens, „Judam Lebbaeum, quem Thaddaeum vocaverunt, eundem esse ac Judam, quem Jacobi esse, Lucas dicit.“ Consentit s. Chrysostomo s. Epiphanius. „Judas, inquit,[9]) ille porro est, qui Jacobi atque etiam Domini frater appellatus est.“

---

[1]) Hist. eccl. lib. III, cp. 32. [2]) Lib. III, cp. 11. [3]) Apud Euseb. lib. IV, cp. 22. [4]) Lib. retract. sup. Act. Apost. cp. I. [5]) Annales eccl. ad annum Christi 44. [6]) In Matth. cp. 10. [7]) Propter tria nomina „Thaddaeus Judas Lebbaeus.“ Ecclesia eum duplici appellat nomine: Thaddaeum scil. in litaniis et in canone Missae; Judam in aliis Missalis partibus, in Breviario; Thaddaeum simul et Judam in Martyrologio ad diem V, Kal. Nov. [8]) In Matth. hom. 33. [9]) Haeres. XXVI, §. 11.

Ad Apostolorum numerum Judam pertinuisse, constat ex s. Lucae Evangelio, ubi nominatis aliis Apostolis ita legitur:[1] „et Judam Jacobi, et Judam Iscariotem, qui fuit proditor.“ Patet quoque ex Actibus Apostolorum[2]: „Et quum introissent in coenaculum, ascenderunt, ubi manebant Petrus et Joannes, Jacobus et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomaeus et Matthaeus, Jacobus Alphaei et Simon Zelotes et Judas Jacobi.“

Hegesippus[3]) et Nicephorus[4]) narrant, eum filios ex Maria conjuge habuisse, quos Nicephorus Jacobum et Josetem appellat. Quem missum esse Edessam ad Abgarum regem, refert s. Hieronymus[5]). Eusebius[6]) e contra testatur, Judam Thaddaeum Edessam missum ex septuaginta fuisse discipulis. Consentit ven. Beda inquiens[7]): „Diligentius postmodum ipsam historiam ecclesiasticam inspiciens reperi, non ibi esse scriptum, quia Thaddaeus Apostolus unus ex duodecim; sed Thaddaeus unus ex septuaginta discipulis ad sanandum memoratum regem fuerit destinatus.“

Exstat Judae una de septem epistolis catholicis,[8]) non tantum sententiis, sed etiam verbis epistolae secundae s. Petri similis. „Ad hanc ipsam Petri secundam epistolam, scribit ideo Baronius,[9]) ea, quae a Juda Jacobi fratre scripta habetur, relationem quandam videtur habere, quum eodem ferme scripta sit argumento iisdemque sententiis atque etiam verbis interdum videatur intexta, ut plane appareat, prius Petri secundam, quam Judae esse scriptam epistolam.“

---

1) VI, 16. 2) I, 13. 3) Ad Eusebium hist. lib. III, cpp. 15 sq. 4) Lib. II, cp. 4. 5) In Matth. cp. 10. 6) Lib. I, cp. 13. 7) In retract. in Act. cp. I. 8) Catholicae nominantur, quia non peculiari alicui ecclesiae, sed omnibus Christi fidelibus inscriptae sunt. Cfr. Tillemont l. c. tom. I, p. 492. 9) Ann. eccl. ad ann. Christi 68. Cfr. Sandinus l. c. p. 204.

APPENDIX III.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Ineffabilis Deus, cujus viae misericordia et veritas, cujus voluntas omnipotentia, et cujus sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, quum ab omni aeternitate praeviderit luctuosissimam totius humani generis ruinam ex Adami transgressione derivandum, atque in mysterio a saeculis abscondito primum suae bonitatis opus decreverit per Verbi incarnationem sacramento occultiore complere, ut contra misericors suum propositum homo diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam non periret, et quod in primo Adamo casurum erat, in secundo felicius erigeretur, ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo matrem, ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit, tantoque prae creaturis universis est prosequutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante omnes Angelicos Spiritus, cunctosque Sanctos coelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut Ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulcra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua major sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest. Et quidem decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret, ac vel ab ipsa originalis culpae labe plene immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam se ipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idem-

que communis Dei Patris, et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegit, et de qua Spiritus Sanctus voluit, et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit.

Quam originalem augustae Virginis innocentiam cum admirabili ejusdem sanctitate, praecelsaque Dei Matris dignitate omnino cohaerentem catholica Ecclesia, quae a sancto semper edocta Spiritu columna est ac firmamentum veritatis, tamquam doctrinam possidens divinitus acceptam, et coelestis revelationis deposito comprehensam multiplici continenter ratione, splendidisque factis magis in dies explicare, proponere, ac fovere numquam destitit. Hanc enim doctrinam ab antiquissimis temporibus vigentem, ac fidelium animis penitus insitam, et Sacrorum Antistitum curis studiisque per catholicum orbem mirifice propagatam ipsa Ecclesia luculentissime significavit, quum ejusdem Virginis Conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit. Quo illustri quidem facto ipsius Virginis Conceptionem veluti singularem, miram, et a reliquorum hominum primordiis longissime secretam, et omnino sanctam colendam exhibuit, quum Ecclesia nonnisi de Sanctis dies festos concelebret. Atque idcirco vel ipsissima verba, quibus divinae Scripturae de increata Sapientia loquuntur, ejusque sempiternas origines repraesentant, consuevit tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta liturgia adhibere, et ad illius Virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto cum Divinae Sapientiae incarnatione fuerant praestituta.

Quamvis autem haec omnia penes fideles ubique prope recepta ostendant, quo studio ejusmodi de Immaculata Virginis Conceptione doctrinam ipsa quoque Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater et magistra fuerit prosequuta, tamen illustria hujus Ecclesiae facta digna plane sunt, quae nominatim recenseantur, quum tanta sit ejusdem Ecclesiae dignitas, atque auctoritas, quanta illi omnino debetur, quae est catholicae veritatis et uni-

tatis centrum, in qua solum inviolabiliter fuit custodita religio, et ex qua traducem fidei reliquae omnes Ecclesiae mutuentur oportet. Itaque eadem Romana Ecclesia nihil potius habuit, quam eloquentissimis quibusque modis Immaculatam Virginis Conceptionem, ejusque cultum et doctrinam asserere, tueri, promovere et vindicare. Quod apertissime planissimeque testantur et declarant tot insignia sane acta Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum, quibus in persona Apostolorum Principis ab ipso Christo Domino divinitus fuit commissa suprema cura atque potestas pascendi agnos et oves, confirmandi fratres, et universam regendi et gubernandi Ecclesiam.

Enimvero Praedecessores Nostri vehementer gloriati sunt Apostolica sua auctoritate festum Conceptionis in Romana Ecclesia instituere, ac proprio officio, propriaque missa, quibus praerogativa immunitatis ab haereditaria labe manifestissime asserebatur, augere, honestare, et cultum jam institutum omni ope promovere, amplificare, sive erogatis indulgentiis, sive facultate tributa civitatibus, provinciis regnisque, ut Deiparam sub titulo Immaculatae Conceptionis patronam sibi deligerent, sive comprobatis Sodalitatibus, Congregationibus, Religiosisque familiis ad Immaculatae Conceptionis honorem institutis, sive laudibus eorum pietatis delatis, qui monasteria, xenodochia, altaria, templa sub Immaculati Conceptus titulo erexerint, aut sacramenti religione interposita Immaculatam Deiparae Conceptionem strenue propugnare spoponderint. Insuper summopere laetati sunt decernere Conceptionis festum ab omni Ecclesia esse habendum eodem censu ac numero, quo festum Nativitatis, idemque Conceptionis festum cum octava ab universa Ecclesia celebrandum, et ab omnibus inter ea, quae praecepta sunt, sancte colendum, ac Pontificiam Capellam in Patriarchali Nostra Liberiana Basilica die Virginis Conceptioni sacro quotannis esse peragendam. Atque exoptantes in fidelium animis quotidie magis fovere hanc

de Immaculata Deiparae Conceptione doctrinam, eorumque pietatem excitare ad ipsam Virginem sine labe originali conceptam colendam et venerandam, gavisi sunt quam libentissime facultatem tribuere, ut in Lauretanis Litaniis et in ipsa missae praefatione Immaculatus ejusdem Virginis proclamaretur Conceptus, atque adeo lex credendi ipsa supplicandi lege statueretur. Nos porro tantorum Praedecessorum vestigiis inhaerentes non solum quae ab ipsis pientissime sapientissimeque fuerant constituta probavimus et recepimus, verum etiam memores institutionis Sixti IV. proprium de Immaculata Conceptione officium auctoritate Nostra munivimus, illiusque usum universae Ecclesiae laetissimo prorsus animo concessimus.

Quoniam vero quae ad cultum pertinent, intimo plane vinculo cum ejusdem objecto conserta sunt, neque rata et fixa manere possunt, si illud anceps sit, et in ambiguo versetur, idcirco Decessores nostri Romani Pontifices omni cura Conceptionis cultum amplificantes, illius etiam objectum ac doctrinam declarare, et inculcare impensissime studuerunt. Etenim clare aperteque docuere, festum agi de Virginis Conceptione, atque uti falsam, et ab Ecclesiae mente alienissimam proscripserunt illorum opinionem, qui non Conceptionem ipsam, sed sanctificationem ab Ecclesia coli arbitrarentur et affirmarent. Neque mitius cum iis agendum esse existimarunt, qui ad labefactandam de Immaculata Virginis Conceptione doctrinam excogitato inter primum atque alterum Conceptionis instans et momentum discrimine, asserebant, celebrari quidem Conceptionem, sed non pro primo instanti atque momento. Ipsi namque Praedecessores Nostri suarum partium esse duxerunt et beatissimae Virginis Conceptionis festum, et Conceptionem pro primo instanti tamquam verum cultus objectum omni studio tueri ac propugnare. Hinc decretoria plane verba, quibus Alexander VII. Decessor Noster sinceram Ecclesiae mentem declaravit inquiens: „Sane vetus est Christi fidelium erga

ejus beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus Filii humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium.“ [1])

Atque illud inprimis solemne quoque fuit iisdem Decessoribus Nostris doctrinam de Immaculata Dei Matris Conceptione sartam tectamque omni cura, studio et contentione tueri. Etenim non solum nullatenus passi sunt, ipsam doctrinam quovismodo a quopiam notari atque traduci, verum etiam longe ulterius progressi perspicuis declarationibus iteratisque vicibus edixerunt, doctrinam, qua Immaculatam Virginis Conceptionem profitemur, esse suoque merito haberi cum ecclesiastico cultu plane consonam, eamque veterem ac prope universalem et ejusmodi, quam Romana Ecclesia sibi fovendam tuendamque susceperit, atque omnino dignam, quae in sacra ipsa Liturgia solemnibusque precibus usurparetur. Neque his contenti, ut ipsa de Immaculato Virginis Conceptu doctrina inviolata persisteret, opinionem huic doctrinae adversam sive publice sive privatim defendi posse severissime prohibuere eamque multiplici veluti vulnere confectam esse voluerunt. Quibus repetitis luculentissimisque declarationibus, ne inanes viderentur, adjecere sanctionem: quae omnia laudatus Praedecessor noster Alexander VII. his verbis est complexus:

„Nos considerantes, quod Sancta Romana Ecclesia de Intemeratae semper Virginis Mariae Conceptione festum solemniter celebrat, et speciale ac proprium super hoc officium olim ordinavit juxta piam, devotam et laudabilem institutionem, quae a Sixto IV. Praedecessore Nostro tunc emanavit; volentesque laudabili huic pietati et devotioni,

---

[1]) Alexander VII. Constit. „Sollicitudo omnium ecclesiarum“. VIII. Decembris 1661.

et festo ac cultui secundum illam exhibito, in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum exemplo favere nec non tueri pietatem et devotionem hanc colendi et celebrandi beatissimam Virginem, praeveniente scilicet Spiritus sancti gratia, a peccato originali praeservatam, cupientesque in Christi grege unitatem Spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus et jurgiis amotisque scandalis conservare: ad praefatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis ac Philippi Regis ejusque Regnorum oblatam Nobis instantiam ac preces; Constitutiones et decreta a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, et praecipue a Sixto IV., Paulo V. et Gregorio XV. edita in favorem sententiae asserentis, animam beatae Mariae Virginis in sui creatione et in corpus infusione Spiritus Sancti gratia donatam et a peccato originali praeservatam fuisse, nec non et in favorem festi et cultus Conceptionis ejusdem Virginis Deiparae, secundum piam istam sententiam, ut praefertur, exhibiti, innovamus et sub censuris et poenis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus.

„Et insuper omnes et singulos, qui praefatas Constitutiones seu decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictae sententiae et festo seu cultui secundum illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eamdem sententiam festum seu cultum in disputationem revocare aut contra eo quoque modo directe vel indirecte aut quovis praetextu, etiam definibilitatis ejus examinandae, sive sacram Scripturam aut sanctos Patres sive Doctores glossandi vel interpretandi, denique alio quovis praetextu seu occasione, scripto seu voce loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam determinando aut asserendo vel argumenta contra ea afferendo et insoluta relinquendo aut alio quovis inexcogitabili modo disserendo ausi fuerint; praeter poenas et censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subjacere volumus et per

praesentes subjicimus, etiam concionandi, publice legendi seu docendi et interpretandi facultate ac voce activa et passiva in quibuscumque electionibus, eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus; nec non ad concionandum, publice legendum, docendum et interpretandum perpetuae inhabilitatis poenas ipso facto incurrere absque alia declaratione; a quibus poenis nonnisi a Nobis ipsis, vel a Successoribus Nostris Romanis Pontificibus absolvi aut super iis dispensari possint; nec non eosdem aliis poenis, Nostro et eorumdem Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum arbitrio infligendis, pariter subjacere volumus, prout subjicimus per praesentes, innovantes Pauli V. et Gregorii XV. superius memoratas constitutiones seu decreta.

„Ac libros, in quibus praefata sententia, festum seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut supra, aliquid scribitur aut legitur, seu locutiones, conciones, tractatus et disputationes contra eadem continentur; post Pauli V. supra laudatum decretum edita aut in posterum quomodolibet edenda prohibemus sub poenis et censuris in indice librorum prohibitorum contentis et ipso facto absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi volumus et mandamus."

Omnes autem norunt, quanto studio haec de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione doctrina a spectatissimis religiosis familiis et celebrioribus theologicis academiis ac praestantissimis rerum divinarum scientia doctoribus fuerit tradita, asserta ac propugnata. Omnes pariter norunt, quantopere solliciti fuerint Sacrorum Antistites vel in ipsis ecclesiasticis conventibus palam publiceque profiteri, sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam ob praevisa Christi Domini Redemptoris merita nunquam originali subjacuisse peccato, sed praeservatam omnino fuisse ab originis labe et idcirco sublimiori modo redemptam. Quibus illud profecto gra-

vissimum et omnino maximum accedit, ipsam quoque Tridentinam Synodum, quum dogmaticum de peccato originali ederet decretum, quo juxta sacrarum Scriptuarum sanctorumque Patrum ac probatissimorum Conciliorum testimonia statuit ac definivit, omnes homines nasci originali culpa infectos, tamen solemniter declarasse, non esse suae intentionis in decreto ipso tantaque definitionis amplitudine comprehendere beatam et immaculatam Virginem Dei Genitricem Mariam. Hac enim declaratione Tridentini Patres ipsam beatissimam Virginem ab originali labe solutam pro rerum temporumque adjunctis satis innuerunt atque adeo perspicue significarunt, nihil ex divinis literis, nihil ex traditione Patrumque auctoritate rite afferri posse, quod tantae Virginis praerogativae quovis modo refragetur.

Et re quidem vera hanc de Immaculata beatissimae Virginis Conceptione doctrinam quotidie magis gravissimo Ecclesiae sensu, magisterio, studio, scientia ac sapientia tam splendide explicatam, declaratam, confirmatam et apud omnes catholici orbis populos ac nationes mirandum in modum propagatam, in ipsa Ecclesia semper extitisse veluti a majoribus acceptam ac revelatae doctrinae charactere insignitam illustria venerandae antiquitatis Ecclesiae orientalis et occidentalis monumenta validissime testantur. Christi enim Ecclesia sedula depositorum apud se dogmatum custos et vindex nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, sed omni industria vetera fideliter sapienterque tractando si qua antiquitus informata sunt, et Patrum fides sevit, ita limare, expolire studet, ut prisca illa coelestis doctrinae dogmata accipiant evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant plenitudinem, integritatem, proprietatem, ac in suo tantum genere crescant, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia.

Equidem Patres Ecclesiaeque Scriptores coelestibus edocti eloquiis nihil antiquius habuere, quam in libris

ad explicandas Scripturas vindicanda dogmata erudiendosque fideles elucubratis summam Virginis sanctitatem, dignitatem atque ab omni peccati labe integritatem, ejusque praeclaram de teterrimo humani generis hoste victoriam multis mirisque modis certatim praedicare atque efferre. Quapropter enarrantes verba, quibus Deus praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praenuntians et deceptoris serpentis retudit audaciam et nostri generis spem mirifice erexit inquiens: „Inimicitias ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius“ docuere, divino hoc oraculo clare aperteque praemonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet Unigenitum Dei Filium Christum Jesum, ac designatam beatissimam Ejus matrem Virginem Mariam ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas. Quocirca sicut Christus Dei hominumque mediator humana assumpta natura delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit, sic sanctissima Virgo arctissimo et indissolubili vinculo cum Eo conjuncta una cum Illo et per Illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens ac de ipso plenissime triumphans illius caput immaculato pede contrivit.

Hunc eximium singularemque Virginis triumphum excellentissimamque innocentiam, puritatem, sanctitatem ejusque ab omni peccati labe integritatem atque ineffabilem coelestium omnium gratiarum, virtutum ac privilegiorum copiam et magnitudinem iidem Patres viderunt tum in arca illa Noë, quae divinitus constituta a communi totius mundi naufragio plane salva et incolumis evasit; tum in scala illa, quam de terra ad coelum usque pertingere vidit Jacob, cujus gradibus Angeli Dei ascendebant et descendebant ejusque vertici ipse innitebatur Dominus; tum in rubo illo, quem in loco sancto Moyses undique ardere ac inter crepitantes ignis flammas non jam comburi aut jacturam vel minimam pati, sed pulcre

virescere ac florescere conspexit; tum in illa inexpugnabili turri a facie inimici, ex qua mille clypei pendent omnisque armatura fortium; tum in horto illo concluso, qui nescit violari neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus; tum in corusca illa Dei civitate, cujus fundamenta in montibus sanctis; tum in augustissimo illo Dei templo, quod divinis refulgens splendoribus plenum est gloria Domini; tum in aliis ejusdem generis omnino plurimis, quibus excelsam Deiparae dignitatem ejusque illibatam innocentiam et nulli unquam naevo obnoxiam sanctitatem insigniter praenuntiatam fuisse Patres tradiderunt.

Ad hanc eandem divinorum munerum veluti summam originalemque Virginis, de qua natus est Jesus, integritatem describendam iidem Prophetarum adhibentes eloquia non aliter ipsam augustam Virginem concelebrarunt, ac uti columbam mundam et sanctam Jerusalem et excelsum Dei thronum et arcam sanctificationis et domum, quam sibi aeterna aedificavit Sapientia, et Reginam illam, quae deliciis affluens et innixa super Dilectum suum ex ore Altissimi prodivit omnino perfecta, speciosa ac penitus cara Deo et nullo unquam labis naevo maculata. Quum vero ipsi Patres Ecclesiaeque Scriptores animo menteque reputarent, beatissimam Virginem ab Angelo Gabriele sublimissimam Dei Matris dignitatem ei nuntiante, ipsius Dei nomine et jussu gratia plenam fuisse nuncupatam, docuerunt, hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, imo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum absyssumque inexhaustam, adeo ut nunquam maledicto obnoxia et una cum Filio perpetuae benedictionis particeps ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit „benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.“

Hinc non luculenta minus, quam concors eorumdem sententia gloriosissimam Virginem, cui fecit magna, qui

st, ea coelestium omnium donorum vi, ea gratiae
e, eaque innocentia emicuisse, qua veluti in-
miraculum, imo omnium miraculorum apex
i mater extiterit et ad Deum ipsum pro
naturae, quam proxime accedens omnibus,
, qua angelicis praeconiis celsior evaserit.
circo ad originalem Dei Genitricis innocentiam
amque vindicandam non Evam modo cum Heva
huc virgine, adhuc innocente, adhuc incorrupta et nondum mortiferis fraudulentissimi serpentis insidiis decepta saepissime contulerunt, verum etiam mira quadam verborum sententiarumque varietate praetulerunt. Heva enim serpenti misere obsequuta et ab originali excidit innocentia et illius mancipium evasit, sed beatissima Virgo originale donum jugiter augens, quin serpenti aures unquam praebuerit, illius vim potestatemque virtute divinitus accepta funditus labefactavit.

Quapropter nunquam cessarunt Deiparam appellare lilium inter spinas vel terram omnino intactam, virgineam, illibatam, immaculatam, semper benedictam et ab omni peccati contagione liberam, ex qua novus formatus est Adam, vel irreprehensibilem, lucidissimum amoenissimumque innocentiae, immortalitatis ac deliciarum paradisum a Deo ipso consitum et ab omnibus venenosi serpentis insidiis defensum, vel lignum immarcescibile, quod peccati vermis nunquam corruperit, vel fontem semper illimem et Spiritus Sancti virtute signatum, vel divinissimum templum vel immortalitatis thesaurum, vel unam et solam non mortis sed vitae filiam, non irae, sed gratiae germen, quod semper virens ex corrupta infectaque radice singulari Dei providentia praeter statas communesque leges effloruerit. Sed quasi haec, licet splendidissima, satis non forent, propriis definitisque sententiis edixerunt, nullam prorsus, quum de peccatis agitur, habendam esse quaestionem de sancta Virgine Maria, cui plus gratiae collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum;

tum professi sunt, gloriosissimam Virginem fuisse parentum reparatricem, posterorum vivificatricem, a saeculo electam, ab Altissimo sibi praeparatam, a Deo, quando ad serpentem ait, inimicitias ponam inter te et mulierem, praedictam, quae procul dubio venenatum ejusdem serpentis caput contrivit; ac propterea affirmarunt, eamdem beatissimam Virginem fuisse per gratiam ab omni peccati labe integram ac liberam ab omni contagione et corporis et animae et intellectus, ac semper cum Deo conversatam et sempiterno foedere cum Illo conjunctam, nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce et idcirco idoneum plane extitisse Christo habitaculum non pro habitu corporis, sed pro gratia originali.

Accedunt nobilissima effata, quibus de Virginis Conceptione loquentes testati sunt, naturam gratiae cessisse ac stetisse tremulam pergere non sustinentem; nam futurum erat, ut Dei Genitrix Virgo non antea ex Anna conciperetur, quam gratia fructum ederet: concipi siquidem primogenitam oportebat, ex qua concipiendus esset omnis creaturae primogenitus. Testati sunt carnem Virginis ex Adam sumptam maculas Adae non admisisse, ac propterea beatissimam Virginem tabernaculum esse ab ipso Deo creatum, Spiritu Sancto formatum et purpureae revera operae, quod novus ille Beseleel auro intextum variumque effinxit, eandemque esse meritoque celebrari ut illam, quae proprium Dei opus primum extiterit, ignitis maligni telis latuerit et pulcra natura ac labis prorsus omnis nescia tamquam aurora undequaque rutilans in mundum prodiverit in sua Conceptione Immaculata. Non enim decebat, ut illud vas electionis communibus lacesseretur injuriis, quoniam plurimum a ceteris differens, natura communicavit non culpa, immo prorsus decebat, ut sicut Unigenitus in coelis Patrem habuit, quem Seraphim ter sanctum extollunt, ita matrem haberet in terris, quae nitore sanctitatis nunquam caruerit. Atque haec quidem doctrina adeo majorum

mentes animosque occupavit, ut singularis et omnino mirus penes illos invaluerit loquendi usus, quo Deiparam saepissime compellarunt immaculatam omnique ex parte immaculatam, innocentem et innocentissimam, illibatam et undequaque illibatam, sanctam et ab omni peccati sorde alienissimam, totam puram, totam intemeratam, ac ipsam prope puritatis et innocentiae formam, pulcritudine pulcriorem, venustate venustiorem, sanctiorem sanctitate solamque sanctam purissimamque anima et corpore, quae supergressa est omnem integritatem et virginitatem ac sola tota facta domicilium universarum gratiarum sanctissimi Spiritus, et quae solo Deo excepto extitit cunctis superior et ipsis Cherubim et Seraphim et omni exercitu Angelorum „natura pulcrior, formosior et sanctior," cui praedicandae coelestes et terrenae linguae minime sufficiunt. Quem usum ad sanctissimae quoque liturgiae monumenta atque ecclesiastica officia sua veluti sponte fuisse traductum et in illis passim recurrere ampliterque dominari nemo ignorat, quum in illis Deipara invocetur et praedicetur veluti una incorruptae pulcritudinis columba, veluti rosa semper virens et undequaque purissima et semper immaculata semperque beata, ac celebretur uti innocentia, quae nunquam fuit laesa, et altera Heva, quae Emmanuelem peperit. Nil igitur mirum, si de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione doctrinam judicio Patrum divinis litteris consignatam, tot gravissimis eorumdem testimoniis traditam, tot illustribus venerandae antiquitatis monumentis expressam et celebratam ac maximo gravissimoque Ecclesiae judicio propositam et confirmatam tanta pietate, religione et amore ipsius Ecclesiae pastores populique fideles quotidie magis profiteri sint gloriati, ut nihil iisdem dulcius, nihil carius, quam ferventissimo affectu Deiparam Virginem absque labe originali conceptam ubique colere, venerari, invocare et praedicare. Quamobrem ab antiquis temporibus Sacrorum Antistites, Ecclesiastici viri, regulares Ordines ac

vel ipsi Imperatores et Reges ab hac Apostolica sede enixe efflagitarunt, ut Immaculata sanctissimae Dei Genitricis Conceptio veluti catholicae fidei dogma definiretur. Quae postulationes hac nostra quoque aetate iteratae fuerunt, ac potissimum felicis recordationis Gregorio XVI. Praedecessori Nostro, ac Nobis ipsis oblatae sunt tum ab Episcopis, tum a Clero saeculari, tum a religiosis familiis ac summis principibus et fidelibus populis.

Nos itaque singulari animi Nostri gaudio haec omnia probe noscentes ac serio considerantes, vix dum licet immeriti arcano divinae Providentiae consilio ad hanc sublimem Petri cathedram evecti totius Ecclesiae gubernacula tractanda suscepimus, nihil certe antiquius habuimus, quam pro summa Nostra vel a teneris annis erga sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam veneratione, pietate et affectu ea omnia peragere, quae adhuc in Ecclesiae votis esse poterant, ut beatissimae Virginis honor augeretur ejusque praerogativae uberiori luce niterent. Omnem autem maturitatem adhibere volentes constituimus peculiarem VV. F. F. NN. S. R. E. Cardinalium religione, consilio, ac divinarum rerum scientia illustrium Congregationem, et viros ex clero tum saeculari, tum regulari, theologicis disciplinis apprime excultos selegimus, ut ea omnia, quae Immaculatam Virginis Conceptionem respiciunt, accuratissime perpenderent propriamque sententiam ad Nos deferrent. Quamvis autem Nobis ex receptis postulationibus de definienda tandem aliquando Immaculata Virginis Conceptione perspectus esset plurimorum Sacrorum Antistitum sensus, tamen Encyclicas literas die 2. Februarii anno 1849 Cajetae datas ad omnes Venerabiles Fratres totius catholici orbis Sacrorum Antistites misimus, ut adhibitis ad Deum precibus Nobis scripto etiam significarent, quae esset suorum fidelium erga Immaculatam Deiparae Conceptionem pietas ac devotio, et quid ipsi praesertim Antistites de hac

ipsa definitione ferenda sentirent quidve exoptarent, ut, quo fieri solemnius posset, supremum Nostrum judicium proferremus.

Non mediocri certe solatio affecti fuimus, ubi eorumdem Venerabilium Fratrum ad Nos responsa venerunt. Nam iidem incredibili quadam jucunditate, laetitia ac studio Nobis rescribentes non solum singularem suam et proprii cujusque cleri populique fidelis erga Immaculatum beatissimae Virginis Conceptum pietatem mentemque denuo confirmarunt, verum etiam communi veluti voto a Nobis expostularunt, ut Immaculata ipsius Virginis Conceptio supremo Nostro judicio et auctoritate definiretur. Nec minori certe interim gaudio perfusi sumus, quum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales commemoratae peculiaris Congregationis, et praedicti theologi consultores a Nobis electi pari alacritate et studio post examen diligenter adhibitum hanc de Immaculata Deiparae Conceptione definitionem a Nobis efflagitaverint.

Post haec illustribus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, ac rite recteque procedere optantes indiximus et habuimus Consistorium, in quo venerabiles Fratres Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales alloquuti sumus eosque summa animi Nostri consolatione audivimus a Nobis exposcere, ut dogmaticam de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione definitionem emittere vellemus.

Itaque plurimum in Domino confisi, advenisse temporum opportunitatem pro Immaculata sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae Conceptione definienda, quam divina eloquia, veneranda traditio, perpetuus Ecclesiae sensus, singularis catholicorum Antistitum ac fidelium conspiratio et insignia Praedecessorum Nostrorum acta, Constitutiones mirifice illustrant atque declarant; rebus omnibus diligentissime perpensis et assiduis fervidisque ad Deum precibus effüsis, minime cunctandum Nobis esse censuimus supremo Nostro judicio Immaculatam

ipsius Virginis Conceptionem sancire, definire atque ita pientissimis catholici orbis desideriis Nostraeque in ipsam sanctissimam Virginem pietati satisfacere ac simul in Ipsa Unigenitum Filium suum Dominum Nostrum Jesum Christum magis atque magis honorificare, quum in Filium redundet, quidquid honoris et laudis in Matrem impenditur.

Quare postquam nunquam intermisimus in humilitate et jejunio privatas Nostras et publicas Ecclesiae preces Deo Patri per Filium Ejus offerre, ut Spiritus Sancti virtute mentem Nostram dirigere et confirmare dignaretur, implorato universae coelestis Curiae praesidio et advocato cum gemitibus Paraclito Spiritu eoque sic adspirante ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem Fidei catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra declaramus, pronuntiamus et definimus

doctrinam, quae tenet, beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint ac porro sciant, se proprio judicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse et ab unitate Ecclesiae defecisse ac praeterea facto ipso suo semet poenis a jure statutis subjicere si quod corde sentiunt, verbo aut scripto vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint.

Repletum quidem est gaudio os Nostrum et lingua Nostra exultatione, atque humillimas maximasque Christo Jesu Domino Nostro agimus et semper agemus gratias. quod singulari suo beneficio Nobis licet immerentibus concesserit hunc honorem atque hanc gloriam et laudem

ae suae Matri offerre et decernere. Certissima omni prorsus fiducia nitimur fore, ut ipsa rgo, quae tota pulcra et Immaculata venesimi serpentis caput contrivit et salutem quaeque Prophetarum, Apostolorumque nor Martyrum omniumque Sanctorum uaeque tutissimum cunctorum periet fidissima auxiliatrix ac totius ssima apud Unigenitum Filium nciliatrix, ac praeclarissimum Ecdecus et ornamentum firmissimumque cunctas semper interemit haereses, et fideles ulos gentesque a maximis omnis generis calamitatibus eripuit, ac Nos ipsos a tot ingruentibus periculis liberavit; velit validissimo suo patrocinio efficere, ut sancta Mater catholica Ecclesia cunctis amotis difficultatibus cunctisque profligatis erroribus ubicumque gentium, ubicumque locorum quotidie magis vigeat, floreat ac regnet a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, omnique pace, tranquillitate ac libertate fruatur, ut rei veniam, aegri medelam, pusilli corde robur, afflicti consolationem, periclitantes adjutorium obtineant et omnes errantes discussa mentis caligine ad veritatis ac justitiae semitam redeant, ac fiat unum ovile et unus pastor.

Audiant haec Nostra verba omnes Nobis carissimi catholicae Ecclesiae filii, et ardentiori usque pietatis, religionis et amoris studio pergant colere, invocare, exorare beatissimam Dei Genitricem Virginem Mariam sine labe originali conceptam atque ad hanc dulcissimam misericordiae et gratiae Matrem in omnibus periculis, angustiis, necessitatibus rebusque dubiis ac trepidis cum omni fiducia confugiant. Nihil enim timendum nihilque desperandum Ipsa duce, Ipsa auspice, Ipsa propitia, Ipsa protegente, quae maternum sane in nos gerens animum nostraeque salutis negotia tractans de universo humano

genere est sollicita et coeli terraeque Regina a Domino constituta ac super omnes Angelorum choros Sanctorumque ordines exaltata adstans a dextris Unigeniti Filii sui Domini nostri Jesu Christi maternis suis precibus validissime impetrat, et quod quaerit invenit ac frustrari non potest.

Denique ut ad universalis Ecclesiae notitiam haec Nostra de Immaculata Conceptione beatissimae Virginis Mariae definitio deducatur, has Apostolicas Nostras Literas ad perpetuam rei memoriam extare voluimus; mandantes ut harum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ab omnibus adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrae declarationis, pronuntiationis ac definitionis infringere, vel ei ausu temerario adversari et contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto VI. Idus Decembris Anno MDCCCLIV. Pontificatus Nostri Anno nono.

Pius P. P. IX.

APPENDIX IV.

S. DEIPARÆ ASSUMPTIO CORPOREA IN COELUM.

Perplurimi Concilii Vaticani patres gravissimis ducti rationibus devotissime ardentissimeque efflagitarunt, ut de doctrina corporeae Virginis Assumptionis in coelum Concilium ipsum tractaverit dogmaticeque, si ipsi videretur, definierit, beatissimam Virginem corpore et anima coelo adesse viventem ibique ad Filii sui similitudinem gloriose regnantem. Non potuimus, quin duo priora saltem postulata[1]) et quidem a plurimis patribus subscripta hic subjungamus.

I.

Eminentissimi atque excellentissimi Patres!

Postulatum a fere bis centum Patribus Concilii Vaticani Cardinalibus scilicet, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Nullius Abbatibus, et supremis Sodalitiorum Regularium Moderatoribus, germanis sensus totius Ecclesiae interpretibus, obsignatum incredibili laetitia exultantes Vobis exhibemus. In eo enim ad majorem Dei Filii atque Deiparae gloriam, ad ineffabilem omnium

---

[1]) „Etiam in se spectata, notat apprime quoad postulata generaliter sumpta cl. Dr. Martin (in praefatione operis sui „Omnium Concilii Vaticani quae ad doctrinam et disciplinam pertinent documentorum collectio") haec postulata magni pretii aestimanda sunt. Sunt enim haec Concilii documenta etiam egregia hujus temporis historiae ecclesiasticae monumenta. Nam auctores habent ecclesiarum antistites ex toto orbe terrarum in hoc Concilio coadunatos, qui modo singuli, modo cum pluribus aliis earundem ecclesiae provinciarum episcopis conjuncti his suis postulatis diserte enuntiant, quibusnam necessitatibus in quaque terrarum parte ecclesia prematur, a quibusnam potissimum medicamentis vulnerum, quae ipsi inflicta sint, sanatio expectanda sit, quibusnam denique mediis totius ecclesiae bonum animarumque salus ex ipsorum sententia maxime promoveri possit. Quae quidem ejusmodi sunt, ut hodierni ecclesiae status nobis vivam quasi imaginem repraesentent."

Christifidelium consolationem, Beatam Mariam anima immaculata et corpore virgineo ad dexteram Dei Filii, nostram praestantissimam mediatricem in coelis adstare, a Sacrosancto Concilio Vaticano explicite et solemniter declarari, et definiri perardenter postulatur. Omnes quidem certam habent spem generalia Ecclesiae catholicae Comitia, quae sub faustis auspiciis Almae Reginae ab omni originali labe immunis tam felicia habuere exordia, Ipsa Patrona, interemptis cunctis haeresibus ad desideratam usque metam quamprimum et feliciter esse perventura.

Romae die XXIII. Februarii A. R. 1870

Humillimi et Addictissimi

sig. † Joseph Bened. Dusmet. Archiep. Cantanien.

sig. † Ludovicus M. Idèo Episc. Liparen.

Momenta pro dogmaticae definitionis Assumptionis Corporeae Beatae Mariae Virginis in coelum possibilitate.

I. Pervetustus et constans utriusque Ecclesiae Occidentalis et Orientalis cum docentis tum discentis est sensus circa Corpoream Deiparae Assumptionem. Hoc autem factum, quod scilicet hominis corpus ante extremum judicii diem in coelis vivat, neque sensibus, neque humana auctoritate testificari potest; quamvis enim Scriptura dicat Enoc et Eliam raptos esse in coelum, inferri non potest ad intuitivam Dei visionem admissos esse. Nisi igitur firmissima Ecclesiae fides quoad Corpoream Beatae Mariae Virginis Assumptionem dici velit levis nimis credulitas, quod vel cogitare impium est, procul dubio eam a Traditione divino — apostolica, id est a Revelatione ortum habere firmissime tenendum. Quod gloriosum quidem facinus Divo Evangelistae Joanni, qui post Beata Virginis dormitionem obiit, revelatum esse potuit.

Insuper Deiparae Virginis anticipata resurrectio et integra glorificatio cum connexa cum Divina Maternitate

et Immaculata Conceptione sint, inter facta dogmatica jure merito accenseri possunt.

Idcirco Assumptio Deiparae Corporea cum Sanctorum Canonizatione, vel Petri Romam adventu comparari nequit; quippe quod istae veritates ad summum ecclesiasticae certitudinis sunt, de quibus tamen dubitari minime potest, quin fides labefactaretur; illa vero definibilis de fide est, quia inter facta dogmatica sensibus non subjecta accensetur, atque traditioni divino — apostolicae consignata est.

Praeterea magni momenti est animadvertere juxta ordinariam Dei oeconomiam animas justorum, quibus nulla supersit peccatorum poena luenda, illico post mortem ad intuitivam Dei visionem admitti: ast non ita esse de corporibus, quae tantum in novissimo judicii die evigilabunt resumptoque Spiritu divino intuitu fruentur.

II. Neque locupletissima ss. Patrum testimonia a remota aetate ad duodecimum usque saeculum desiderantur, qui uti testes divinae revelationis hanc veritatem propugnant, atque in nonnullis Sanctarum Scripturarum oraculis etiam insinuari autumant. Antiquiorum vero Patrum silentium, quod ad summum est argumentum negativum, a posteriorum aetatum Patribus abunde compensatur.

III. Nec theologorum suffragia a duodecimo ad nostrum usque aevum desunt, qui pro virili sua parte hanc veritatem propugnant.

IV. Pro pia sententia gravissima quoque theologica militant momenta, quae nempe a Divina potissimum maternitate desumuntur. Si enim Christi caro caro Mariae est, prout ille corruptionem minime vidit, ita et ista. Immaculata insuper Conceptio huc etiam potissimum spectat. Si enim a labe peccati fuit immunis, ita etiam ab ejusdem peccati poena ideoque a corruptione carnis immunis esse debuit. Multis denique aliis omissis argumentis, quum ss. Virgo Angelorum sit Regina, incon-

gruum esset Angelicos Spiritus in propria natura perfecta Divina Visione frui, eorum autem Reginam ad novissimum usque judicii diem integram expectare Dei visionem.

Momenta pro invocatae definitionis **opportunitate.**

I. Revelatas solemniter manifestare veritates peropportunum semper est. Ait enim Christus: „Quod dico vobis in tenebris, praedicate super tecta.“ Et sane aliquam implicite revelatam veritatem aperte praedicare est semper recens victoria fideique imperii extensio adversus rationalismum hac nostra aetate tam impie grassantem.

II. Tenerrimi hujus promulgatio dogmatis aperta esset Divinitatis D. N. J. Ch. confessio; tali enim privilegio divinae Maternitatis intuitu Deipara fuit condecorata, adeoque diris devoverentur errores, qui nostro quoque aevo Christi Divinitatem tam sacrilege impetunt.

III. Quumque de Beata Virgine canat Ecclesia: „Cunctas haereses sola interemisti in universo mundo;“ dogmatica ejusmodi definitio, quin esset haereticis ansa in haeresi insurdescendi, eos in ovile potius Christi per eam reductum iri sperandum.

IV. Suavis haec decretatio esset sensibile argumentum articuli fidei „Credo carnis resurrectionem.“ Claro enim hoc facinore Materialismo nec non Indifferentismo, sanientibus temporum nostrorum plagis, ostracismus daretur. Ecclesia enim exaltans quasi tuba vocem suam lethali depressis sopore clamaret: „Sursum corda.“

V. Luculentissima hac nova aureola cyclus Mariae gloriarum in hac Hierosolyma militante clauderetur.

VI. Quum lex supplicantium sit lex credentium; pastorum et gregum vota hanc solemnem decretationem expostulant; et hac causa fidei meritum augeretur, ex fide enim, quod nunc ex pietate, divinitus teneretur.

VII. Concilium Vaticanum I. sub auspiciis Almae Virginis ab omni labe immunis inchoatum, dum luculentum

erga Deiparam pietatis monumentum poneret, ad desideratam usque metam, ipsa patrona, quamprimum et feliciter perventurum certo confidimus.

Quae omnia quidem argumenta fusiori calamo enucleata examinari possunt in opere, cui titulus: De Corporea Deiparae Assumptione, an dogmatico Decreto definiri possit. Disquisitio historico — critico — theologica Aloysii Vaccari Cassinensis etc.

II.

Beatissime Pater!

Quum juxta Apostolicam doctrinam, Rom. V.—VIII. I. Cor. XV.—24, 26, 54, 57, Hebr. II.—14, 15, aliisque locis traditam, triplici victoria de Peccato, et de Peccati fructibus, Concupiscentia et Morte, veluti ex partibus integrantibus constituatur ille triumphus, quem de satana, antiquo serpente, Christus retulit; quumque Gen. III, 15. Deipara exhibeatur singulariter associata Filio suo in hoc triumpho; accedente unanimi Sanctorum Patrum suffragio, non dubitamus, quin in praefato oraculo eadem Beata Virgo triplici illa victoria praesignificetur illustris; adeoque non secus ac de Peccato per Immaculatam Conceptionem, et de Concupiscentia per Virginalem Maternitatem, sic etiam de inimica Morte singularem triumphum relatura, per acceleratam ad similitudinem Filii sui resurrectionem, ibidem praenuntiata fuerit. Id quod ex naturali unitate carnis, Christum inter ejusque Matrem, illustrationem novam accipit. Optimo igitur jure Christum Jesum ita alloqui sanctissimam Matrem suam posse clarissimus Suaresius docet, III. p. q. XXXVII, art. 4: „Haec nunc est caro, de qua est caro mea.“ Et nos omnes firmiter affirmare possumus, Corpus Virginis fuisse quodammodo initium humanae salutis, quia ex illius Sanguine corpus Christi sumptum est, quod fuit nostrae salutis pretium; ideoque inconcussa fide tenendum, idem Virginis corpus singulari modo redemptionem participasse,

seu anticipatam gloriam et immortalitatem consequutam fuisse.

Insuper de hac Immaculatae Virginis Resurrectione et in coelos Assumptione, uti ex concordi majorum consensu et constanti publico solemnique cultu clare evincitur, antiqua est utriusque Ecclesiae traditio; ad quam servandam rei manifesta cohaerentia cum aliis Beatae Virginis praerogativis, carentia reliquiarum, sepulchrumque corpore virgineo vacuum conspirabant. Quod si aliquando nonnullis haesitatio quaedam fuit, occasione, ut videtur, Decreti Gelasiani de libris apocryphis, ea tamen non obstante antiqua et venerabilis sententia talem nacta est a pluribus saeculis consensum, ut a Theologis communiter habeatur pro certa et definibili de fide, de qua dubitare viro catholico nefas sit; imo non desunt graves auctores, qui eam ut jam de fide habeant. Satis heic erit in memoriam revocare Benedicti XIV. verba, qui postquam pro virili sua parte de pia sententia disseruerit, addit, De canoniz. Sanct. lib. I, cap. XLII, n. 15. De eodem scilicet festo loquitur sanctus Bernardus, ep. 174, ad Can. Lugd. n. 3 tom. II, opp. „Accepi sane ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione recolendum, quod coelis intulit celeberrima festa gaudiorum. Gregorii praeterea Turonensis, Andreae Hierosolymitani, Gregorii Magni pontificis, Ildephonsi Toletani Episcopi, Joannis Damasceni, Bernardi Abb. assertiones praeclare ostendunt, Beatissimam Virginem placida morte terris ereptam in coelos statim assumptam fuisse. Piae ac religiosae sententiae de assumpto in coelos Virginis corpore rationes etiam theologicae suffragantur petitae ex dignitate matris Dei, ab excellenti virginitate, ab insigni super omnes homines et Angelos sanctitate, ex intima cum Christo filio conjunctione et consensione, ex filii in matrem dignissimam affectu; denique, quod caput est, si ecclesia non modo assumptam in coelum Virginem celebrat, sed etiam homilias sanctorum Joannis Damasceni et Bernardi

legendas fidelibus tradit, quae cum corpore simul et anima assumptam disertissimis verbis affirmant, de ejus auctoritate et suffragio neutiquam dubitandum esse videtur."

Exinde plane constat hoc privilegium, quod in systemate Mariano conspicua pars est, quodque tantopere cum aliis doctrinis revelatis cohaeret, Apostolos, ipsumque Joannem latere non potuisse, proindeque ex Apostolica traditione Ecclesiae innotuisse.

Ex his aliisque gravibus momentis, quae ab antiquis sexcentisque rerum ecclesiasticarum scriptoribus passim afferuntur, hanc piam vetustamque sententiam omni firmitate muniri atque de fide definibilem esse novimus.

Quapropter, Beatissime Pater, qui a paucis abhinc annis, tuum infallibile oraculum, longo jam populorum desiderio expectatum effusaque gentium deprecatione expetitum, maximo episcoporum et christifidelium plausu exceptum, Dogmaticam nempe definitionem de Immaculato primo Deiparae Conceptu emisisti; a te Nos et christianae plebes sollicitudini nostrae commissae quam vehementer expostulamus, ut Ecclesia, omnia Deiparae ornamenta et triumphos in unum congerens, illam anima simul et corpore coelorum sedibus fuisse receptam definiat.

Neque enim hoc gloriosum facinus immerito postulatur; quippe sicut virgineo pede antiqui serpentis caput Beata Virgo contrivit, ita solemni hac nova gloriae suae manifestatione Christi Filii sui suosque hostes in hac piaculari aetate grassantes invicte conteret. Si Illa quidem ad nos misericordes oculos convertat, immanes, qui debacchantur errores, rationalismum praesertim et materialismum, ceu tumentes aequoris fluctus confringendos, vitiaque nefanda, quae veluti Noëmi aevo terram undique polluunt, exulatura fore confidimus. Quin immo ipsis catholicae fidei adversariis, praelucente maris stella, ad Petri navigium festinanter remeantibus, unum erit ovile et unus pastor.

Quae quum ita sint, sanctissime Pater, Sacerdotii culmen et apex, et Ecclesiae catholicae os, Nos Vaticani Concilii a Te indicti Patres ad Tuos pedes, de quibus dictum est: „Quam pulchri pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona,“ devote provoluti, Deiparam anima immaculata et virgineo corpore in coelos viventem, supremo Tuo magisterio in hac Sacrosancta Synodo firmari, proclamari, definiri, enixis precibus postulamus; ideoque chyrographo nostro has supplicationes fidenter obsignamus.

Huic postulationi subscripserunt 113 Concilii Patres.[1])

---

[1]) Ita rev. Ep. Dr. Martin in opere suo supra citato: „Omnium Concilii Vaticani documentorum collectio pag. 106 sqq.,“ ubi octo alia adhuc postulata idem desiderium exprimentia allegantur.

Index rerum et verborum.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

U.

V.

W.

Z.





